P. Nigroni Tractat. Ascetici

1. De otio fugiendo
2. De scribendarum epistolarum ratione
3. De peculiaribus amicitiis
4. De lectione sacra sup. mensam
5. De lectione privata librorum spiritualium
6. De recessu ad meridandum atque exercitiis spiritus
7. De mensæ benedictione
8. De diligentia spirituali
9 De duplici ordine
10 De necessitate et utilitate magistri spiritus
11 De exhortatione domestica religiosorum
12 De collatione spirituali
13 De cura minimorum et peccati venialis vitatione
14 De fugiendis negotiis sæcularibus
15 De relaxatione animi
16 De affectu erga propinquos
17 De amore patriæ
18 De virtute et sanctitate cum litteratura et scientia doctrinarum conjungenda
19 De conviviis perraro ac religiose adeundis
20 De ministeriis ecclesiasticis populo gratis exhibendis

Digitized by Google

TRES NOVI TRACTATVS ASCETICI IVLII NIGRONI GENVENSIS

E' SOCIETATE IESV.

Quorum argumenta Pagella verſa indicat.

Perill. ac Reuerendiſſ. Abbati
ANGELO MARIAE ALCHISIO &c.
Dicati.

CVM PRIVILEGIO.

Coll. R. Soc. Jesu

MEDIOLANI,

Apud Io. Baptiſtam Bidellium. M.DC.XXIII.

B. S.

XI.XII.XIII.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

Google

Syllabus Tractatuum.

I. De inerti otio fugiendo fugandoq. à quibuſuis religioſis viris, & ſtudioſis Chriſtianæ perfectionis.
II. De rara, prudenti ac pia ſcribendarum epiſtolarum ratione ſeruanda Religioſis.
III. De peculiaribus paucorum amicitijs è quolibet cœnobio, & præcipue Religioſorum exterminandis.

MVTIVS VITELLESCVS SOCIET. IESV Præpoſitus Generalis.

CVm tractatus de inerti otio fugiendo, & pia ſcribendarum epiſtolarum ratione, ac de peculiaribus amicitijs &c. P. Iulij Nigroni Societ. noſtræ, aliquot eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſimus, recognouerint, ac in lucē edi poſſe probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandentur, ſi ita ijs, ad quos pertinet, videbitur. In quorū fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 7. oct. 1621.

Mutius Vitelleſcus.

Locus ſigilli.

Imprimatur.
Fr. Vinc. Aquenſ. Prouic. S. Off. Mediol.
Fr. Aloyſ. Bariola Conſult. S. Off. pro Illuſtriſſ. D. Card. Archiep.
Vidit Saccus pro Excell. Senatu.

PERILLVSTRI
AC REVERENDISSIMO
PATRI
D. ANGELO MARIÆ
ALCHISIO
ABBATI BAGENSIS Monaſt.

Et Mon. Congreg. Montis Oliueti Generali quond. guberna-tori. S.D.

N*On equidem, vt ille cecinit poeta:*
Clypeũ poſt vulnera ſumo: *ſed ante me munio: & ictibus eorum, qui me laboreſque meos ferire poſſunt, defenſionis clypeum oppono* Te, Religioſiſſime ac doctiſſime Pater. *Clypeum, inquam, non qualemcumque ex obuia depromptum officina: ſed ex armamentario*

Digitized by Google

Athenarum (quæ doctrinarum inuentrices fuerunt) illum Mineruæ, hoc eſt ſapientiæ delegi. Tu enim, vt plane loquar, non philologia ſolum ac triplici philoſophia, ſed etiam arcanis Theologiæ, ſacrarum ſcripturarum cognitione, atq; ut vno verbo dicam, nobiliorum omnium artium ſcientia pectus animumq. complevisti adeo, vt ſcienter de omnibus rationem reddas: & non tam melle dulcior, vt quondam ex ore Neſtoris ac Xenophõtis; quàm doctrinarum theſauris, Tago & Pactolo diuitior, vt è lingua paucorum, ex ingenio aurea tua defluat oratio. Fertur magnus opifex Phidias in Palladis clypeum ex ebore coagmentatum, tanto artificio ſuam effigiem illigaſſe, vt non poſſet illa reuelli, quin vniuerſum opus deſtrueretur. Utinam alter Phidias exiſtat, qui medio in pectore tuo Bidellij Bidellianique typographei memoriam ac beneuolentiam infigat, ſolide ac firmiter a-

deo,

deo, vt nullo conatu refigi queat. Næ ego triumphabo lætiſſimus, ſperaboq. fore, vt labores mei tecum quandam immortalitatem adipiſcantur. Nec vero patrociniū tuum imploro nunc operi, ad cuius defenſionem arma expedienda & quatienda ſint eloquentiæ. Tui nominis vmbra ſat eſt. Aſceticos tractatus continet eius auctoris, qui operibus aliis per me in lucem datis, meo typographeo lucem dedit. Vt amicitiæ veteri nonnihil indulgeret, rogatu meo Germanis typographis auidiſſime expetentibus eripuit, quos ſenior ſcripſerat, quo tempore ſcientia maturitatem eſt conſecuta. Cape igitur dicatum à me tibi triplex opus, propter varietatem doctrinæ in otio deteſtando in tractatu primo, dignum ſapientia tua: propter prudentiam ſcribendarum epiſtolarum, quā in ſecundo lectorem docet; congruens prudentiæ tuæ, qua congregationem vniuerſam monachorum Montis Oliueti religio-

gio-

gioſiſſimam rexiſti: denique ob religioſitatem tertij tractatus, conueniens religioſitati tuæ, qua pariter exemplo præluces ijs, quos gubernas. Vale diu. Mediolani è typographeo tuo potius, quàm meo, Cal. Nouembris 1622.

Patern. tuæ Reuerendiſs.

Seruus addictiſſ.

Io. Baptiſta Bidellius
Typographus.

Digitized by Google

SYLLABVS CAPITVM CVIVSQVE TRACTATVS.

Tract. I. de Otio &c. pag. 1

Cap. I. Quid ſit otium omnium calculis damnatum. 2

II. Incitamenta, quæ nos impellunt ad otium deſidioſum vitandum. 8

III. Remedia fugiendi fugandiq. otij damnati, 81

Tractatus II. de litteris &c. 104

Cap. I. Vſum epiſtolarum ingenij humani mirabile inuentum atque auctoris Naturæ donum eximium eſſe. 105

II. Cautiones adhibitæ ſcriptioni litterarum à magiſtris religioſis. 108

III. Vtile interdum ſcribere ac neceſſarium: vtilius parce ſcribere tribus potiſſimum generibus hominum. 127

IV. Monita vt ſcriptio ſit rara, prudens, ac religioſa. 149

Tract.

Tract. III. de amicitijs peculiaribus. 181
Cap. I. Quid ſit hæc amicitia damnata. 184
I I. Species amicitiæ huius cum fine atq. effectu cuiuſq. 195
I I I. Pernicioſæ ſunt hæ amicitiæ omnes communitati vniuerſæ, in qua tolerantur, idq. multis nominibus. 215
I V. Damnoſæ ſunt illis ipſis, qui ſeſe implicuerint in illas. 230
V. Refutantur ſex excuſationes & defenſiones obiectæ. 256
V I. Indicia latentis amicitiæ, vt à Superioribus & ſubditis deprehendantur. 285
V I I. Remedia pro Superioribus ad amicitias exterminandas. 303
VIII. Cautiones pro ſubditis, ne capiantur liberi, & capti liberentur. 317
I X. Vtrum in Religionibus amicitia vlla permitti poſſit, & qualis. 334

DE INERTI OTIO FVGIENDO FVGANDOQ.

A quibuſuis Religioſis viris & ſtudioſis Chriſtianæ perfectionis.

TRACTATVS ASCETICVS I.

1 TAM acris & frequens eſt inertis otij deteſtatio, qua philoſophi morales, priſci doctores Chriſtianorum, & cuncti magiſtri virtutis, tum religioſos viros, quibus perfectionis comparandæ impoſita lex eſt; tũ Chriſtianos omnes, quibus animæ ſalus curæ debet eſſe, deterrent ab otiando: tam vehemens & ardens cohortatio eorumdem, ad aliquam honeſtam occupationem in omni parte vitæ ac temporis retinendam eoſdem extimulat; vt me cupiditas inflammata corripuerit coegeritq. ad ſcribendum tractatum de inerti otio fugiendo fugãdoq. ſtrenue, omnibus hominibus, quibus æterna ſalus cara eſt, non modo perfectio virtutis in opta

tis. Tria capita eſt habiturus. Primo quæretur quid ſit hoc otium omnium calculis damnatum. Secundo recenſebuntur duodecim incitamenta, quæ Chriſtianos atq. in primis Religioſos impellunt ad otium vitandum. Tertio præſcribentur remedia, quibus deſidioſum damnatum otium fugiatur & fugetur.

CAP. I. *Quid ſit otium omnium calculis damnatum.*

Henr. Arph. l. 1. de myſt. Theol. c. 35. 1 HEnricus Arphius in myſtica ſua Theologia, triplex otium reperiri animaduertit, *Operis, oris, cordis*. De oris otio, quod eſt ſilentium, adeo copioſe diſputatum eſt in aſcetico commentario regulæ XXVI. communium; vt nihil hoc loco dicendum videatur. Otium operis ſeu manus, & otium cordis ad præſentẽ pertinent diſputationem. Cuius gratia notet lector apud veteres patres, magiſtroſq. ſpiritualis vitæ, otij nomen duplicem habere ſenſum: alterum bonũ ac ſanctum; alterum malũ ac vitioſum. Vtrumq; ſimul attigit B. Ægidius S. Franciſci Aſſiſinatis ſocius inter apophthegmata: *Sicut malum otium ad mala omnia perducit; ita ſancta quies & bonum otium in cælum adducit*. Otium priore ſenſu, id eſt bono, in Dei rerumq. diuinarum contemplatione, ſui ipſius conſideratione, ac veritatis indagatione poſitum, inuenio laudatum. S. Auguſtinus in libro vndeuigeſimo de Ciuitate Dei, ſæpe aſſignat tria genera vitæ, otioſæ, negotioſæ ac mixtæ. Primam illam otioſam conſtituit *in contemplatione vel inquiſitione veritatis*; opponitq. negotioſæ, quæ in rebus humanis publiciſq. gerendis poſita eſt. Atq. hoc otium appellat, *eruditum, litteratum, laudabile, ſanctum*; extatq. de eo hæc ipſius

Aſc. cõm. reg. 26. comm.

B. Aegid. in dictis, §. de quinque cord. ſolicitud.

S. Aug. l. 19. de ciu. c. 1. 2. 19.

ipſius pronuntiata: *Nec ſic quiſq. debet eſſe otioſus, vt in eodem otio vtilitatem non cogitet proximi. In otio non iners vacatio delectare debet, ſed aut inquiſitio, aut inuentio veritatis*, Et; *A ſtudio quærendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium.* Item; *Otium ſanctum quærit charitas veritatis; negotium iuſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis.*
Præterea ſcribens ad Eudoxium abbatem mo-
nachorum inſulæ Capraríæ, vitam monaſticam Id. ep. 81.
appellat otium, ſuadetque ne illud Eccleſiæ ne- ab abb. ca
ceſſitatibus præponat. Denique in libro de ve- prariæ.
ra religione, reſpiciens pſalmum 45. vbi nos ha- Id. l. de ve
bemus, *Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus,* ra relig. c.
ipſe vero legit: *Agite otium & agnoſcetis* &c. *A-* 35.
gite otium, inquit, *& cognoſcetis, non otium deſi-* Pſ. 45. 11.
diæ, ſed otium cogitationis, vt à locis & temporibus vacetis. Eumdem pſalmi locum explanantes
Sanctus Baſilius & Euſebius in catena Græca, S. Baſ. in
obſeruant vacationem & otium, ad Dei cogni- pſ. 45. cat.
tionem eſſe neceſſarium, vel ipſi Pharaoni per- Græca pſ.
ſuaſum fuiſſe; qui Populo Iſrael exprobrans dice- 45.
bat: *Vacatis otio, & idcirco dicitis: Eamus & ſa-* Ex. 5. 17.
crificemus Domino. Elias quoque Cretenſis idem El. Cret. in
prophetæ dictum conſiderans, ad Dei cognitio- or. 3. Naz.
nem requirebat vacationem, ſiue *Otium ſanctum*, nu. 9.
vt loquitur Card. Bellarminus: & inſuper ſex o- Card. Bellar. in pſ.
tij genera deſignabat in eã rem. Otium laude di- 45.
gnum ac fructuoſum in receſſu Sanctus Grego- S. Gregor.
rius Nazianzenus agnoſcit; ac de eo ſic in epiſto- Naz. ep. 32
la ad Baſilium ait: *Mihi vero maxima actio eſt* al. 27. ad
otium. Beatus Petrus Damiani Dei viſionem ap- Baſil. ep.
pellauit, *Feliciſſimæ quietis otium*. Sanctus Ber- 59. al. 53.
nardus in ſermone ad milites templarios, *Otium* ad Sophr.
ſanctæ contemplationis extra Bethaniam eſſe mi- Pet. Dam.
nime potuiſſe ſcribit. Et ad Eugenium Papam, opuſ. 13. c.
de ſui ipſius conſideratione differens: *Cui tam* 23.

S. Ber. ſer. ad milit. templi. c. 3
L. 2. de cõſid. c. 8.

 pio,

tis. Tria capita eſt habiturus. Primo quæretur quid ſit hoc otium omnium calculis damnatum. Secundo recenſebuntur duodecim incitamenta, quæ Chriſtianos atq. in primis Religioſos impellunt ad otium vitandum. Tertio præſcribentur remedia, quibus deſidioſum damnatum otium fugiatur & fugetur.

CAP. I. *Quid ſit otium omnium calculis damnatum.*

Henr. Arph. l. 1. de myſt. Theol. c. 35.

1 HEnricus Arphius in myſtica ſua Theologia, triplex otium reperiri animaduertit, *Operis, oris, cordis*. De oris otio, quod eſt ſilentium, adeo copioſe diſputatum eſt in aſcetico commentario regulæ xxvi. communium; vt nihil hoc loco dicendum videatur. Otium operis ſeu manus, & otium cordis ad præſentē pertinent diſputationem. Cuius gratia notet lector apud veteres patres, magiſtroſq. ſpiritualis vitæ, otij nomen duplicem habere ſenſum: alterum bonū ac ſanctum; alterum malū ac vitioſum. Vtrumq; ſimul attigit B. Ægidius S. Franciſci Aſſiſinatis ſocius inter apophthegmata: *Sicut malum otium ad mala omnia perducit: ita ſancta quies & bonum otium in cælum adducit*. Otium priore ſenſu, id eſt bono, in Dei rerumq. diuinarum contemplatione, ſui ipſius conſideratione, ac veritatis indagatione poſitum, inuenio laudatum. S. Auguſtinus in libro vndeuigeſimo de Ciuitate Dei, ſæpe aſſignat tria genera vitæ, otioſæ, negotioſæ ac miſtæ. Primam illam otioſam conſtituit *in contemplatione vel inquiſitione veritatis*; opponitq. negotioſæ, quæ in rebus humanis publiciſq, gerendis poſita eſt. Atq. hoc otium appellat, *eruditum, litteratum, laudabile, ſanctum*: extatq. de eo hæc ipſius

Aſc. cōm. reg. 26. comm.

B. Aegid. in dictis, §. de quinque cord. ſolicitud.

S. Aug. l. 19. de ciu. c. 1. 2. 19.

ipſius pronuntiata: *Nec ſic quiſq. debet eſſe otioſus, vt in eodem otio vtilitatem non cogitet proximi. In otio non iners vacatio delectare debet, ſed aut inquiſitio, aut inuentio veritatis*, Et; *A ſtudio quærendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium.* Item; *Otium ſanctum quærit charitas veritatis; negotium iuſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis.* Præterea ſcribens ad Eudoxium abbatem monachorum inſulæ Caprariæ, vitam monaſticam appellat otium, ſuadetque ne illud Eccleſiæ neceſſitatibus præponat. [Id. ep. 81. ab abb. capraria.] Denique in libro de vera religione, reſpiciens pſalmum 45. vbi nos habemus. [Id. l. de vera relig. c. 35.] *Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus*, ipſe vero legit: [Pſ. 45. 11.] *Agite otium & agnoſcetis* &c. *Agite otium*, inquit, *& cognoſcetis, non otium deſidiæ, ſed otium cogitationis, vt à locis & temporibus vacetis*. Eumdem pſalmi locum explanantes Sanctus Baſilius & Euſebius in catena Græca, obſeruant vacationem & otium, ad Dei cognitionem eſſe neceſſarium, vel ipſi Pharaoni perſuaſum fuiſſe; [S. Baſ. in pſ. 45. cat. Græca pſ. 45.] qui Populo Iſrael exprobrans dicebat: [Ex. 5. 17.] *Vacatis otio, & idcirco dicitis: Eamus & ſacrificemus Domino*. Elias quoque Cretenſis idem prophetæ dictum conſiderans, ad Dei cognitionem requirebat vacationem, ſiue *Otium ſanctum*, vt loquitur Card. Bellarminus: & inſuper ſex otij genera deſignabat in eã rem. [El. Cret. in or. 3. Naz. nu. 9. Card. Bellar. in pſ. 45.] Otium laude dignum ac fructuoſum in ſeceſſu Sanctus Gregorius Nazianzenus agnoſcit; ac de eo ſic in epiſtola ad Baſilium ait: [S. Gregor. Naz. ep. 32 al. 27. ad Baſil. ep. 59. al. 53. ad Sophr.] *Mihi vero maxima actio eſt otium*. Beatus Petrus Damiani Dei viſionem appellauit, *Feliciſſimæ quietis otium*, [Pet. Dam. opuſ. 13. c. 23.] Sanctus Bernardus in ſermone ad milites templarios, *Otium ſanctæ contemplationis* extra Bethaniam eſſe minime potuiſſe ſcribit. [S. Ber. ſer. ad milit. templi. c. 3] Et ad Eugenium Papam, de ſui ipſius conſideratione differens: [L. 3. de cõſid. c. 8.] *Cui tam*

pio, tamque vtili otio, nullam in vita operam dare; nonne vitam perdere eſt? Gillebertus Abbas, qui S. Bernardi commentarium continuauit in cantica, de lectulo ſponſi diſputans, in eo intelligit otium quoddam ab omnibus occupationibus liberum, accommodatum ad vſum amoris diuini: Inter alia hæc habet: *In otio & expeditur affectus, & non parum impeditur illi*. Et: *Vſuuenit, vt cum fuerimus otio eruditi, tunc ſentiamus acriorem morſum amoris diuini*. Quid quod L. Seneca otium quoddam laudabile naturæ ductu reperit? In fragmento de otio, ſeu ſeceſſu ſapientis, tria vitæ genera conſtituit; vnum voluptati vacans, alterum contemplationi, tertium actioni. Quod contemplationi vacat, otioſam vitam laudabiliter continet, de qua ſic loquitur: *Quo animo ad otium ſapiens ſecedit? vt ſciat ſe tum quoque ea acturum, per qua poſteris proſit*. Hoc otium, quo vir probus Deo ac ſibi vacat, vt ex productis teſtimonijs apparet, non ſolet dici abſolute otium, ſed cum aliquo additamento bonitatis ac ſanctitatis. Denique de eo recte pronuntiabitur ac vere Græcorum prouerbium, ad quod alluſit Nazianzenus: μεγίστη πρᾶξις ἀπραξία: *Magnum negotium otium*. Nam Sanctus Thomas Aquinas de ſtudio ſcripturæ dixit: *Quod otium magnum habet negotium:* qua formula Latini patres ſunt alicubi locuti. Poſteriore notione Otij nomen eſt vſitatius, & cum ſine laudabili additamento profertur, intelligitur otium vitioſum, iners, deſidioſum, malum. Nam interdum his quoque probroſis epithetis dedecoratur, quamuis crebrius ſine vllo adiuncto pronuntietur. De hoc Valerius Maximus, cum ait eſſe aliquod otium, *Quo euaneſcit virtus; etiam inertibus vitandum; ne vitam eneruem exigant*.

Gilleb. ſer. 1. in Can.

L. Sen. l. de otio aut ſeceſ. ſap.

S. Th. op. 17. c. 16.

Val. Max. lib. 8. c. 8.

Hinc

Hinc Sanctus Ambroſius à contemplatione Mariæ ſtudioq. ſapientiæ arcet infauſtum otioſi nomen, cum ait: *Agat te ſicut Mariam, deſiderium ſapientiæ. Hoc enim maius, hoc perfectius opus: nec miniſterij cura, à cognitione verbi cæleſtis auertat; nec arguas eos, & otioſos iudices, quos videas ſtudere ſapientiæ.* Bernardus Fratribus de Monte Dei monita præſcribens, otium quidem iners vitari iubet, ſed negat hoc nomen diuinarum rerum conſiderationi conuenire. *Nomen quippe tam ſuſpectum*, inquit, *& vanum & molle, rei tam certæ, tam ſanctæ, tam ſeueræ imponendum non eſt. Otioſum non eſt vacare Deo; immo negotium negotiorum omnium hoc eſt.*

S. Ambr. l. 7. in luc. c. 10. §. vlt.

S. Ber. l. de vita ſolit.

3 Otium igitur hoc deſidioſum & turpe, quod damnandum ducimus, ſic videtur poſſe deſcribi, vt dicatur: *Ceſſatio à quocumque negotio bono ac debito, carens neceſſitate, aut vtilitate.* Quoniam otium debitæ occupationis priuationem continet, ideo per ceſſationem deſcribo; quæ intermiſſio quædam eſt impoſiti miniſterij, debiti muneris vacatio, & laboris ac negotij priuatio. Vox ipſa negotij, quod opponitur otio priuationem quandam ſonat. Nam *Negotium* dicitur *Nec otium*, quòd neget ſe eſſe otium, vt ex Sancto Auguſtino & Iſidoro definitur in iure canonico, vbi explicantur verborum ſignificationes. Innui otioſum ceſſare ac feriari à quocumque negotio bono; quoniam intermiſſio mali negotij bona & laudabilis eſt. Quodnam malum negotium eſſe poteſt, quod non inuoluat peccatum? Bonum negotium intelligo, ſiue bonitate ſupernaturali, ſiue morali conditum: quoniam negotium morali bonitate delibutum, ad Deum tandem aliqua ratione à Chriſtianis refertur. Hinc priſci patres otioſum eum eſſe

S Aug. cõc. 1. in pſ. 70. S. Iſid. l. 15 orig. c. 15. c. forum. d. verb. ſign. iuncta Gloſſa.

decernunt, qui opus Dei facere prætermittit.
Imperfecti commentarij auctor Sancti Mat-
thæi: *Quis eſt ergo otioſus? qui opus Dei non opera-
tur.* Sanctus Gregorius Papa: *Recte otioſus re-
darguitur, quia fructum diuini operis non ſectatur.*
Docet quoque Sanctus Thomas ab otioſo præce-
pta prætermitti. Dixi prætereà otium eſſe vaca-
tionem negotij, non modo boni, ſed etiam debi-
ti: quia ſemper otioſus negligit & omittit nego-
tium debitum ex eo, quòd vel ſit impoſitum ab
aliquo ſuperiore, qui præcipere poſſit; vel præ-
ſcriptum ab aliqua lege, diuina, naturali, hu-
mana, Eccleſiaſtica, ciuili, religioſa, cui tunc pa-
rere debeat. Aſtipulatur mihi Sanctus Baſilius,
qui pertractans verba quædam Iſaiæ ſecundum
lxx.; *Ieiunium, & otium, & neomenias veſtras o-
dit anima mea:* quorum loco nos habemus: *Ca-
lendas veſtras & ſolemnitates veſtras odiuit anima
mea;* hæc habet: *Inter ea quoque, quæ odio proſe-
quitur Dominus, vnum hoc eſt, ſegne & iners otium,
nimirum ceſſatio ab his, quæ nos ex officio attinet fa-
cere.* Conuenit ex recentioribus magiſtris Al-
fonſus Salmeron noſter, qui ait, otioſum eſſe;
*Quiſquis ab eo, quod præſtare debet, ſemotus, alie-
na, quæ ad ſe minime ſpectant, curat.* Subieci ceſ-
ſationem otioſam carere neceſſitate, aut vtilita-
te: quia non eſt damnabile otium illud, quod
amplectitur ad tempus is, qui labores intermit-
tit, aut neceſſitate valetudinis conſeruandæ, quæ
nimia fatigatione læditur; aut vtilitate in ip-
ſa negotia redundante; quæ refectis ac redinte-
gratis per moderatam laborum intermiſſionem
viribus, alacrius & maiore contentione ani-
mi corporiſque repetuntur. Hoc *Non euaneſcit
virtus,* inquit Valerius, *Sed recreatur: hoc ſtre-
nuis quoque interdum appetendum, vt tempeſtiua labo-
ris*

Imperf. ho. 34. in Matt. 20.
S. Greg. hom. 19. in Euang.
S. Th. 2. 2 q. 35. ar. 4. ad 3.
S. Baſ. in c. 1. Iſ. 14.
Alf. Salm. t. 7. tr. 23. 5 22.
Val. Max. lib. 8. c. 8.

ris intermiſſione ad laborandum fiant vegetiores.
Ab vtilitate ac neceſſitate ſimul valetudinis tuen-
dæ ac virium reficiendarum orta ſunt magiſtro-
rum monita, vt diuturnæ agitationes mentis,
exercitatione corporis interrumpantur; vt ſtu-
dium vltra duas horas ne continuetur. Hinc
mos inualuit atque vſus relaxationis animi, ſeu
quietis in omnibus ſtudioſorum cœtibus, etiam
Religioſorum, ſtatis quibuſdam horis & diebus.
Vere quippe cecinit ille: Ouid.li.4. ep. 18.

Quod caret alterna requie durabile non eſt:
Hæc reparat vires, feſſaque membra leuat.

Neceſſariam requiem humanæ vitæ ſcripſit Ari- At.lib.4.
ſtoteles, quòd nequeant homines continenter eth.c.8. &
operari. Prouerbium circumferri tradit Sanctus l.10. c.6.
Ambroſius: *Quod velis prolixe facere, aliquando ne* S.Amb.l.3
feceris. Eandem neceſſitatem quietis & ceſſationis de uirgin.
demonſtrant ad defenſionem ſtudioſorum, & S. Th.2.2.
Religioſorum S. Thomas & S. Bonauentura. Vti q.168.ar.2
litatem aſtruit L. Seneca, vbi ait, animos meliores S.Bon.qu.
acrioreſque requietos ſurgere ad labores repeten- 9.in reg.S.
dos: quoniam ex Salomone, *Frequens meditatio,* Franc.
carnis afflictio eſt. Itaque reprehenſibile otium L.Sen.l.de
erit illud, quod exiſtet ex ceſſatione debiti mune- tranq. c.15
ris, ſine neceſſitate, aut vtilitate; cum nimirum Eccl. 12.
animus cum corpore in re minime neceſſaria, 12.
aut vtili conquieſcit, vt obſeruat Iacobus Alua- Iac. Alua.
rus noſter: ſiue res ea ſit ſomnus ſuperuacaneus, t.1.lib.5.c.
ſiue ludus inopportunus; ſiue vagatio ſuperflua; 37.
ſiue collocutio intempeſtiua; ſiue curioſa rerum
alienarum inueſtigatio; ſiue lectio poetarum inu-
tilium; ſiue ſtudium minus fructuoſum, quàm ſit
illud, quod eſt prætermiſſum. Conuenit hęc po-
ſtrema pars deſcriptionis, cum doctrina commu-
ni Theologorum è patrum antiquorum fontibus
hauſta, qua docemur otioſum verbum eſſe, quod

Tr. de cura min. 5. 43. neceſſitate, aut vtilitate caret; vt enucleate ſcripſi in tractatu de cura minimorum. Proinde maleferiatus & otioſus erit, qui neque occupatione neceſſaria, neque vtili diſtinebitur. Atque id etiam ex ſenſu philoſophorum; è quorum numero Socrates apud Xenophontem aiebat, otioſos eos eſſe Xenoph. l. 1. memor. qui melioribus relictis, res iocoſas & futiles agerent. Explicata deſcriptione otij, veniamus ad incitamenta ſecundo capite comprehenſa.

Cap. II. *Incitamenta quæ nos impellunt ad otium deſidioſum vitandum.*

4 DVodecim incitamenta referam hoc capite, quibus non modo Religioſus, ſed etiã Chriſtianus quiuis extimulatur ad otium iners ac vitioſum execrandum; vnde fuga, & expulſio tam noxiæ rei conſequitur.

Incitam. I. Scriptura Sacra.

PRimum erit auctoritas ſacræ ſcripturæ illud grauiter vituperantis, tum in veteri, tum in nouo teſtamento. Primum teſtimonium eſt Salomonis in prouerbijs: qui componens aſſiduum, Prou. 12. 11. ſtrenuumque agricultorem cum otioſo, prędicit illum futurum diuitem frugum ac fructuum cũ ait: *Qui operatur terram ſuam, ſatiabitur panibus.* Hunc vero ſegnem, vocat ſtultiſſimum his verbis: *Qui autem ſectatur otium, ſtultiſſimus eſt.* Hæc Ianſ. prou. 12. Infra nu. 20. ſtultitia, vt Cornelius Ianſenius obſeruat, in eo potiſſimum poſita eſt, quòd in egeſtatem præcipitat, vt poſtea ex eodem Salomone de- Turrec. tr. 113. in ca. 48. regu. S. Ben. monſtrabitur. Nec diſſentit Cardinalis Turrecremata, qui ex Hugone docet otio ſtultitiam gigni. Eſt autem ſtultitia ex Sancto Auguſtino,

Rerum appetendarum, & vitandarum, non qualibet, Hugo. l. 1. de ani. c.
ſed vitioſa ignorantia. Itaque non mirum eſt, otio- 44.
ſum ab hac ignorantia excæcatum (vt accidit Sā- S. Aug. l. 11.
ſoni otioſo) præcipitem labi. Atque hos locos per- & lib. 10.
tractans idem Cardinalis, *Bene,* inquit, *ſtultus eſt* c. 24.
otioſus, quia non declinat vitanda; ſtultior, quia non
deſiderat appetenda, nec colligit merita: ſtultiſſimus,
quia cumulat, & theſauriZat ſibi æterna ſupplicia.
Secundum teſtimonium eſt in Eccleſiaſtico, vbi Eccle. 33.
ſapiens patremfamilias monet, vt ſeruum aſſi- 28. 29.
duis operationibus occupatum detineat; quòd ip
ſius officiū ſit, laborare ac ſeruire: qui ſi, non paret,
adhibeātur cōpedes & tortura, quæ ſunt ſeuerio-
ra remedia. Præcipua ratio moniti eſt, ne ſe dedat
otio, quod eſt parens ac magiſter vitiorum.
Mitte, inquit, *illum in operationem, ne vacet; mul-*
tam enim malitiam docuit otioſitas. Quæ, quot, quā-
tauè mala & peccata doceat homines hæc perni-
cioſa magiſtra, intelligetur tum ex decurſu tracta
tus, tum ex poſtremis incitamentis, quæ damna Infr. n. 14.
peſtilenteſque fructus huius vitioſæ radicis lecto- & seq.
ri exhibebunt. Non minus exagitatur hoc vitiū
in nouo teſtamento, Saluatoris & Apoſtolorum
ore. Chriſti, quamuis humana & benignitatis ple
na, tamen reprehenſio eſt, acriſque obiurgatio il- Matt. 20. 7
la, qua caſtigat otioſos in parabola vineæ, patrem
familias introducens illis in foro ſtantibus hæc
grauiſſima verba dicentem; *Quid hic ſtatis tota die*
otioſi? Docemur, inquit Salmeron, *otium reprehenſi-* Salmer. t. 7.
bile eſſe. Receſitis poſtea malis eius partibus, ſub- tr. 13. § 11.
dit: *Recte proinde dictum eſt à quodam: Impoſſibile eſt*
ſemper nihil agentem bene agere. Hugo Cardinalis
hos otioſos ſic moraliter deſcribit: *Vobis nihil pro* Hug. Car.
ficientes, proximis non ſubuenientes, Deo non ſeruien in cap. 20.
tes, hoſtibus non reſiſtentes, pœnitentiam non agentes, Matt.
in poſterum non prouidentes. His verbis ad capita
reuo-

reuocantur omnia opera bona, quibus otium fugari queat. Auctor imperfecti commentarij in Imperfe. ho. 14. in Matt. Matthæum ſic locum illuſtrat: *An neſcitis, quia qui non operatur in hoc ſæculo, non manducat in illo? Et qui alijs manducantibus & bibentibus in hoc ſæculo operatur, in illo ſæculo, alijs ieiunantibus, ipſe non ieiunabit, ſed recumbet cum Abraham, & manducabit de prandio vitæ. Qui autem hic alijs operantibus ſtat otioſus, alijs recumbentibus in illo ſæculo, ipſe expelletur foras. Dies enim iſte, dies operationis eſt; dies autem ille, qui ſequitur, dies eſt feriarum.* Apoſtolus quoque doctor Gentium in viduis adoleſcentioribus otium execratur, tamquam cauſam & originem percurſationis, loquacitatis, curioſitatis. 1. Tim. 5. 13. *Simul autem & otioſæ diſcunt circuire domos: non ſolum otioſæ, ſed & verboſæ, & curioſæ, loquentes quæ nō oportet.* Ita ſcribit Paulus ad Timotheum: quibus verbis Religioſum otioſum, vel per alienas domos in vrbe, vel per alienas cellas in cœnobio vagantem ſuis coloribus depingit.

Incitam. II. Theologia.

5 SEcundum incitamentum ſit ſacra Theologia, quæ damnat otium eo nomine, quòd non ſit vacuum à culpa, quæ pullulat è ſex radicibus. Prima radix eſt quaſi quædam iniuſtitia, qua Religioſus otioſus labores impoſitos ac debitos deponit, & tamen paſcitur communitatis bonis, viuens quodam modo è manuum alienarum labore. S. Th. 2.2. q.187. ar.4 Doctrinam haurio de fontibus S. Thomæ; qui quærens vtrum liceat Religioſis ex eleemoſynis viuere, multa & ea præclara more ſuo docet: inter quę illa faciunt ad rem noſtram: *Si vero aliqui ſunt Religioſi, qui abſque neceſſitate & vtilitate, quam afferant, velint otioſi de eleemoſynis viuere, hoc eſt*

eſt eis illicitum. Hęc S. Doctor probatus à Thòma Th. Sã ch l.7. in dec c. 24. nu. 8.
Sanchez, qui complures alios in eandem ſenten-
tiam allegat. Qui reditus habent certos, etiam ex
eleemoſynis viuunt, quoniam ad ſubleuandam
egeſtatem dati ſunt. Quapropter ſiue viuatur in
monaſterio ex eleemoſynis quotidianis, ſiue ex ve
ctigalibus, quæ ſunt eleemoſynæ perpetuę atque
ſtabiles, illicite illis vtuntur otioſi; ex huius ma-
gni doctoris ſententia. Quod autem illicite fit,
peccatum eſt. Hinc Cardinalis Caietanus, quãuis Caiet. 2.2. q 187. ar. 4 ad 2. dub.
cenſeat, non obligari ad reſtitutionem Religio-
ſos, qui deſiſtunt à religioſis actibus debitis ex re-
gula; tamen non eos excuſat à peccato. Et pariter
culpabiles eſſe definit otioſos, qui pigritia & inui
gilantia in ipſis regnante, quaſi inutiles viuunt
in monaſterio, ex eius prouentibus. Nec aliter sẽ
tire putandus eſt Silueſter ex eadem doctiſſima Silu. Hora. 9. 3.
ſchola; qui laicos in Religione notabiliter negli-
gentes in exercitijs corporalibus, docet eſſe *in ſta
tu periculoſo*. Interrogatus de otioſis, eos non in
periculoſo ſtatu eſſe dicturus videtur, ſed in pec-
cato. Hoc peccatum otioſorum viuentium ex re-
ditibus monaſteriorum, idem Caietanus cũ aliis
ingratitudinem eſſe putat. At non deſunt alij do-
ctores, qui exiſtiment eſſe iniuſtitiam: inter quos
eſt Thomas à Ieſu diſcalceatus Carmelita in ex- Th. a Ieſu in regu. B. Alb. p. 4. tex. 2. dub. 5. concl. 3.
planatione regulæ B. Alberti. Videtur enim his
doctoribus fieri quidam cõtractus inter Religio-
nem & Religioſum; in quo illa promittit Reli-
gioſo neceſſaria vitæ conſeruandę: hic vero ſuum
munus exercere, ad quod ab Ordine deputatur.
Addunt alij videri quoque contractum inter do-
tantem bonis monaſterium, & ipſam Religionẽ:
in quo ille dat agros, domos, vectigalia, vt hæc In
ſtituti ſui miniſteria, docendi, concionandi, oran-
di, & ſimilia his exerceat. Qui ergo per otiũ hæc
mini-

miniſteria & opera omittunt & laborare recuſant, iniuſti ab his doctoribus reputantur. Non ego rem definio: ſed ſiue ingratus, ſiue iniuſtus ſit otioſus Religioſus, improbitate laborat, & culpæ reus eſt. Certe defraudat elemoſynarum datorē ſpe ac beneficio bonorum operum, quorum ſperabat & expectabat ſe participem futurum: cum probi Religioſi eas accipiant animo gratificandi largitoribus earum, per hāc bonarum actionum participationem. Huiuſmodi homines aptiſſime fucis comparantur, qui ſunt apes degeneres, & otioſæ, furtimque mella deuorant, quæ non colle gerunt: atque ab examinibus ob ignauiam ex apiario per vim expelluntur, vt ille ait.

Pl. li. 11. c. 17. Virg. l. 4. Georg. & lib. 1. Aen.

Ignauum fucos pecus à præſepibus arcent.

Th. Cātip. l. 2. apum. c. 10. Infra nu. 27. 29. S. Cyr. Al. l. adu. Anthropom. in præf.

Æquantur etiam muſcis ob eandem cauſam, prouerbio S. Franciſci, vt dicetur poſtea. Acriter S. Cyrillus Alexandrinus caſtigat monachos, quoſdam qui ſub prætextu orationis ignauiam ſuam tegentes, omiſſa labore manuū ſegniter otiabātur, & ex aliorum laboribus viuebant. Obijcit illis exemplum Apoſtolorum, qui & orabant, & manibus laborabant. Tum in eos hæc grauia verba iaculator, quæ in noſtros fucos & muſcas pariter conueniunt: *Conſultiſſimum eſt operari, ne alij ſis onери, alienos ſudores in priuatam tuam vtilitatem conuertens, cum poſſis tuis laboribus viduæ & pupillo ſubuenire, iiſque qui ex Fratribus ſunt infirmiores.* Secūda radix culpæ in otioſo eſt omiſſio. Cum enim ſeſe dat otio, neceſſario illud omittit, ſiue miniſterium, ſiue laborem, ſiue opus bonum ac debitum, quod in manibus habebat. Proinde tanta erit otioſi culpa in omittendo præſcripto ac debito miniſterio, quāta erat obligatio, qua tenebatur illud opus continuare iuſſu Maiorum, aut legis alicui⁹. Itaque ſi otiandi cauſa prætermittit horarum canoni-

nonicarum recitationem, violat Eccleſiæ legem, tamque grauem culpam contrahit, quàm grauis eſt omiſſio. Tertia radix culpæ eſt commiſſio ſequens omiſſionem. Non enim otioſus nihil plane agit, quod eſt impoſſibile; ſed aliquid agit, quod bonum haud eſt: nam ſi bonum ageret, otioſus non diceretur. Id autem quod agit non bonum, ſiue ſit ſomnus deſidioſus, ſiue vanum colloquiũ, ſiue inanis cogitatio, ſiue actio quæpiam inutilis, totum otioſum eſt, & culpa infectum, quia neceſſitate caret, aut vtilitate, vt eſt iam definitum. Supra n.3. Atque eadem eſt ratio locutionis, cogitationis, & operis in ratione otij. Quarta radix culpæ, eſt periculum peccandi, cui ſeſe obijcit otioſus. Quæ culpa grauiſſima eſſe poteſt, quamuis non grauis noxa ſit otium: quoniam euenire poteſt, vt per otium ſe conſtituat in morali proximoque periculo grauiter peccandi quod peccatum eſt, quemadmodum probatum eſt in tractatu de cura minimorum. Tr. de cura minim. num. 64. In otio vero proximum & maximum eſſe periculum & procliuitatem ad grauiter peccandum, intelligetur ex diſputatione, quæ non longo interuallo ſequetur, de malignitate otij, de peſtiferis eius effectibus; de facilitate prauarum cogitationum aſcendentium ex lacuna ſenſus in corda oſcitantium & otioſorum. Infr. n.24. & ſeq. Quapropter à magiſtris ſpiritualis vitæ dicitur otioſitas malorum omnium origo, nutrix, & magiſtra. Quinta radix peccati, ſcandalum eſſe poteſt. Aſſerit id S. Doctor Aquinas, S. Th. 2.2. q. 187. art. 4. ad 5. vbi docens ſcandalum merito vitandum, inijci ab ijs, qui ſine euidenti neceſſitate & vtilitate viuerent ex eleemoſynis, nec tamẽ laborarent, infert hanc doctrinam: *Idem tamen ſcandalum imminere poteſt ijs, qui facultatibus communibus otioſe viuunt.* Videtur à natura eſſe dictatum illud Pauli: 1. Theſ. 3. 10. *Si quis non vult operari, nec manducet.*

ducet. Sexta & poſtrema culpæ radix, eſt cognatio, quam habet otium cum Acedia, quæ natura ſua peccatum letiferum eſt, vt docet idem S. Thomas, & cum eo meliorum Theologorum ſchola. Veniabile fit ex imperfectione actus minus deliberati, vt cetera, quę ſunt grauia genere ſuo. Porro filiã Acedię ſtatuit otioſitatẽ S. Iſidorus relatus à S. Thoma, & probatus ab Ioanne Gerſone. Qui Thomas concilians S. Gregoriũ cũ Iſidoro, in aſſignandis Acedię filiabus, ait, *Otioſitas autẽ & ſõnolẽtia* (tributę ab Iſidoro Acedię) *reducũtur ad torporẽ circa præcepta, circa quæ eſt aliquis otioſus, omnia ea prætermittens, & ſomnolentus ea negligenter implens.*

S. Th. 1. 2. q. 35. ar. 3. & 4. S. Iſid. l. 2. ſent. c. 37. Gerſ. p. 2. compen. Theol. tr. de 7. vit. capit. 6. de Aced.

Ob hanc propinquitatem & connexionem Caſſianus in libro decimo inſtitutionum, qui de Acedia inſcribitur, ſæpe digreditur ad vituperandum exagitandumq. otium: ac filium eiuſdem declarat eſſe, cum ait: *Ad omne quoque opus, quod intra ſepta ſui cubilis eſt, facit deſidem & inertem.* Præterea docet ex Acedia ſomnum exiſtere diuturnum, viſitationes & collocutiones ſuperuacaneas, peregrinationes longinquas & inutiles; atque alia eiuſmodi, quæ ſunt occupationes amantium otioſitatem; quas collegit Bernardinus Roſignolius noſter, exiſtimans quoque Acediam otioſitatis eſſe parentem. Similia fere ſunt, quæ docet Ioannes Climacus in gradu 13., qui de Acedia inſcribitur. Nilus libello de octo principalibus vitijs, ſub nomine Acediæ; & Euagrius ad Anatolium ſcribens de eodem argumento, ſub nomine Deſidiæ ijs affinia tradunt. At quis ignorat deſidioſum eſſe germanum fratrem otioſi, vel etiam ipſum otioſum? Acediæ vero filiam otioſitatem, iam probaui.

Caſſ. l. 10. c. 2. & ſeq. Roſign. l. 2 de diſcipl. c. 18. 19. Clim. gr. 13. Nil. de octo princ. vit. Euagr. l. de octo vitijs ad Anatol.

Incitam. III. Philoſophia moralis.

6 Tertium incitamentum eſt à philoſophia morali, quæ naturæ luminis ductu, ſemper & vbique gentium otium & otioſos dictis factiſq. damnauit. Inter ſalubria Pythagoræ dicta recenſetur à Plutarcho illud, *Chœnici ne inſideas*, quo ſignificari ait, ignauiam otiumq. fugiẽdum eſſe. Erat Chœnix, ex Diogene Laertio, eſca diurna; ſeu menſura cibi, quæ dabatur ſeruis in ſingulos dies, vt ex Homero probat collector, ſeu corrector adagiorum. Monebat recte ſeruum Pythagoras, ne accepto dimenſo, degeret deſidioſus; ſed potius per otij fugam, perq. laborem ab hero iniunctum, ſtrenue reſponderet accepto cibo diurno. Conſonat prouerbium ab Ariſtotele relatum, *Nullum otium ſeruis.* Cato ſenior dicere ſolebat, eſſe tria, quorum ſe, & quemlibet hominem prudentem pœniteret: Secretum mulieri crediſiſſe; nauigaſſe, quo pedibus iter confici poſſet: & diem vnum otio perdidiſſe. Hæc poeta quidam ſæculo proximo non ineleganti tetraſticho comprehendit:

Plut. l. de educ. libe. Diog. La-er. l.8. in Pythag. Man. in adag. col. 24. Ar. h7. polit, c. 45. Plut. in Cat. ſen. Man. l. 5. apoph. 5. cato. n. 40.

Pœnituiſſe trium fertur Cato. Si qua fuiſſet
Femina conſilij conſcia forte ſui.
Si qua dies horis tranſiſſet inertibus; & ſi
Terreſtri aquorum præpoſuiſſet iter.

Refert S. Iſidorus Peluſiota, Pittacum Mitylenæum, qui rex erat, & numeratus eſt inter ſeptẽ Græciæ ſapientes, manibus ſuis piſtrinum extruere ſolitum, vt otium vitaret. Plato diſcedens è diſputatione, monere conſueuerat diſcipulos eiuſmodi verbis: *Videte pueri, vt otium in re aliqua honeſta collocetis.* Significabat, inquit, Paulus Manutius, omnia male doceri adoleſcentes ab otio.

S. Iſid. Peluſ. l. 1. ep. 470. Manut. in apophth. Plat. n. 14.

L.Se.

L. Seneca copioſus eſt, & merito, in otio exterminando. Cohortans amicum in epiſtola prima, ad colligendum ſeruandumque tempus: *Turpiſſima, inquit, iactura eſt, quæ per negligentiam venit. Et ſi volueris attendere, magna vita pars elabitur male a gẽtibus, maxima nihil agẽtibus, tota aliud agentibus*. M. Antonius Muretus & Iuſtus Lipſius expendentes hoc dictum, nihil agentes eos intelligunt eſſe, qui otio & ignauia marcent. Celeberrimum eſt eiuſdem Philoſophi ſcitum: *Otium ſine litteris mors eſt, & hominis viui ſepultura*. Concordat Curij Dentati dictum ab eodem Seneca relatum, aſſerentis, *Malle eſſe ſe mortuum, quàm viuere*: hoc eſt, vt explicat Lipſius, Malle ſe re vera eſſe mortuum, quàm inter viuos agere mortuum, hoc eſt otioſum: de quorum genere hominum Lucretius itidem.

I. Sen. ep. 1. — Muret. & Lipſ. in ep. 1. Sen. — I. Sen. ep. 82. — Id. l. de tranq. c. 3 nu. 137.

Mortua cui vita eſt, prope iam viuo atq; videnti.

Lucr. l. 3.

Idem Seneca diſſerens de breuitate vitæ, ac deteſtans iners otium eorum, qui tempus terunt in rebus inaniſſimis, in quibus enumerandis iucunde multus eſt, ait hoc eorum otium, non otium dicendum eſſe, ſed iners negotium; & ei, qui hoc otio marcet, aliud nomen imponendum eſſe, quàm otioſi. *Aeger eſt, inquit, immo mortuus eſt: ille otioſus eſt, cui otij ſui ſenſus eſt; hic vero ſemiuiuus* &c. Itaque Senecæ iudicio, qui non agnoſcit otium ſuum, æger, ſemiuiuus, mortuus eſt. His Senecæ verbis affine eſt illud Maximi Tyrij: *Omnino extra negotium eſſe, ad quem potius, quam ad mortuum pertineat?* Alia Senecæ dicta in Otij damnationem obſeruauit Thomas Cantipratanus: aliorum philoſophorum pronuntiata, vnde colligas vniuerſæ philoſophiæ ſenſum, habiturus eſt lector in decurſu tractatus, & potiſſimum in primo remedio, quod habet magnifaciendum eſſe

I. Sen. l. de breu. vitæ c. 12. 13. — Max. Tyr. 1. c. 9. — Th. Canti. p. l. 2. c. ... § 2.

ſe

ſe tempus, rem omnium pretioſſimam, quæ perdita recuperari non poteſt. Infra nu. 32. & ſeq.

Incitam. IV. Politia humana.

7 QVartum incitamentum eſt humana Politia, quæ legibus ac moribus otium exulare iubet à ciuitatibus ſuis ac regnis. Pharao rex Ægypti, vt me ſignificaſſe nemini, populo Iſraelitico lamentanti, quòd laterũ menſuram præſcriptam exigeret, & inſuper paleas colligere iuberet, reſpondit: *Vacatis otio, & idcirco dicitis: Eamus & ſacrificemus Domino*. Ex odio veri Dei ſanctæq. religionis loquebatur; ſed tamen otium quoq. ſe in populo abominari ſignificabat, quod in Aegypto ſedẽ haudquaquam habebat. Etenim Aegyptios & Indos ſecuti Atheniẽſes, ſingulis annis, ſtato tempore, ciues in iudicio ſiſtebant expoſituros, quo quæſtu, quauè arte viuerent, vt tradit Claudius Minoes. Otium fugabat à ciuibus ea ſalutaris inquiſitio, ſiue cõſuetudine, ſiue lege cõſtituta. Hoc æuo è quibuſdã bene tẽperatis ciuitatib. expellũtur poſt triduũ aduenę, qui nulla diſtinentur arte, aut honeſta occupatione. Exiſtimant enim ciues iſtiuſmodi homines otioſos, fore pernicioſos communitati; & iuuentuti opulentæ nominatim futuros quaſi venaticos canes ad voluptates inueſtigãdas, ſcelerum adiutores, flagitiorumq. adminiſtros. Lacedęmonij quoque nemini ciuium permittebant tempus, vel in otio, vel in rebus ludicris conſumere. Teſtis Aelianus, narrans in huius rei probationem edictũ admirabile. Cum Ephoris nunciatum eſſet ciues quoſdam deambulationibus pomeridianum tempus fallere, cum mandatis miſerunt ad eos, qui dicerent: *Ne deambuletis, vt genio indulgeatis potius, quàm vt corpus exerceatis*. Sardis quoq. lex

Sup n. 2. Ex. 5. 17.

Claud. Minoes in Alc. embl. 81.

Ael. l. 2. var. hiſt. c. 5.

Id. l. 4. c. 1.

erat expultrix, vt idem ſcribit, ignauiæ atq; ſocordiæ. Et qui otioſe viueret, oportebat eum rationem reddere vitæ ſuæ, atque vnde viueret, oſtendere. Refert Plutarchus ex aliorum traditione, Reges meliores fuiſſe in bellis & expeditionibus, quàm in ocio pacis. Producit Ateæ Scythæ dictum: *Se nihilo meliorem equiſonibus, ſi otiaretur*. Item Dionyſij maioris reſponſum, qui interroganti, an eſſet otioſus, reſpondit grauiter, ac ſapienter: *Abſit, vt hoc mihi vnquam contingat*. Priuatorum ciuium domus in ſe transferunt publicam legem vniuerſæ ciuitatis. Itaque boni patres familias in œconomia curant otium ex ædibus eliminari, munus aliquod aſſignantes ſingulis domeſticis, vxori, liberis, famulis, ancillis, ne vllus ex familiaribus panem comedat otioſus. Seneca ſæpe memoratus obſeruauit, hoc patres à matribus differre, quod hæ filios otioſos eſſe cupiunt, metuentes ne labor illis noceat: illi vero non patiuntur otiari. Verba do digna lectu, vt patres imitentur, qui liberos habent ſiue carne, ſiue ſpiritu generatos: *Non vides quanto aliter patres, aliter matres indulgeant? Illi excitari iubent liberos ad ſtudia obeunda mature: feriatis quoq. diebus non patiuntur eſſe otioſos; & ſudorem illis, & interdum lacrymas excutiunt. At matres fouere in ſinu, continere in vmbra volunt, numquam flere; nũquam triſtari, numquam laborare*. Gymnoſophiſtæ ſapientes Indorum, nec aruum colere norunt, nec aurum colere, nec greges paſcere; ſed *Vnum pro his omnibus norunt*, inquit philoſophus quidã, *ſapientiam percolunt, tam magiſtri ſenes, quàm diſcipuli iuuenes. Nec quidquam æque penes illos, quam quod torporem animi & otium oderunt*. Probat id cõſuetudine præclara, per quam, menſa poſita, priuſquam apponantur edulia, conuocantur adoleſcen-

Plut. an ſeni ſit gerẽ. reſp.

L. Sen. l. de prouid. c. 2

Apul. l. flo rid.

leſcentes, interrogantur à magiſtris, quid ab ortu lucis, ad illud diei boni fecerint. Reddunt rationem ſuæ vitæ operumque cuncti. *Qui nihil habet afferre*, inquit idem auctor, *cur prandeat, impranſus ad opus extruditur.*

Incitam. V. Exemplum naturę ac Dei.

8 QVintum incitamentum eſt ab exemplo Naturę, atque architecti eius ſummi Dei, excludentis otium è ſuo regno æque atque vacuum. *Otium*, inquit Mercurius Triſmegiſtus, *in nullis Mundi partibus reperitur. Nomen profecto vanum eſt otium, tum ſecundum id, quod agit: tum ſecundum id, quod agitur.* Nullum corpus, ne cæleſte quidem, otioſum quieſcere Natura ſinit. Terram ſolummodo immotam eſſe iubet, vt cetera moueri poſſint, vel ad centrũ, vel à centro, vel circa centrum. Etenim opus erat aliqua re ſtabili ac fixa, vt motus localis fieret, cuiuſmodi conſtituti ſunt in cælo poli, & centrũ ſub cælo. Hinc Archimedes pollicebatur ſe loco moturum pede tellurem, ſi pedem alterum in immobili alia re figere potuiſſet, vt Syneſius & Plutarchus tradiderunt. Neque vero tellus ipſa, quæ pro centro corporibus reliquis ſubſternitur immobilis, dum illa mouentur, otioſa deſidet. Nam corruptionis & generationis motibus exercetur in extima potiſſimum parte, gignens animantes, plantas, metalla, gemmas. Hanc ob cauſam Natura definitur ab Ariſtotele, *Principium motus & quietis.* Quem magiſtrum reſpexiſſe videtur M. Tullius, cum ſcripſit: *Alij Naturam eſſe cenſent vim quandam ſine ratione cientem motus in corporibus neceſſarios.* De eadem dicere poſſumus illud Auſonij; *Otia neſcit.* Quinetiam

Mercur. Triſm. in Pœm. c. 11

Syneſ. l. de ſomnijs. Plut. in Marcello.

Ar. l. 2. phyſ. t. 3. Cic. l. 2. de nat. Deor.

corpora quædam otio corrumpuntur, quod in aqua B. Laurentius, & S. Chryſoſtomus obſeruauit, & in puteo S. Ambroſius: vnde ante hos doctores vulgatus verſus:

B. Laur. l. de grad. perfect. c. 9. S. Chryſ. ho. 35. in acta. S. Ambr. l. de vin. Naboth. c. 12. Ouid. l. 1. de ponto. eleg. 6.

Et capiunt vitium, ni moueantur aquæ.

Orbes cæleſtes cum ſuis aſtris in gyrum moueri, & eo motu, qui multiplex eſt, vt aſtronomi docent, otium abigere; nemo ſenſu oculorum præditus negare poteſt. Confirmat Salomon, cum ait: *Oritur ſol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem, luſtrans vniuerſa in circuitu, pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur.* Ne angeli quidem exuti corpore in otio ſunt. A quibuſdam moueri orbes cæleſtes in gyrum philoſophi cognouerunt, & Theologi non diſſentiunt. Ab Apoſtolo Paulo dicuntur *Omnes adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hereditatem capiēt ſalutis.* Quo loco inter alia S. Chryſoſtomus: *Nobis laborant, propter nos diſcurrunt, nobis ſuo funguntur officio: hoc eſt eorum miniſterium, vt propter nos vbique mittantur.* Idque probat longa inductione petita ex vtroque teſtamento. Nec deſunt nobiles Theologi etiam è Schola S. Thomæ, qui negāt dici poſſe, angelos eſſe in aliquo loco, niſi in eo aliquid agant & operentur. Auctor ſermonum ad Fratres in Eremo, fugam otij obſeruat eſſe quoque in animantibus, non tantum in aſtris ceteriſque corporibus inanimatis. Equidem cum Sācto Baſilio, Ephrem, Cyrillo Ieroſolymitano, Antiocho & alijs mittam ſocordes Chriſtianos, & deſides Religioſos ad duo genera animantium, quæ vitam cœnobiticam referunt, & in ſacra Scriptura laudantur hominibuſque deſidioſis in exemplum imitabile proponuntur. Ea ſunt formica & apis, quæ inter animantes otium inſigniter

Ar. l. 9. met. t. 17. Eccle. 1. 5. 6. S. Th. 1. p. q. 70. art. 3. Heb. 1. 14. S. Chr. ho. 3. ad Heb. Capr. 2. d. 2 q. 1. art. 1. concl. 1. Auct. ad fratr. in Eremo. ſer. 15. S. Baſil. in c. 1. Iſa. S. Ephr. t. 2. ſermo. Aſcetico. S. Cyr. Ieroſo. cat. 9. B. Antioc. hom. 36.

ter

ter oderunt. De formica Salomon in prouerbijs: Prou. 6. 6.
Vade ad formicam, o piger, & conſidera vias eius, &
diſce ſapientiam. Commendatur eo loco beſtiolæ
huius in primis prouidentia & cura cibi compa-
randi in hiemem; ſed non omittitur laus otij vi-
tandi, vt notat Ianſenius, cum obijcitur in exem- Ianſ. Pro. 6.
plum pigris & otioſis. Malchus monachus, cuius S. Hier. in
vitam S. Hieronymus ſcripſit, in captiuitate poſi- vita Malchi.
tus, intuens formicarum gregem, ſumma ſolertia
naturalique charitate laborantem, recordatus
moniti Salomonis, faciem in eo recognouit mo-
naſterij, quod fuga repetere conſtituit. S. Baſilius S. Baſi. ho.
in hac beſtiola miratur odium otij, cum ait: *Non* 9. Hexaem.
quòd hiemis incommoda nondum adſunt, otioſa tem-
pus traducit, ſed inceſſabili quodam intentoque ſtudio
legendi ſemina tantiſper incumbit, dum ſufficiens
alimentum in cellulis ſibi recondat. Plinius lau- Pl. l. 11. c.
dans formicæ laborem, ſedulitatem, diligētiam, 30.
attingit quoque fugam otij, quod cum diligenti
ſeduloque labore ſtare non poteſt. Præſertim Id. l. 2. c. 41
cum ſæpe notet in interlunio tantum quieſcere, L. 11. c. 30.
quæ ceſſatio breuiſſima eſt; ſed laborare in no- l. 18. c. 29.
ctibus quoque plenilunij. Mittunt pariter nos
ad apem Græci patres, quòd in prouerbijs apud Pro. 6. iux.
lxxij. interpretes legant hæc verba, quæ abſunt 70. S. Hier. in
ab Hebraicis codicibus Sancto Hieronymo teſte, c. 3 Ezech.
atque ab editione Latina vulgata: *Aut vade*
ad apem, & diſce quàm ſit operaria, quàmque ſeriam
operationem exerceat: &c. Hunc locum reſpe-
ctans idem doctor, vitæ monaſticæ formam
Ruſtico deſcribens; *Monaſteriorum,* inquit, *or-*
dinem ac regiam diſciplinam in paruis diſce corpo- Id. ep. 4. ad
ribus. Inimica otij auicula eſt, quæ fucum Ruſtic.
arcet, pigras & ignauas apes proturbat, vt
poſt Virgilium & Plinium antea productos, Supra. n. 5
obſeruat Sanctus Ambroſius: qui locum eumdem S. Amb. l. 5. in Hex. aem. c. 21.

B 3 expen-

expendens ait: *Mittit vtique te, vt apicula illius ſequaris exemplum, imiteris operationem. Vides quàm laborioſa, quàm grata ſit.* Labor otium extrudit aſſiduus, quem in eis nos imitari iubet Ambroſius. Iam vero aſcendamus ad Deum Naturæ architectum, qui in ſummo ſuæ beatitudinis otiò, non eſt otioſus, Chriſto ipſo teſte: *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor.* Mercurius Triſmegiſtus hoc ipſum enuntiauerat ante Chriſtum, quamquam non eodem plane ſenſu: *Neque otioſus*, inquit eſt Deus: *nam otioſa forent omnia: cuncta ſiquidem Deo plena ſunt.* Poſt eos Philo differens de die ſeptimo, quo Deus dicitur requieuiſſe *ab omni opere, quod patrarat*; hęc enuntiat: *Requieſcens à mortalibus operibus, alias diuiniores formationes incipit. Numquam enim Deus operari deſinit, ſed ſicut eſt proprium ignis vrere, & niuis refrigerare, ita Dei quoque operari: idque multo magis eo, quòd ipſe alijs etiam rebus omnibus operandi auctor eſt.* At Chriſtiani doctores agnoſcunt in Deo operationē, quæ eſt in Mundo gubernando, conſeruandis creaturis, iuuandis miro modo naturalibus agentibus, vt ſuos producāt effectus. Non enim ſeptimo die requieuit, niſi à condendis ex nihilo nouis integris creaturis, vt docent B. Alchuuinus, Sanctus Thomas Aquinas, Benedictus Fernandius & alij geneſis explanatores, ſecuti veteres magiſtros Eccleſiæ. Hinc S. Chryſoſtomus: *Operationem continentem ſuam prouidentiam nobis declarat; & operationem vocat conſeruationem factorum.* Sanctus Auguſtinus: *Continuationem quandam operis eius, qua vniuerſam creaturam continet atque adminiſtrat oſtendit.* Finio incitamentum Tertulliani dicto ſubobſcuro quidē, ſed quod facit ad rem noſtram, ſignificans otium eſſe incognitum diuinæ naturæ: *Non poſſe quid,*

Io. 5. 17.

Merc. Triſmeg. in Poem. c. 11

Philo l. 1. alleg. legis

B. Alchuu. interrog. 1 in Geneſ.

S. Th. 1. p. p. q. 73. ar. 1 ad 3. & ar. 2. ad. 1.

Ben. Fern. in c. 1. gen ſect. p. n. 7.

S. Chryſ. hom. 10. in gen.

S. Aug. l. 4 de gen. ad lit. c. 12.

Tertull. l. 1 adu. Marc c. 22.

Deo non licet, ne dum naturalibus ſuis fungi: quæ ſi continentur quo minus currant, naturalia non erunt. Et otium enim ſui natura non nouit: hinc cenſetur, ſi agatur. Si nec noluiſſe videbitur exercere bonitatem interim naturæ nomine. Natura enim ſe non poteſt nolle; quæ ſe ita dirigit, vt ſi ceſſauerit, non ſit.

Incitam. VI. Hominis inſtitutio naturalis.

9 SExtum incitamentum, idque vehementiſſimum ad vitandum otium, eſt hominis cōditio, ſiue inſtitutio, qui natus factuſque eſt ad laborem otio plane contrarium, ſiue illum in innocētiæ ſtatu ſpectes, ſiue in ſtatu peccati; proinde vetat nos eſſe otioſos. Et quod attinet ad ſtatum illum priorem ante peccatum, habemus clariſſima verba geneſis; vbi Deus Adamum omnium noſtrum parentem, *Poſuit in paradiſo voluptatis, vt operaretur & cuſtodiret illum.* S. Baſilius iu conſtitutionibus monaſticis producit hunc locum, ad commendandam Religioſis otij fugam, & laboris amorem: *Neque*, inquit, *eo conſilio Dominus hominem finxit, vt ſegnis ac languens deſideret; ſed contra potius, vt eſſet, qui ſe in laboribus honeſtis exerceret: quandoquidem & primum in paradiſo Adæ præcepit, vt laboraret, & paradiſum ipſum cuſtodiret; & tum deinde poſtquam ex eo ille eiectus exulauit, ſententiam tulit, vt pane ſuo in ſudore vultus ſui veſceretur.* Addit ſententiam hanc ad omnes Adami poſteros eſſe deriuatam. Conuenit inter patres & loci huius expoſitores operationē illam Adamo præſcriptam, futuram fuiſſe (ſi perſeueraſſet in innocentia & perſtitiſſet in paradiſo voluptatis) iucundam, & ſine vlla fatigatione. Sanctus Chryſoſtomus: *Dederat itaque occupationem quandam, quæ neque dolorem, neque moleſtiam*

Gen.2.15. S.Baſil. cōſtit.mon. c.5.

S. Chryſ. hom.14. in geneſ.

 afferre.

S. Aug. l. 8. de gen. ad lit. c. 8. *afferret*. Confirmat S. Auguſtinus *Non erat laboris afflictio, ſed exhilaratio voluntatis*. Sanctus S. Ber. ſer. ſer. 4. hebd peno ſa. Bernardus: *Duo nobis in hereditatem reliquerat ille vetuſtus Adam, laborem videlicet & dolorem: laborem in actione, dolorem in paſſione. Non hoc ipſe audierat in paradiſo, quem acceperat, vt operaretur & cuſtodiret illum. Operaretur delectabiliter, cuſtodiret fideliter & ſibi et poſteris ſuis*. Illud autem in rem noſtram apprime notandum eſt, obſeruatum à Be-Ben. Fern. in gen. c. 2 ſect. 6. n. 4. nedicto Fernandio noſtro, voluiſſe Deum ab Adamo vitari otiũ, quod in illo ſtatu locoq. felici, aut ſolũ, aut præ ceteris periculis metuendum videbatur: proinde iucundum laborẽ illi fuiſſe iniunctũ. S. Baſilius in verbis iã deſcriptis inſinuat. S. Chryſoſtomus liquido docet, cum ait: S. Chryſ. hom. 14. in Gen. *Ne immodica proſperitate homo inſoleſceret (omnem enim malitiam docuit otiũ) præcepit Deus, vt operaretur*. Et paulo poſt: *Si enim omnis laboris fuiſſet expers, protinus ex multo otio in ignauiam prolapſus eſſet*. Philo. l. Addit Philo alteram cauſam huius operationis, vt *Quia primus homo lex erat futurus poſteritatis, ideo legitimi etiã in paradiſo ſpeciem ſuſcepit laboris, vt nos ad operationẽ et cuſtodiã debiti officij, et hereditariæ ſucceſſionis munus adſtringeret*. Hęc ſatis de ſtatu innocentiæ.

10 Eiectus Adam de paradiſo propter peccatũ, & in ſtatu corruptæ naturæ conſtitutus, retinuit naturalem ſuam conditionem, qua conditus fuerat ad laborẽ, ſed, vt alia multa, vitiatã, Operatio in laborem commutata eſt; labor iucundus in fati-Gen. 3. 17. 19. gationem, ſimul ac pronuntiata eſt illa iuſtiſſima ſententia: *In laborib. comedes ex ea* (terra) *cũctis diebus vitæ tuæ*. Et: *In ſudore vultus tui veſceris pane*. Accepit quidem hereditatem laboris, ſed oneratã Pro. 16. 26. fatigatione, ſudoribus, ęrumnis. Accedit Salomon Ferd. Sa laz. in pro 16. n. 103. in prouerbijs: *Anima laborantis laborat ſibi; quia compulit eum os ſuum*: hoc eſt, vt ex Beda colligit

Fer-

Ferdinandus de Salazar noſter;Os,quod vetitum fructum comedit contra Dei præceptum, coegit hominem, vt ſibi victum pararet per laborem; quem magnum eſſe atq. ærumnoſum, & omne otium excludentem ſignificat iteratio verbi *Laborantis laborat*. Conſonat dictum Eliphaz Themanitis apud Iobum: *Homo naſcitur ad laborem; & auis ad volatum*. Ad quæ verba exclamat Auguſtinus Steuchus: *Inciſa eſt lex in natura, & à Deo poſita, vt ad labores veniremus*. Itaq. multo magis in hoc ſtatu naturæ lapſæ labor hominis propri9 eſt, otiũ alienũ. Id enim ſignificant hæc Eliphazi verba: ſiue intelligas hoc ſenſu, vt naturale ſit homini, victus quærendi gratia laborare, quemadmodum auium volare ob eãdem neceſſitatẽ: ſiue hoc, vt homo natus ſit ad laborẽ, ſicuti auis ad otium, quæ volitat cantando, & ſine ſuo labore ſerẽdi aut metendi, aut in horrea cõgregandi paſcitur à Deo ſenſus vterq. ab Ioanne Pineda noſtro ex antiquis patribus expreſſus facit ad probationẽ poſitionis noſtræ, otiũ ab humana natura corrupta eſſe alieniſſimũ. Confirmatur auctoritate veterum doctorũ. S. Baſilius in Iſaiæ commentario. *Primũ igitur & maxime proprium humanæ conditioni ſtudium eſt, vt operetur; ita vt iners otium ſit propemodum præter hominis naturam*. S. Chryſoſtomus de primo parente diſſerens: *Sudores illi & labores adiecit: nihil enim minus otio & quieti natum eſt, quàm hominis natura*. Et in commentario actuum apoſtolicorũ, vbi definiuiſſet otioſum eſſe telluris inutile pondus, & ſib ipſi ærumnoſum, ait pro ratione: *Animæ natura eſt, vt ſemper moueatur & quieſcere nequeat, Deus hoc animal condidit operationibus deditum; & ex natura eius eſt operari, & præter naturam eius eſſe otioſum. Nihil vacatione moleſtius, nihil otio. Ideo neceſſitatem indidit operandi nobis Deus. Omnia*

Iob. 5. 7.

Aug. Steuch. in Iob. 5.

Io. Pin. in Iob. c. 5. ver. 7. n. 6.

S. Baſ. in c. 1. Iſaiæ.

S. Chryſ. h. 1. de Prou.

Id. hom. 35. in acta.

Procop. in c. 3 gen. *enim ab otio damna accipiunt*. Huc ſpectat Procopj Gazæi dictum: *Nihil aque infeſtat humanum animum, atque otium*. Quæ naturæ ſunt conſentanea, non eam vexanr, ſed iuuant & delectant; quo fit vt naturæ noſtræ inimicum cenſendum ſit otiũ, à quo infeſtatur. Theophylactus probans ab Apoſtolo per ataxiam, hoc eſt in ordinationem intelligi otium, in epiſtola poſteriore ad Theſſalonicenſes, ita ſcribit: *Sic namque res mortalium habet. Deus poſuit hominem ad laborem, artuſque ad hoc effinxit. Quo circa, qui otioſus eſt, ab ordine ſuo deficit & creatione.* Sanctus Bernardus: *Neque enim ad hoc de paradiſo voluptatis animaduerſio diuina eieciſſe videtur, vt alterum ſibi hic paradiſum adinuentio humana pararet. Homo ad laborem natus, ſi laborem refugit, non facit ad quod natus eſt, ad quod venit in Mundum. Quid reſpondebit ei, qui miſit eum, qui inſtituit, vt laboraret?* Qui plura cupit ad probandum laborem homini conuenire, qui tantopere nobis in vtroque teſtamento commendatur à Saluatore in parabola de operarijs conductis ad colendam vineam, atque ab apoſtolis inculcatur, legat Sabaſtianum Barradam in explanatione parabolæ prædictæ. Cum Scriptura ſacra conſonat philoſophia, quemadmodum vmbra cum corpore congruit: quamuis alicui diſſentire videatur. M. Tullius ex Ariſtotelis ſententia poſteris ſcriptum reliquit: *Hominem ad duas res, intelligendum & agendum eſſe natum, quaſi mortalẽ Deum.* L. Seneca poſt eum: *Natura nos ad vtrumque genuit, & contemplationi rerum & actioni.* Si ad actionem procreatus eſt homo, ſine negotio, quod otium animæ inimicum fugat, ſtare non poteſt. Nec meam poſitionem euertit, quod aſſerant fictum à natura hominem, etiam ad intelligendum & contemplandum; quoniam id ſine nego-

Theophyl in 2. Theſſ 3.

S. Ber. ſer. Ecce nos reliq.

Seb. Barra. t. 3. l. 5. c. 17.

Cic. l. 2. de finib.

L. Sen. l. de otio ſap. c. 31. 32.

negotio & agitatione mentis minime fit. *Ne cõtemplatio quidem ſine actione eſt*, ait idem Seneca. Dicitur quidem communiter Otium, hæc mentis occupatio, ſi cum actione corporis componatur, ſed cum additione vocatur otium litteratũ, ſeu litterarium. Cum inerti otio collatum, vere magnũ negotiũ eſt, vt Sãcti Doctores Gregorius Nazianzenus, Bernardus, & Thomas de contemplatione rerum diuinarum pronuntiarunt. Hinc iure Salomon inueſtigationem rerum, quæ ſub ſole fiunt, *Occupationem peſſimam* appellauit, hoc eſt laborioſam, atque vt notat Lorinus noſter, indigam laxamenti, refertq. in eius rei probationem Auſonij diſtichon: Sup. n.2. Eccleſ. 1. 3 Lorin. Eccleſ. 1. Auſon. Edyll. 32.

Et ceſſare licet: Graio ſchola nomine dicta eſt,
Iuſta laboriferis tribuantur vt otia Muſis.

Quantum ſit negotium otij ſpiritualis ac litterarij, colliget lector ex neceſſitate alicuius relaxationis animi, & quietis, quam philoſophi, ſancti patres, magiſtriq. ſpirituales præſcribunt ijs, qui contemplationi diuinarum & humanarum rerũ ſtudent. Poſtremo quod Ariſtoteles docet, negotij finem eſſe otium, vt belli pacem; & felicitatem, quæ finis humanæ vitæ cenſetur, in otio eſſe, non in negotio, proinde vitam beatam non aduenire negotioſis, meam poſitionem potius roborat, quàm euertit. Nam primum felicitas hæc, quam fingit Ariſtoteles, adeo non acquiritur in hac vita, vt propter aduerſos caſus, qui ſolent in eam incurrere, nemo felix dici poſſit, niſi vita functus ex Solonis ſententia, quod Ariſtoteles nõ diffitetur. Inde fit, vt tota vita ſit homini laborandum, vt hanc felicitatem, quæ in otio eſt, conſequatur. Deinde cum definire cogitur quid ſit hæc felicitas, reſpondet eſſe actionem, ſeu operationem quandam, eamque perfectam. Quapro- Ar. l. 7. polit. c. 15. & l. 8. c. 3. Id. l. 1. eth. c. 10.

Id.l.1.eth. c.9. & 10. l.9. ca.9.l. 7.c.13. propter in ipſo otio collocat actionem, cum in eo felicitatem ponit. Nos quoq. Chriſtiani,qui opinamur noſtram felicitatem in hac vita eſſe præcipue charitatem, quæ otioſa non eſt; in futura vero diuinæ eſſentiæ contẽplationem, intelligimus totam hanc vitam eſſe militiam, agriculturam, negotiationem laborioſam, vt otium diuinæ contemplationis conſequamur, & nullum eſſe locum otio deſidioſo.

Incitam. VII. Cohortatio vehemens & concors priſcorum Patrum.

11 SEquitur ſeptimum incitamentum continens vehementem exhortationem veterũ patrum inter ſe conſentientium ad pellendum otium è cœnobijs Religioſorum atque è domicilijs omnium Chriſtianorum: qui patres varijs atque elegantibus rationibus otium & otioſos cuiuſcũque generis deteſtantur. Etſi enim multos iã produxi per varias occaſiones; tamen ad conuincendos eorum auctoritate lectores,operæ pretium duxi, ſeptimum hunc ſtimulum ex eorum armamentario depromere, vitans omnino repetitionẽ dictorum. Ex omnibus fere nationibus aliquẽ producam. Deut.20.5 6.7. Ex Iudæis Philo duas cauſas affert, cur Philo.l.de fortitud. Deus in Deuteronomio exemerit à bello eos, qui illo anno domum ædificauerint,vineam plantauerint,vxorem deſponderint. Harum altera eſt, *Ne quis otioſus alienis laboribus fruatur.* Iniquum videbatur, vt ſi quis ex memoratis pro Rep. mortuus eſſet in bello,deſidioſus aliquis & timidus,qui domi remanſit, laborioſi ac fortis viri domo, vinea, ſponſa frueretur. Itaque legiſlator Deus, ex ſententia Philonis, in odium otij atque otioſorum, fauit his tribus militum generibus, iubens à ca-

ſtris

ſtris redire domum. Ex Aegyptijs profero Sanctum Antonium, de quo Sozomenus hæc habet: *Neque ipſe otiari aliquando animum induxit; & qui præclare vitam eſſet acturus ad laborandum hortatus eſt*. Item produco Sanctum Cyrillum Alexandrinum docentem pœna dignum eſſe otioſum: quia ſi maledictus eſt negligens in opere Dei faciendo, quanto maiorem pœnam merebitur, qui facere prætermittit? E Syris proditur S. Ephræm, qui inter alia multa, præclaram hanc habet ſententiam accommodam diſputationi noſtræ: *Et qui amat otium, numquam proſperabitur*. Et alibi monachum hortatur, vt tamquam tentationem repellat cogitationem illam, quæ dictat, otiandum eſſe feria ſecunda & tertia cuiuſuis hebdomadis, cum ſpe ſupplendi ſequentibus diebus. Iubet, & merito, quotidie aliquid agi, ne otium occupet mentem. Ex eadem natione S. Chryſoſtomus, explanans epiſtolam ad Epheſios ſcriptā ab Apoſtolo: *Otium*, inquit, *malitiæ pars eſt; immo vero non pars, ſed cauſa & mala radix. Omnem quippe malitiam docuit otium. Itaque cauendum ne ſtulte quæſtiones iſtas indagemus: nempe quem ſit habiturus locum, qui nihil boni fecit. Nihil enim boni facere, hoc ipſum eſt malum facere. Dicas enim velim; ſi famulum haberes, qui etſi nec furaretur, nec conuitiaretur, nec contradiceret; immo nec inebriaretur, nec reliquorum malorum quidquam deſignaret; ſederet tamen perpetuo otioſus, nec aliquid eorum, quæ ſeruus hero ſuo præſtare debet, faceret; non flagellaret illum vt peruerſum?* Obſeruat alibi Adamum otioſum è paradiſo excidiſſe: Paulum in laboribus & ærumnis poſitum raptum fuiſſe in paradiſum, & vſq. ad tertium cęlum. Idem inuectus ardenter in otioſũ, in ter-

Sozom. l. 1 hiſt. Eccl. c. 13.

S. Cyrill. Alex. hom 17. paſch.

S. Ephr. t. 2 in cāt. ſpi.

Id. t. 2. in var. doctr. c. 57.

S. Chryſ. ſer. 16. in ep. Epheſ.

Id. hom. 1. ad Pop. Antioch.

Id. hom. 35. in acta.

terpretans actus Apoſtolorum: *Quo modo non omnes talem condemnabunt, & domeſtici, & amici, & cognati? Quis autem non iuſte dicet; Onus hic terræ, fruſtra aduenit in Mundum talis: immo non fruſtra, ſed in malum ſui capitis, in damnum propriũ, in detrimentum aliorum*. E Cappadocibus S. Baſilius examinans Iſaię dictum, quo Deus otium odiſſe dicitur, ſic loquitur: *Quo modo non odio proſequendum otium, quod formica & ape peiorem efficit hominem, qui vtique initio ſuæ conditionis poſitus in paradiſo eſt, vt operaretur, & cuſtodiret eum?* Dicit vir ſanctus deteriorem fieri hominẽ illis duabus beſtiolis, quoniam, vt eſt probatum, illę ſunt inimiciſſimæ otij, & tanti mali expultrices è ſuis domicilijs, vel Scripturæ teſtimonio.

S. Baſ. in c. c. 1. Iſ.

Supra. n. 8.

12 Progrediens in Eccleſiam Latinam reperio idem odium aduerſus hoc vitium, in omni ferè natione. Inter Dalmatas Sanctus Hieronymus Ruſticum monachum informans: *Facito aliquid operis, vt te ſemper Diabolus inueniat occupatum*. Hoc magni magiſtri præceptum, quia pręclariſſimum eſt, atque vtiliſſimum, Gratianus inter decreta cenſuit referendum. Ex Italis Sanctus Ambroſius loquens de Iacob & Eſau, quorum hic otioſus erat, ille laborioſus, *Non otio*, inquit, *non ſomno merces paratur. Nullum opus dormientis eſt, nullus fructus otij; immo magis diſpendium. Otioſus Eſau amiſit primatus benedictionem*. Et alibi: *Non dormientibus, non otiantibus, ſed vigilantibus pollicentur præmia, & labori merces parata eſt*. S. Leo Papa beatitudinis exortes putat ferè otioſos, cum ait: *Non dormientibus prouenit regnum cælorum; nec otio & deſidia torpentibus beatitudo æterna ingeritur*. Innocentius III. Pontifex æquat otioſitatem voluptati, cum ait in quadam decretali: *Otioſitas & voluptas arma ſunt hoſtis antiqui ad miſeras*

S. Hier. ep. 4. ad Ruſt.

c. numquã de conſec. d. 5.

S. Amb. ep. 25. ad Vercell.

Id. l. 1. de Cain & Abel. c. 4.

S. Leo.

c. niſi cum pridem. §. verum. de renunt.

miſeras animas captiuandas. Ex Anglis, Scriptor Auct. ep.
Epiſtolæ ad Demetriadem: *Excitandus eſt ſpiri-* ad Deme-
tualibus ſtimulis ſemper animus, & maiore quotidie tr. c. 17.
ardore renouandus. Orationis inſtantia, illumina-
tio lectionis, ſolicitudo uigiliarum, & diurna & no-
cturna eius incitamenta ſunt. Nihil enim in hoc pro-
poſito, otio deterius eſt, quod non ſolummodo non ac-
quirit noua, ſed etiam parata conſumit. Sancta vitæ
ratio proceſſu gaudet & creſcit; ceſſatione torpeſcit &
deficit. Beatus Alchuuinus ad monachos ſcribẽs: B. Alchuu.
Nolite conformari vos ſæculi hominibus in veſtimen- ep. 49.
torum vanitate, in ebrietatis luxuria, in ioci laſciuia,
in otioſitatis petulantia. Obſeruãda sũt in verbis Al
chuuini duo, alterum eſt, tribui petulantiam o-
tio, quòd ea ſit filia illius: alterum eſt aſſociari
otioſitatem cum laſciuia & luxuria, perinde ac ſi
generis eſſent eiuſdem & affines. Sanctus Anſel- S. Anſe. ep.
mus quoque monachos Ciſtrenſes admonens, me 6. ad Ciſtr.
morabilem ſententiam profert: *Otioſitatem quo-* mon.
que ſicut rem inimicam animarum veſtrarum à vo-
bis excludite; & vnuſquiſque conſideret, quia de ſin-
gulis momentis vitæ noſtræ reddituri ſumus Deo ra-
tionem. E Gallis Caſſianus deſcribens Ægyptio- Caſſ. l. 10.
rum monachorum diſciplinam: *His itaque exem-* c. 21.
plis per Aegyptum patres eruditi, nullo modo otioſos
eſſe monachos, ac præcipue iuuenes ſinunt.. Nota
lector prudentiam eorum, qui præcipuam cau-
tionem adhibebant, vbi ſciebant maius eſſe peri-
culum. Congruenter Hugo Victorinus multis Hugo l. 2.
Scripturæ productis teſtimonijs inſectatur otio- de clauſtro
ſos, eoſque ſic depingit: *Quid autem dicam de ijs,* an. c. 9.
qui vagi et otioſi vacantes fabulis; & inundantes ani-
mæ verborum, Fratribus labori manuum ſtatutis ho-
ris inſtantibus ſubſannantes detrahunt? Numquid
labor labiorum ipſorum operiet eos? Iuo Carnoten- Ivo Car.
ſis epiſcopus eiuſdem ſæculi, S. Auiti moniales in- not. ep. 10 ad mon.
ſtruens

Digitized by Google

ſtruens doctrina Hieronymi & Benedicti eruditus: *Oportet quoque vt ſemper ſitis intentæ orationi, aut lectioni, aut operi; vt Diabolus vos inueniat occupatas; nec mentes veſtras nocuis & vagis cogitationibus expoſitas. Iſte enim mos legitur fuiſſe in monaſterijs Ægyptiorum, vt neminem reciperent, qui nollet operi operam dare; non propter neceſſitatem, ſed propter vitandam otioſitatem.* Petrus Bleſenſis epiſcopum inſtituens eadem ætate: *Nullum tempus feriatum habeas, ſed ſemper aut orationi, aut lectioni, aut alij honeſtatis ſtudio te impendas,* Et poſt: *Adhuc replico, ſemper ſis in exercitio Scripturarũ, nullumq. tempus te inueniat otioſum. Otium ſine literis eſt viui hominis ſepultura.* Sanctus Bernardus in eodem ſæculo ſcribens ad Eugenium papam, ſuum quondam alumnum: *Si recte ſapiens hortatur, ſapientiam in otio ſcribi, cauendum & in otio otium eſt. Fugienda proinde otioſitas, mater nugarũ, nouerca virtutum.* Appoſite vſus eſt his duabus metaphoris vir prudens. Nam ſi nouerca in mariti domum veniens reperit ibi priuignos, eos male tractat adeo, vt ſæpe paternis ex ædibus cedant; eo conſilio, vt filij ex ſe geniti totam capiant hereditatem; ſuis vero filijs omnes delicias facit & blanditias. Pariter otioſitas ingrediens alicuius animum nouercali odio proſequitur vexat, & ea vexatione virtutes extrudit filias laborioſæ ſanctitatis; & liberos ex ſe poſtea genitos, omnibus delicijs fouet atq. educat, iocos, nugas, dicacitates, cachinnos, murmurationes, detractiones, cogitationes inanes, curioſas, turpes, quarum eſt vera mater, vt virtutum nouerca. Ex Hiſpanis S. Iſidorus in regula: *Per otium libidines & noxiarum cogitationum nutrimenta concreſcunt; per laboris vero exercitium vitia nihilominus elabuntur.* Et poſt: *Propterea quiſque conuertitur, vt Deo ſeruiẽs, labo-*

Petr. Bleſ. in can. de inſtit. epiſ.

S. Bern. l. 2. de conſid. c. 13. Eccli. 38. 25.

S. Iſid. in reg. c. 5.

laboris habeat curam, non vt otio deditus inertia deſidiaq. paſcatur.

Incitam. VIII. Exemplum Chriſti & Sanctorum virorum.

13 OCtauum incitamentum ſumitur ab exemplo Saluatoris & Sanctorum proborumq. virorũ, qui conatu omni fugabant otiũ à ſe ſuiſq. atq. ad id miras quaſdam artes adhibebant. S. Baſilius perſuaſurus monachis ſuis laborem manualem, ad victum comparandum, otiumque abigẽdum affert exemplum Chriſti, quem putat ſub Ioſepho Fabro in aſſiduis laboribus iuniorem verſatum fuiſſe, illi obediendo; grandiorem vero ætate occupatum in hominum ſalute quærenda numquam conquieuiſſe. *Quid Apoſtoli*, inquit, *nonne ipſi quoque dominum ſunt imitati? nonne aſſidui in laboribus erant? Animaduerte Paulum indiuulſe laborantem*, &c. Quod autem hoc Chriſti, apoſtolorum, & Pauli exemplum, à Sancto Baſilio referatur ad otium damnandum perſpicuum fit ex his verbis: *Quamobrem præclare is facere exiſtimandus eſt, qui cum Domini & diſcipulorum, atque adeo apoſtolorum eius, & animi virtutes, & corporis exercitationes ſibi imitandas propoſuerit, haudquaquam otio marcere corpus ſinit; ſed in optimis illud aſſidue officijs continet*. Hæc Baſilius. Atqui quod attinet ad Paulum, qui ſuis manibus laborabat, ne quem grauaret, cum poſſet aliorum laboribus in Euangelij prædicatione viuere, Caſſianus multus eſt in probando, id à Paulo factum, in exemplum monachorum otij ſectatorum. Expendens ea verba poſterioris epiſtolæ ad Theſſalonicenſes: *Quoniam non inquieti fuimus inter vos*: quibus otium ſignificari putat, ſic ait: *Cum ſe vult inquietum inter eos non fuiſ-*

S. Baſ. cõſt mon. c. 5.

Caſſ. l. 10. c. 8.

2. Theſſal. 3. 7.

ſe, per operis exercitium comprobare, eos qui operari nolunt, abunde notat otioſitatis vitio inquietos ſemper exiſtere. Et paulo poſt: *Qua fiducia otioſis manibus gratis panem comedere audebimus, quem vas electionis euangelicæ ſolicitudine & prædicatione conſtrictus, ſine opere manuum comedere non præſumit?* Et alio in capite inducit Paulum ita loquentem: *Non ſum tamen vſus hac poteſtate* (viuendi ex alieno labore) *ne quod à me bene ac licite fieret, alijs otij noxii præberet exemplum*. Apoſtolorum tempore Candacis reginæ Aethiopum eunuchus iter agens, in curru ſedens, Iſaiam prophetam legebat, vt eſt in actibus eorum. Diligentiam eius admiratur non vno in loco Sanctus Chryſoſtomus, & vero etiam otij fugam. *Qualis erat*, inquit, *ille domi, cum ſic in itinere otium non admitteret?* Permira mihi quoque eſt, & diligentia, & otij vitandi cura, quod in itinere nobis inuitis obrepit; præſertim cum in agitatione curuli ſit legere difficillimum. Hanc ob cauſam Perſarum rex quidam in itinere philyrium, ex cuius cortice funes texuntur, geſtare ſolebat, & cultellum, quo id ſcinderet, vt eſt in varia Æliani hiſtoria. Laudabilior Eunuchus Æthiops, qui non tiliæ ſectione parum vtili, ſed fructuoſa ſcripturæ lectione, vt dixi, fallebat tempus, leuabat moleſtiam longæ viæ, otiumque vitabat. Ad idem ſtudium otij fugandi, refero Theodoſij iunionis Imperatorem, qui manu ſua ſacræ ſcripturæ libros deſcribebat, interdum aureis, ſemper pulcherrimis characteribus, vnde Calligraphi nomen eſt conſecutus. Non ille vir probus curam imperij regendi negligebat; ſed vt ego arbitror, quas horas alij viri principes dant venationibus, ludis, comœdijs, ipſe ſcriptioni, ne otioſus eſſet, impertiebat. Nec deſunt, qui litteris mandauerint, eum

Id. l. 10. c. 10.

Act. 8. 28.

S. Chryſ. conc. 3. de Laz. & hom. 19. in actus.

Ael. l. 14. var. hiſt. c. 12.

eum libros à ſe ſcriptos vendi curaſſe, atque è pretio victum ſibi comparare conſueuiſſe amore ſanctę paupertatis, non auaritiæ affectu. Nolebat ex imperij theſauris publici ſibi quidquam ſumere in priuatum commodum. Legantur Nicephorus & Glycas hiſtorici Græci de hac re. De B. Alchuuino, qui tempore Caroli magni docuit in Gallia, cum ingenti fama doctrinæ, vitæ ſcriptor hæc tradit: *Fugiebat modis omnibus otioſitatem. Nam aut legebat, aut ſcribebat, aut diſcipulos erudiebat, aut orationi vacabat, & pſalmorum decantationi; ineuitabilibus tantummodo corporis indulgens neceſſitatibus*. Poeta vetus & incognitus in laude vitæ monaſticæ, de monachis æui ſui:

Deſidiam fugiunt: labor vtilis occupat omnes,
Noxia torpentes ne ſubeant animos.

Niceph. l. 14. c. 3. Glyc. hiſt. p. 4.

Anonym. in vita B. Alchuuini

Apud Iac. Sirm. in not. ad Goff. vind l. 4. ep. 1.

14 Spectant huc priſci monachi omnes, qui laborem manuum orationibus intermittebant. Ex quinque ſexuè cauſis, ob quas manibus laborabant, non leuis erat nec in minimis, otij fuga & depulſio ex vniuerſo cœnobio, priuatiſque cellis ſingulorũ. Multos adigebat ad hoc opus neceſſitas parandi victus. Alios trahebat charitas, pro pauperibus laborantes, quos ex manupretio paſcebant. Nonnulli vilitate operum ſuperbiam mortificabant. Alij carnem rebellantẽ ſpiritui fatigatione in laborando edomabant. Conſeruatio valetudinis ſuadebat quibuſdam, vt labore manuum interrumperent capitis laſſitudinem in contemplando. Non deerant, qui cum victum haberent ſufficientem vitæ vtcumq. ſuſtentandæ, manuali labore fugarent otium à ſuis cellis, atq. inde pericula peccatorum otium conſequentia propulſarent. In horum numero fuit Paulus eremita probatiſſimus, qui quotannis igne ſuppoſito cremabat opera folijs palmarum contexta,

 quòd

quod ea vendere ob longinquitatem oppidorum non valeret, eadem contexere non deſinebat, vt otium ab ſe longiſſime amandaret. Verba Caſſiani hoc declarant: *Vt cum hoc fieri nequaquam neceſſitas victus exigeret, pro ſola purgatione cordis, & cogitationum ſoliditate ac perſeuerantia cella, vel acedia ipſius victoria & expugnatione perficere.* Morem autem hunc fuiſſe communem, vt labore manuũ exterminaretur otium, docuit S. Baſilius, qui numerans cauſas huius moris, inter eas locat expulſionem otij verbis his: *Quantum ex otio mali ſit, quid attinet commemorare, cum Apoſtolus præcipiat aperte, vt qui non laborat, is non manducet etiam? Sic igitur vnicuique ad vitæ ſuſtentationem neceſſarius eſt cibus quotidianus, item nihilominus vnicuique in opere faciendo neceſſaria induſtria eſt. Neq. enim temere laudis loco poſitum fuit illud à Salomone: Panem otioſa non comedit.* Clare Iuo Carnotenſis dixit *propter vitandam otioſitatem*, non propter neceſſitatem imperatum fuiſſe hunc laborem manualem in Ægyptiorum monaſterijs. Perſpicue pariter S. Thomas colligens cauſas, ob quas labor manuum inſtitutus eſt ait: *Secundo ordinatur ad tollendum otium, ex quo multa mala oriuntur.* Continuatum hunc morem poſterioribus ſæculis, antequam in ſtudium litterarum commutaretur, colliget accuratus lector hiſtoriarum ſacrarum. De monachis Humiliatis æui ſui (quorum Ordinem à Pio V. pontifice ſanctiſſimo ſupprimi atq. aboleri vidimus) hæc tradit ante quadringentos annos Iacobus à Vitriaco Cardinalis: *Lectionibus autem, & orationibus, & laboribus manuum aſſidue vacãtes, deſidiam & otij torporem à ſe ſtudioſe repellunt.* Sanctus Franciſcus Aſiſias in eumdem finem laborabat manibus, & ſuos iubebat idem facere, vt ſcripſit in teſtamento: *Et ego manibus meis laborabam, & volo*

Caſſ. l. 10. c. 24.

S. Baſ. c. 37 reg. fuſ. diſp.

Pro. 31. 27

Iuo. ep. 10 admonial. S. Auiti.

S. Th. 2. 2. q. 187. ar. 3.

Iac. Vitr. hiſt. Occid c. 28.

S. Fran. Aſſiſ. in teſtamen.

& volo laborare. Et omnes alij Fratres firmiter volo, quòd laborent de laboritio, quod pertinet ad honeſtatem. Et qui neſciunt, diſcant; non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, ſed propter bonum exemplum, & ad repellendam otioſitatem. B. Ægidius S. Franciſci cariſſimus ſocius, & bonus diſcipulus, ſupra modum otij vitandi ſtudioſus erat. Propterea Romæ cum eſſet, quotidie vrbem egreſſus, quatuor milliaria conficiebat lignandi cauſa, ligniſq. onuſtus ad monaſterium redibat, & acriter redarguebat otioſos. Quàm ſtrenue B. Ignatius ex ſua familia fugaret otium, teſtis eſt Ioannes Petrus Maffeius in eius vita. *Otium,* inquit, *vt omnium vitiorum fomitem ac ſeminarium inprimis oderat. Itaq. duos treſue rei familiaris adiutores, cum ad ianuam alieno tempore confabulantes è ſuperiore loco aſpexiſſet, illico iuſſit aceruum lapidum in proximo ſitum, in ſummam ædium contignationem ſine cunctatione transferre. Eoſdem tertio poſt menſe, cum ibidem iterum otiantes animaduertiſſet, illam ipſam lapidum congeriem, vt in eumdem locum referrent, vnde aſportauerant, imperauit; amice inſuper admonens, nihil in Dei famulatu periculoſius eſſe deſidia.* Vidi ego in eodem Ordine meo viros graues annis, & doctrinarum plenos, qui cum ſtudio minus vacare poſſent ob improſperam ætatem, & inualetudinem capitis, nec ſilendi tempore ſoluere ipſi ſilentium vellent, nec alios ſodales interpellare liceret; vel in cubiculo flagella texebant ex funiculis; vel in pomario, quà ſerendo, quà irrigando, quà inſerendo, quà putando colebant arbuſculas.

Sur. in vita B. Aegid. initio

Maff. l. 3. vitæ B. Ignat. c. 6.

Incitam. IX. Regulæ religioſorum ordinum & fundatorum.

15 NOnum incitamentum Religioſis potiſſimum adactum, eſt concors illorum ſententia, qui vel Ordines ac monaſteria Religioſorum fundauerunt; vel regulas decreta, conſtitutiones ipſis condiderunt; vel eorum cętus monitis ſalutaribus formare ſtuduerunt: qui omnes pro viribus otium proſcripſerunt. In antiquiſſima regula Pachomio ab angelo dictata, iubentur per dies multos moneri & corripi adoleſcētiores otio dediti. *Pueri in domo*, inquit, *ſi fuerint dediti luſibus & otio, & correpti non potuerint emendari, debet præpoſitus vſque ad dies triginta ipſe eos monere & corripere.* Et ſubditur quid deinceps faciendū ſit. Iure de iunioribus nominatim cauet; tum quia ætas adoleſcentior eſt ad otium procliuior; tum quia in illam ætatem otium periculoſius incumbit. Quamobrem ab Hugone Victorino inter duodecim abuſiones clauſtri tertio loco numeratur, *Iuuenis otioſus*. Quæ lex pręſcripta eſſet monaſterijs Aegypti pellendi otij cauſa, intelligitur, & ex multis Caſſiani teſtimonijs relatis ac referendis, & ex Sancti Hieronymi verbis Ruſticum exemplo Aegyptiorum monachorum informantis: *Aegyptiorum monaſteria hunc morem tenent, vt nullum abſque operis, labore ſuſcipiant, non tam propter victus neceſſitatem, quàm propter animæ ſalutem, ne vagetur pernicioſis cogitationibus mens &c.* Quæ poſtrema verba, vt paulò ante ſcripſi, *Propter vitandam otioſitatem*, Interpretatus eſt Iuo Carnotenſis. Sanctus Baſilius in monaſticis conſtitutiouibus probat multis, per corporis exercitationem laboremque manualem eſſe fugandum otium.

S. Pachom reg. 96.

Hugo. l. 2. de clauſtro an. c. 14.

S. Hier. ep. 4. ad Ruſt.

Sap. n. 4.

S. Baſ. cōſt. mon. c. 5.

otium. Inter cetera: *Quia ex duplici natura conſtamus, duplex virtutis quoque ſtudium eſſe debet; idque cum ſtrenuitate corporis, tum etiam animi induſtria exerceri. Porro ſtrenuitas corporis non in otio poſita eſt, ſed in negotio.* Corroborat ſua dicta exemplo Chriſti & Apoſtolorum, vt prædixi. Sanctus Benedictus in regula: *Otioſitas inimica eſt animæ. Et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum; certis item horis in lectione diuina.* Benedictum ſecutus eſt Iſidorus Hiſpalēſis in ſua regula, cuius verba non multo ante trāſcripſi. Beatus Albertus Patriarcha Ieroſolymorum in regula data Eremitis commorantibus in monte Carmelo: *Faciendum eſt vobis aliquid operis, vt ſemper vos Diabolus inueniat occupatos, ne ex otioſitate veſtra aliquem intrandi aditum ad animas veſtras valeat inuenire. Habetis in hoc Beati Pauli Apoſtoli magiſterium pariter & exemplum, in cuius ore Chriſtus loquebatur.* Sanctus Bernardus tradens viuendi normam Cartuſianis commorantibus in Monte Dei: *Numquam otioſus ſit ſeruus Dei, quamuis à Deo feriatus ſit.* Hugo Victorinus in inſtitutione nouitiorum: *In ceteris uero diebus quib. operari licet, nullus omnino otioſus appareat, ſed vnuſquiſque in eo, quod ſibi iniunctum fuerit, non quod ipſe elegerit opere (quantum ſcientiæ & virium ſuarum poſſibilitas ſuppetit) ſeſe debet exercere.* Regula S. Trinitatis ab Innocentio III. probata: *Nullus frater laicus, vel clericus ſit, ſi fieri poteſt, ſine proprio officio. Si quis vero laborare noluerit & potuerit, locum ipſum deſerere compellatur, cum Apoſtolus dicat, Qui non laborat, non manducet.* Sanctus Franciſcus in ſua regula: *Fratres illi, quibus dedit Dominus gratiam laborandi, laborent fideliter & deuote; ita quod excluſo òtio animæ inimico, ſancta orationis & deuotionis ſpiritum non extinguant,*

Sup. n. 13.

Sup. n. 11.

R. Alb. in reg. Carmel. c. 15.

S. Ber. l. de vita ſolit.

Hugo Victor. in inſtit. nou. c. 4.

Inn. c. 3. l. 1. ep. ad Io min. S. Trinit.

S. Franciſ. 5. regulæ.

cui debent cetera temporalia deſeruire. In hunc regulæ locum S. Bonauentura: *Voluit*, inquit, *S. Franciſcus ſumme imponi Fratribus exercitium, quod perfectiſſime excludit otium*. Idem Sanctus Bonauentura in regula Nouitiorum, quæ illi tribuitur, caput inſcripſit: *De otioſitate fugienda*: in quo poſitis Scripturæ ac Sancti Hieronymi teſtimonijs, hæc ait de ſuo: *Per iſta tria tota vita tua decurrat, vt ſemper ores, aut legas, aut ſeruias, & potiſſimum ſenibus, forenſibus & infirmis: & factis ſeruitijs, non ſtes cum Fratribus otioſus, ſed ſtatim vade ad cellam, & ibi ores, aut legas*. Fratres Minores obſeruantes familiæ Ciſmontanæ in decretis factis pro obſeruatione regulæ præcitatę, congeſtis Scripturæ teſtimonijs addunt hæc verba grauiſſima: *Quibus verbis & exemplis ſalutariter eruditi, & otium omnium malorum, & vitiorum ſentinam, & virtutum omnium atram peſtem, & viui hominis ſepulturam magnopere deteſtantes, inuiolabili iure præcipimus & ordinamus, vt omnes Fratres & iuuenes præſertim, ſic per ſuos Superiores in laboribus honeſtis, & eorum vnicuique ipſorum Superiorum iudicio competentibus, compellantur exerceri, vt excluſo otio animæ inimico, ſanctæ orationis & deuotionis ſpiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deſeruire*. Subijciunt poſt modum pœnis otioſos per hæc verba: *Et qui iuuenti fuerint notabiliter otioſi, ſuffragiorum iure priuentur, & grauioribus pœnis etiam corporalibus coerceantur. Prouincialium & localium etiam Superiorum arbitratu, pro negligentiæ modo, aut contumaciæ ratione: quoniam iuuentus in otio, eſt veluti iumentum ſine iugo*. Vmbertus diu magiſter Ordinis Prædicatorum, in epiſtola præſtantiſſima de tribus votis alijsque virtutibus Religioſo neceſſarijs, otij fugam non prætermiſit, exiſtimans

S. Bon. in c. 5. reg. S. Franc.

Id. in reg. nouit. c. 8.

Min. obſe. fam. Ciſm in c. 5. reg. S. Franc.

Vmb. c. 54. ep. de trib. vot.

mans cellas cœnobiorum inutiliter ab otioſis habitari, cum ait: *Otia declinetis, nec cellas inutiliter occupetis*. In eodem Ordine Sanctus Vincentius vetans otium cordis, multo plus abominatus videtur fuiſſe otium totius hominis. Ait enim: *Vbi nota quòd ſeruus Dei, eundo & redeundo ad cellam, vel in quocunque alio loco, non debet eſſe otioſus corde; ſed vel pſalmos, vel aliquid ſpirituale ruminare*. Conditor Societatis Ieſu viam quoque obſtruxit otio in ſuis conſtitutionibus, in quibus hæc legun tur: *Omnes quandiu corpore bene valent, in ſpiritualibus, vel exterioribus rebus habeant, in quo occupentur. Et qui officium vel miniſterium aliquod certum habent, vt de auxilio prouidendum eſt eis, ſi ſit neceſſarium, ita cum vacant, alijs rebus occupari deberent, ne otium malorum omnium origo, quoad eius fieri poſſit, domi noſtræ locum habeat*. Non dubito, quin omnes alij Ordines præcluſerint aditũ huic hoſti virtutum per ſuas conſtitutiones, ſed produ ctæ ſatis ſuperque ſtimulum acuunt, & ad alia incitamenta properandum eſt.

S. Vinc. tr. de vita ſpi rit. c. 10.

Par. 3. c. 1. §. 6.

Reg. 44. Summ.

Incitam. X. Monita magiſtrorum ſpiritualium minus antiquorum.

16 DEcimum incitamentum incutit otioſis au ctoritas magiſtrorum ſpiritualiũ minus antiquorum; qui non per leges & ſtatuta, ſed per monita & conſilia otium abigendum eſſe illis perſuadere conantur. Thomas Cantipratanus ex Ordine Prædicatorum S. Thomæ Aquinatis condiſcipulus, ſcripſit præclarũ opus, in quo colligit ex apibus earumq. natura & moribus virtutes, quas habet, & habere debet bene tẽperata Religio. Inter alia obſeruauit eas inimicas otij aſſiduiſſime laborare: dictiſq. ſapientũ atq. exẽplis ſanctorũ otij fugã lectori ſuadet, probãs & illuſtrãs illã poſitio-

Th. Canti pr. l. 2. ap. c. 9. & 10.

rionē: *Nullus, cū per cælū licuerit, otio perit dies*. Beatus Laurentius Iuſtinianus in libro de gradibus perfectionis caput habet his verbis inſcriptum: *Quantum detrimentum inferat otium*. Cardinalis Turrecremata Sancti Benedicti regulam explanans, decem mala collegit, quæ parit otioſitas eaque Sanctorum philoſophorumque teſtimonijs, alijsque præclaris rationibus ob oculos ponit. Recenſebo ipſe poſtea per compendium. Henricus Arphius in libro primo myſticæ Theologiæ inſcripſit caput: *De deteſtabili otio operis, oris & cordis cauendo, ac labore triplici contrario amplexando*: in quo ſcripturæ ſacræ, priſcorumque patrum dictis exequitur, quod promittit, deteſtans hoc triplex otium, cuius primum ac tertium genus nos quoque hoc loco inſectamur. Petrus Sutor in ſecundo libro de vita Cartuſianorū, multis probat ad vitandum otium, eſſe manibus laborandum, etiam clericis & monachis Cartuſianis, quia non poſſunt orare, aut legere, aut meditari continenter. Ludouicus Bloſius in canone vitæ ſpiritualis hęc habet: *Otium omnium malorum parentem, certiſſimumque animarum exitium perhorreſce*. Perhorreſco & ipſe tantam verborum grauitatem ſpiritualis magiſtri. Ioannes Trithemius, referente Antonio Caracciolo, numerat otioſitatem inter ea, quæ religioſos Ordines peſſundant. Quæ Ioannes Gerſon, quę Dacrianus, quæ alij ęquales illorum ætate tradant, referentur poſtea. Non diſſentiunt recentiſſimi magiſtri, Gulielmus Baldeſſanus in ſtimulo ad ad virtutes iuuenum proprias, ſcribit caput de otio fugiendo: in quo malos otij venenatoſq. fructus declarat patrum, philoſophorum ac rationum lumine: idque fugiendum docet, non prauis operibus agendis, ſe pro bis, Claudius Aquauiua,

B. Laur. l. de perf. grad. c. 9.

Turrecr. tr. 113. in c. 48. reg.

Infr. n. 24.

Henr. Arph. l. 1. myſti. Theol. c. 35.

Pet. Sut. l. 2. de uita Cart. tr. 5. c. 8.

Bloſ. can. uitæ ſpiri. c. 30.

Trith. apud Ant. Caracc. ad conſt. cleri reg. p. 3. c. 1.

Guil. Baldeſſ. ſtim. p. 1. c. 10.

niua,qui quia noſtrum Ordinem diutiſſime rexit, ſapientiam experientia cumulauit, in libello aureo induſtriarum ſæpe otium deteſtatur,exiſtimãs eſſe modo parentem ariditatis in oratione; modo partum peculiarum amicitiarum; modo effectum illius morbi, quo quis falſo ſe ægrotare opinatur, cum bene valeat. Bernardinus Roſignolius in opere de diſciplina Chriſtianæ perfectionis exagitat multis locis otium: atque in primis docet per otium aperiri aditum Diabolo ad nos tentandos: proinde ab eo tẽpus otij obſeruari & capi ad nos opportunius oppugnandos. Ioannes Buſæus in arca medica, quam inſtruxit optimis aduerſus vitia remedijs, agens de otio, per nouem rationes facit illi medicinam. Iacobus Aluarus de Paz in primo volumine de vita ſpirituali eiuſque perfectione, caput bene longum impẽdit in otij deteſtationem, cuius hęc eſt inſcriptio: *Religioſus otioſitatem odio habeat*: appellatque eam *Magnum impedimentum perfectionis, paupertatis ſpiritualis initium*, & alia multa docet, quę nobis vſui erũt in hoc toto tractatu. Martinus Fornarius ſacerdotes inſtituens monitis ſalutaribus, eandem peſtem fugiendam eſſe illis probat, non paucis Sanctorum indicatis locis, quòd multa mala doceat; quod occaſionem Dęmoni prębeat animę inſultandi; quod non modo ſeruus improbus, ſed etiã otioſus puniatur. Carolus Scribanus in Medico religioſo recenſet otij mala, & remedia opportuna ſubſcribit. Lucas Pinellus in libro quarto de perfectione religioſa deſudat in pellendo à Religioſis otio per integrũ caput. Viſum eſt mihi vtile hos magiſtros, otij proſcriptores recenſere; loca, vbi id vitium inſectantur, indicare, vt qui plura volet de hoc argumento, vel ad ſui profectũ, vel ad alios dehortandos, ex facili locupletare animum

Cl. Aqu in induſtr. c. 3. n. 6. c. 8. n. 7. c. 12. n. 3

Roſign l. 1 de diſcipl. c. 18. 19. 35.

Io. Buſ. in arca med. ver. Otiũ.

Iac. Alu. t. 1. l. 5. c. 37.

Mart. For. l. 1. inſtr. Sacerd. tr. 2. c. 1.

Car. Scrib l. 1. med. re lig. c. 9.

Luc. Pin. l. 4. Gerſon. c. 6.

animum queat: cum non ſit mihi conſilium omnia ex omnibus deſcribere.

Incitam. XI. Pœna quam otioſus in hac vita ſuſtinet.

17 VNdecimum incitamentum valde efficax ad excitandum otioſum ab Acediæ ſopore, ſit conſideratio pœnæ, quam otioſus in hac vita pendit continenter. Innuit Salomon otioſū ſubiacere pœnæ, cum ait: *Manus in manu, non erit innocens malus:* hoc eſt, improbus, qui otioſe viuit, non erit impunitus. Ianſenius hic, & alijs Scripturæ locis, aſſerit innocentem pro impunito poni. Italice prouerbio dicimus, Otioſū tenere manus inter ſe compreheſas. Hinc S. Gregorius hunc locum expendens, in præſentem diſputationē addu cit: *Manus manui iungi ſolet*, inquit, *quando quieſcit in otio, & nullus eam vſus laboris exercet.* Dicitur quoq. vulgo manū in ſinu tenere otioſus. Quo fit illi cōuenire non inepte factum Moyſis, qui cū Dei iuſſu manum ſuam immiſiſſet in ſinum, *protulit leproſam inſtar niuis.* Lepra non modo peccati ſymbolum eſt, ſed etiam pœnæ, vt patet in Giezi diſcipulo Eliſei. Quamobrem ſcite Thomas Cantipratanus ſimile quid euenire otioſo docet, quod ego dixerim & peccatum, & pęnam eſſe, quæ illum hominibus abominabilem facit. Eſt autem hæc pęna multiplex. Prima locat otioſum in eo ſtatu, vt ſibi ipſe diſpliceat, ſibi grauis atque oneroſus fiat, inſuper & inquietus euadat. Cognita eſt L. Senecæ clamanti: *Cui non induſtrio otium pœna eſt?* Et alibi de vita loquens: *In odium illam ſui adducere ſolet iners otium.* Hanc pœnam alibi deſcribit in eo ciue, qui depulſus à rebus agendis profugit ad otium: *Domum*, inquit,

Pro. 11. 21. Janſ. prou. 11. S. Greg. l. 25. mor. c. 3. Ex. 4. 6. 4. reg. 5. Th. Canti pr. l. 2. apū c. 10. §. 1. L. Sen. l. de prouid. c. 2 Id. ep. 78. Id. l. de Tranq. an. c. 2.

quit, *ſolitudinem, parietes non fert, inuitus aſpicit ſe ſibi relictus. Hinc illud eſt tædium, & diſplicentia ſui, & numquam reſidentis animi volutatio, & otij ſui triſtis & ægra patientia*: & alia in eandem ſententiam, quæ aptæ cadunt in eum quoque, qui ſponte ac voluntaria deſidia ſe coniecit in otium. Nota eſt etiam Chriſtianorum magiſtris. Origenes, otioſum ſibi eſſe onus, collegit ex querimonia illorum otioſorum in parabola patrisfamilias conducentis operarios in vineam. Cum enim ad excuſationem dixerunt, *Quia nemo nos conduxit*. ſignificarunt ex opinione doctoris huius, Otium ſibi moleſtum atque oneroſum fuiſſe, proinde paratos ad laborem, ſed conductores defuiſſe. Quis fuerit ſenſus Chryſoſtomi, aperiunt eius dicta ſuperius è commentarijs actuum apoſtolicorum deſcripta; vbi ait in damnum ſui capitis hoc onus terræ veniſſe in Mundum, & nihil otio moleſtius eſſe probat. Quam Seneca volutationem animi numquam reſidentis nominauit, eam Caſſianus Inquietudinem appellat, otioſorum proprium vitium; & eruit ex Apoſtoli verbis ſæpe Theſſalonicenſes commonefacientis, vt labore manuum excuterent à ſe otium, curioſitatem otij filiam, & alias eiuſdem vitij comites. In hac commonitione Paulus habet hæc verba: *Et operam detis, vt quieti ſitis*. Ea Caſſianus ſic explicat: *Id eſt, in veſtris cellulis commorantes, nec diuerſis rumoribus, qui ſolent otioſorum votis, vel fabulis generari, inquieti effecti, alijs quoque inquietudines inferatis*. Producitur alio in capite ab eodem Caſſiano locus alius Pauli, quo remouet à ſe inquietudinem dicens: *Quoniam non inquieti fuimus inter vos*. Et præterea. *Audiuimus inter vos quoſdam ambulare inquiete nihil operantes, ſed curioſe agentes*.

Orig. in Matt. 20.

Matt. 20:7

Sup. nu. 19 11.

S. Chryſ. hom. 35. in acta.

1. Theſſ. 4. 11.

Caſs. l. 10. c. 7.

2. Theſſ. 3. 7. 11.

Quo-

Quomodo extrahat è prioribus verbis Otio-
ſitatem Caſſianus, dictum eſt in octauo incita-
[Sup. n.13.] mento. In poſterioribus verbis ait radicem hu-
ius inquietudinis eſſe, *Nihil operantes*: adeo vt, qui
nihil operentur ex otio, fiant inquieti. Hinc pau-
[Caſſ. l.10.] lo poſt tanquam bonus medicus, *Vt caſtigauit*, *in-*
[c. 13. & c.] quit, *eos, qui erant infirmi, ne otio diſſoluti inquie-*
[15.] *tudini & curioſitati operam darent; ita hos, qui ſani*
ſunt, præmonet. Fauet Caſſiano Theophylactus,
[Theophyl] qui vtraque in epiſtola otium intelligit. Exhi-
[in 2. Theſ] beo verba huius auctoris ex commentario poſte-
[ſal. 3.] rioris: *Non inordinate nos geſſimus, ideſt non tor-*
puimus, non fuimus otioſi. Inordinationem enim o-
tium nominat, vt & ſupra. Nos legimus, *Non in-*
quieti fuimus, quod in idem recidit, vt probat Cor-
[Cornel. in] neliu noſter. Fauet quoque Sanctus Anſelmus,
[2. Theſſ. 3.] qui à curioſitate otij filia naſci tradit inquietudi-
[n. 7.] nem, & animi, & corporis: quæ curioſitas impel-
[S. Anſel. 2.] lit otioſum huc atq. illuc, mente, oculis, pedibuſ-
[Theſſ. 4.] que vagari. Docet alibi eſſe inquietos, *Qui aliena*
[Id. 2. Theſ] *negotia curant otioſe vagantes huc atque illuc, diui-*
[ſal. 3.] *numque officium relinquentes, & vitam ſingulorum*
ſuperflue ſcrutantes, & fratribus detrahentes, ac mur-
murationes ac diſſenſiones, vel ſcandala nutrientes.
Dum enim vacant, & nihil operantur, callidus ho-
ſtis vanam mentem eorum occupat talibus, quia, ſicut
ſcriptum eſt, Multam malitiam docuit otioſitas.
Numquid expreſſius depingi poterat verbis otio-
ſus Religioſus? Paulo poſt explanans poſteriora
verba Pauli, quæ tranſcripſi, ait: *Multa breuiter*
hic reprehendit vitia: ideſt inquietudinem, & otioſi-
tatem, & curioſitatem, & multiloquium, in quo non
deerit peccatum. Nam inquietudo, dum ſolicite do-
mos aliorum circuit, vel aliena acta curioſe perqui-
rit, in multis offendit. Hactenus S. Anſelmus. No-
ta lector, quod iam indicaui, duplicem eſſe in-
quietu-

linem otioſi, alteram cordis, alteram cor-
Habet otioſus prius inquietudinem inter-
uæ illum incredibiliter ſauciat & torquet
s, cum per uigiles Superiores vagari non
ui diſciplinæ obſeruantiam vigore tuẽtur.
hanc præcipuam otioſi pœnam eſſe arbi-
ii mente circumuagans cruciatur in cella,
enobio, velut anguis in pyxide, qui conti-
circumiens eodem reuoluitur. Altera eſt
tudo corporis, cuius impulſu iunior Reli-
,otioſus per alienas cellas curioſe ac loqua-
ıgatur, non ſine animi inquietudine atque
ıte profecta ex metu, ne deprehendatur à
bus diſciplinę, ac deferatur ad Superiores.
s autem ætate prouectior & ſacerdos, eiuſ-
quietudinis inſtigatione, foras egreditur,
er cauſarias rationes impetrata, vagaturq.
ularium domos, vt curioſitatem expleat,
empus, cor per linguam effundat.

Secunda pœna eſt, quòd otioſus grauiori-
ıtationibus & periculis objicitur, quàm ne
us & occupatus. Atque ob id à S. Bernardo
r otioſitas eſſe, *Sentina omnium tentationum*; S. Ber. l. de
s vero magiſtris, opportunitas maxima, & vita ſolit.
na occaſio peccandi; quod intelligetur in
u diſputationis huius, atque ex diſſertatio-
:ia Iulij Mazarini noſtri in pſalmum quin-
ſimum. Horum periculorum & opportuni- Iul. Maza. diſc. 3. in pſ. 50.
atio duplex eſt. Altera ex parte naturæ no-
rruptæ, maliſque conſuetudinibus depra-
cui facilius in otio res iucundæ, ſiue perti-
ad appetitum, vt voluptas; ſiue ad iram, vt
ta, objiciuntur animo, phantaſiæque repræ
tur. Res item auditæ, lectæ, cogitatæ, actæ,
ccatum, peccandiq. periculum contineãt,
ordationem ex memoria promptius rede-
unt

unt otioſis, quorum animus omnibꝰ curis vacuus eſt, quàm adſtrictis negotio, quorum mens, memoria, phantaſia rebus agendis attenta & immerſa, tentationes neque audit, neque exaudit: hoc eſt, neque ſentit, neque aſſentit: quemadmodum in oculorum & aurium ſenſibus euenit; qui rei alicui, vel iucundæ admodum, vel ſeriæ intenti, nec res alias luminibus obuerſantes vidẽt; nec voces obſtrepentes exaudiunt. Altera ratio eſt ex parte Dæmonis primarij tentatoris ac peritiſſimi, qui captat opportunitatem fallendi atque expugnandi, quam in otio maximam commodiſſimamque eſſe cognoſcit. Hinc natum eſt prouerbium ab Ioanne Buſæo relatum; *Otium eſt puluinar Diaboli:* quod Antonius Caracciolus è Trithemio tradit accommodatius diſputationi meæ: *Otioſus eſt molliſſimum puluinar Diaboli*. Proinde dixerim ego Dæmonem in otioſi corde quieſcere latenter, excubare molliter, præſto eſſe, vt in centro reticuli reſidet araneus in inſidijs, quo facilius muſcas interuolitantes capiat & deuoret. Quòd ſi non inſidet cordi, certe aſſidet otioſo propius ac vigilantius, quàm negotioſo: & in otioſorum cœnobijs, domibus, cubiculis, animis aditum nactus & campum apertum ac patentem longe lateque ſpatiatur, prædam ac ſtragem agens diuinæ gratiæ, virtutum, meritorum. Peritus bellator eſt: nõ aggreditur arcem, cum defenſores vigilant in excubijs; expectat vt obdormiſcant excubitores. *Remiſſas excubias*, inquit S. Ambroſius, *callidus inſidiator irrumpit.* Exercitatus auceps eſt. Non emittit ex arcu ſagittam tentationis ac ſuggeſtionis, dum auis pernici volatu aerem ſecat; ſed vbi conquieuit in arbore. Piſcem cognomento canem, hominis inimicum imitatur, qui non aggreditur hominem natantem, vt piſcandi periti ferunt, ſed è natatio-

Io. Buſ. arca med. v. Otium rem. 4.
Ant.o. Caracc. id cõſt. cler. reg. p. 3. c. 1.
S. Ambro. ſer. 11. in pſ. 118.

tatione quieſcentem. Similiter hic hoſtis humani generis, in hominem inſilit, vt deuoret, cum in otio deſidet. Hanc ob cauſam monet S. Hieronymus, & ex eo cuncti propemodum magiſtri virtutis, vt caueamus accuratiſſime, ne nos Malignus inueniat oſcitantes: quòd hos potiſſimum hæc fera bellua obſeruat ad perdendum. Sanctus Chryſoſtomus præmonens Chriſtianum, vt conſpicatus Dæmonem appropinquantem recurrat ad Deum oratione ferventi, ſic eum alloquitur: *Nam ſi viderit deſidioſum & oſcitantem, otio & pigritia marceſcentem, compendio te, vtpote diuerſorium deſertum, ingredietur*. Sanctus Bernardus ſcribens ad ſororem: *Numquam ſis otioſa, quia otium inimicum eſt animæ. Diabolus cito decipit eum, quem otioſum inueniet. Diabolus quotidie in clauſtra intrat, & ſi aliquem inuenit otioſum, ſtatim accuſat*. Grauius quiddam protulerunt priſci monachi apud Caſſianum communi ſenſu: *Hæc eſt*, inquit, *apud Aegyptum ab antiquis patribus ſancita ſententia, operantem monachum dæmone vno pulſari: otioſum vero innumeris ſpiritibus deuaſtari*. Tentatio illa vna, qua monachus occupatus verberatur, vt ego reor, eſt vacationis & intermiſſionis: hoc eſt, Dæmon in eo totus eſt, vt negotium otio, laborem quiete commutet. ſi ſe vinci patiatur monachus, otioſum turmatim aggrediuntur, & quia pronior ad lapſum, voti compotes fiunt. Quamobrem cum omnes, tum potiſsimum iuniores à magiſtris moneri puto, vt ab otio ſibi caueant: quòd ij ſint in ſtatu periculoſiore, quàm ſeniores, ob vehementiores perturbationes, dæmonibus bene cognitas; quas ad eos expugnandos in otio, tamquam validas machinas in prælio ſpirituali fraudulenter ac fortiter adhibent. In horam ma-

S. Hier. ep. 4. ad Ruſt.

S. Chryſ. hom. 4. adu. Anon

S. Ber. ſer. 51. ad ſor.

Caſs. l. 10. c. 23.

S. Pach. in reg. 96. Caſſ. l. 10. c. 22. giſtrorum numero cenſentur è veteribus, Pachomius in regula, qui pœnę ſubdit præpoſitum non emendantē pueros otio deditos. Caſſianus in libro de Acediæ vitio, qui tradit ab Aegyptijs patribus, non permitti monachos eſſe otioſos, *ac præcipue iuuenes*, quos nominatim exprimunt. Hugo l. 3. de cl. an. c. 14. Hugo Victorinus ex recentioribus, qui refert illud vulgatum in aſcetica doctrina: *Iuuenis in otio, quaſi iuuencus ſine iugo*. Et ſane magna pœna eſt, ac maior quàm illa prima continens inquietudinem; videlicet otioſum eſſe coniectum in tam graue periculum, vt ſit obnoxius omnibus tentationibus; & adactus in neceſſitatem pugnandi ac repugnandi non vni aduerſario, ſed rabidiſſimorū ac ferociſſimorum hoſtium legioni.

19 Tertia pœna otioſi eſt, quam illi Deus interdum infligit in hac vita, tum ad ſuam ipſius emendationem, tum ad aliorum exemplum, tum etiam ad iuſtiſſimam punitionem otioſitatis. Atque hęc pęna diuina interdum eſt manifeſta per aliquod miraculum: aliquando eſt occulta, & hęc eſt longe grauiſſima. Prioris generis eſt illa, quam prodit ſua narratione Thomas Cantipratanus per hęc verba. Th. Cantipr. l. 2. ap. c. 9. n. 2. *Vidi iuuenem, cuius amariſſima relatione memini, quod ſubiungo. Hic piorū Fratrum ſuorum labore manuum viuebat; ipſe vero ſegnis otio vacabat & tædio. Et factum eſt animaduerſione diuina, vt eo cum patre et fratribus ad menſam ſedente, cibi (vt ei ſoli videbantur) verterentur in angues, ſapore tamen rerum deterrentium non mutato. Hoc cum per aliquot dies continuaretur in peius, tandem mutato vitæ propoſito, liberatus eſt, et ſanatus*. Attendat lector otioſus, quàm grande malum ſit laborem alienarum manuum comedi ab eo, qui ſuarum manducare debet: cui, ſi id prętet, quod debet, dicetur regij prophetæ teſtimonio:

monio: *Beatus es, & bene tibi erit*: ſi faciat, quod non debet, dici poterit vere contrarium: *Miſer es, & male tibi erit*. Alterum pœnæ genus occultum & grauius, eſt auxiliorum ſpecialium diuinę gratiæ ſubtractio. In tractatu de cura minimorum ad perfectionem neceſſaria, docui ex patribus & Theologis, interdum per venialia peccata hominem mereri, vt illi non dětur à Deo auxilia quædam gratiæ ſpecialis, ſine quibus in grauiora peccata delabitur, cum ijs ſeſe adeo roboraſſet, vt in gradu conſtitiſſet. Otioſus in ſtatu peccati eſt, ſaltem venialis, vt in ſecundo incitamento probatum eſt ex multis capitibus. Itaque metuendum eſt, ne illi à Deo in pœnam deſidiæ hæc adiumenta extraordinaria denegentur: quibus deſtitutus corruat in ea ſcelera, quæ rapiunt ad mortem æternam. Ducit me in hanc ſententiam ſimilitudo arboris infructuoſæ fici à Chriſto producta, quam Sanctus Petrus Chryſologus de otioſis intelligit, & inſuper obſeruat otioſum mereri, vt ex hac vita excidatur, quemadmodum Saluator arborem illam iuſſit ſuccidi, quæ triennio nullum prorulit fructum, & verna productione germinis & groſſorum decepit incautos. Audiatur ſanctus epiſcopus aureo ſermone loquens. *Infructuoſa arbor intricat ceſpitem, necat ſpatia, exhaurit terræ vires, cultorem conficit damno, afficit tædio poſſidentem: ac ſic excidere iſtam lucrum eſt, eſt iſtam commodum non habere*. Hactenus arboris infructuoſę damna. Quę ſequuntur otioſum deſignant. *Sic homo vtiq. qui naturæ donum, munus animæ, rationis beneficium, excellentiam ſenſus, iudicium mẽtis, artis induſtriam, culturæ bonum, per ſteriles atque inopes actus euertit, occupat, mergit, auctori fructum, cultori gratiam negat, ſicut arbor è terra, ſic iſte è vita meretur excidi*. Vocat ſteriles & inopes

Pſ. 127. 2.
Tr. de cura min. n. 59.
Sup. n. 5.
S. Pet. Chryſol. ſerm. 106.
Luc. 13. 6.

actus, otioſi occupationes, quæ nugæ ſunt, ioci, peccata: quibus tot pretioſa talenta donorum naturæ atque artis occupat, quæ fuiſſent negotianda. Quòd ſi meretur extirpari, metuendum eſt, ne id ſæpe fiat à domino vineæ modo declarato; præſertim cum otium diuturnum anteceſſit. Eodem ſpectare videtur S. Bernardus; qui primum profert illud Prouerbiorum: *Per agrum hominis pigri tranſiui, & per vineam viri ſtulti: & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant ſuperficiem eius ſpinæ; & maceria lapidum deſtructa erat.* Deinde addit de ſuo: *Audis Sapientem irridentem ſtultum, quòd bona naturæ & dona gratię, quæ fortè per lauacrum regenerationis acceperat, tamquam illam, quam plantauit Deus, & non homo, primam ſuam vineã, in non vineam negligendo redegit.* Per otium negligens hic ſuæ vineæ cultor, non vſus neque naturæ bonis, neque donis gratiæ, meruit, vt vrticæ ac ſpinæ pungentes peccatorum pro frugibus meritorum in ea naſcerentur, & maceria defenſionis corrueret. Poſt illa docet Sanctus Petrus hanc otioſitatem in præſide turpiorem ac magis noxiam eſſe. *Et ſicut infœcunda arbor, ſi fuerit in vinea, dum fundit mortiferam ſubiectis vitibus vmbram, inimica non ſibi ſoli, ſed etiam palmitibus fit fœcundis: ita homo deſes, ignauus, ſi præſit populis, non ſibi ſoli fit noxius, ſed multis; dum ſequentes ſe, ſuo vitiat & perdit exemplo.* Confirmatur hæc parabolæ applicatio ad hominem otioſum in aliqua domo, aut cœtu, ex vi Grecæ vocis, quam vulgatus interpres expreſsit per verbum *Occupat*, dicens *Vt quid etiam terram occupat?* Eſt autem καταργεῖ; quod proprie ſignificat inutilem reddit, inutiliter occupat, impedit & efficit, vt ſit otioſa, vt lexica Græcorum docent & Maldonatus noſter. Concordat Syriaca

Pro. 24. 30. 31.
S. Ber. ſer. 63. in Cãt.
Luc. 13. 7
Mald. luc. 13.

verſio

verſio, quæ habet, *Quorſum terram otioſam detinet?* vt probabiliter admodum Alfonſus Salmeron noſter explicet, Terram onerat trahens ſuccum ſine fructu. Eiuſmodi plane otioſus eſt, pondus inutile terræ; locum occupat alius fructuoſæ arboris, hoc eſt negotioſi hominis: ſugit è terra ſuccum, ſed eo ſuctu nihil proficit, quia non generat eo fructum vllum; humoremq. illum auertit ab alijs fructuoſis arboribus, quæ proximæ ſunt illi, vel in eius locum ſererentur, niſi tellurem occuparet: quod paulo ante dictum eſt de illo, qui laboribus alienis paſcitur ac fruitur otioſus. Quarta pœna eſt, quæ nominatim otioſis præſcripta eſt à quouis Ordine religioſo. Puto multas & graues extare. Specimen habuimus in ſtatuto Fratrum Minorum familiæ Ciſmontanę in nono incitamento. Non eſt animus, quia parum neceſſarium, recenſere omnes ab alijs Ordinibus conſtitutas. Iuuat ex antiquis obſeruare, quid S. Pachomius, ſiue Angelus, qui regulam illi dictaſſe creditur, ſanciuerit in hac re. Cum enim decreuiſſet otioſos pueros, vſque ad triginta dies etiã monendos & corrigendos à præpoſito, ſubdit: *Si viderit in prauitate perſiſtere, & non nuntiauerit Patri monaſterij, & aliquod peccatum in eis fuerit deprehenſum, ipſe pro eis culpæ ſubiacebit, iuxta quod peccatum fuerit inuentum.* Expendatur ſeueritas regulæ, quæ pœna multat præpoſitum (is erat in eo cœnobio ſecundus à Patre ſupremo rectore) ſi per eius taciturnitatem, peccatum aliquod ex otio & in otio ſit commiſſum. Nec ſine ratione, quoniã ab eo, qui præpoſitus erat iuniorum curę, oportebat occupatos eos in aliquo labore manuum, aut alia honeſta functione detineri.

20 Quinta pœna otioſorũ eſt paupertas, ſeu mẽdicitas, obſeruata a Turrecremata, quæ ſua ipſorũ culpa

Salm. t.7. tr.21.n.10

Sup. n.15.

S. Pach. reg. 96.

Turrec. tr. 113. in reg S. Ben. c. 48.

culpa illis aduenit triplex. Generatim loquendo, Caſſiani magiſtri peritiſſimi obſeruatio eſt, præclara Salomonis teſtimonia proferentis. *Quod otioſitatis vitium, inquit, etiam ſapientiſſimus Salomon euidentiſſime notat in multis, ita dicens: Qui ſectatur otium replebitur paupertate; vel viſibili, vel inuiſibili, qua neceſſe eſt otioſum quemque & diuerſis vitijs inuolutum teneri, & alienum ſemper exiſtere à contemplatione Dei, vel diuitijs ſpiritualibus, &c.* Vulgata editio pro *paupertate*, habet, *egeſtate*, quod verbum eſt ſignificantius ad exprimendam indigentiæ pœnam, quam ſubeunt otioſi. Sapientes quoque huius ſæculi cognouerunt ab otio paupertatem generari. Ex horum cętu Heſiodus cecinit, famem eſſe comitem indiuiduam otij atque deſidiæ. Quoniam vero id eſt vulgare malum, idcirco ſæpe Salomon mortales, vt ab eo caueant, præmonet. Caſſianus ibidem aliud profert ex eodem teſtimonium iuxta lxx. *Et veſtietur conſciſſa veſte, & pannoſa omnis ſomniculoſus.* Pro eo nos legimus in vulgata editione: *Et veſtietur pannis dormitatio.* Veſtiri pannis, & pannoſa veſte, eſt indui laceris pannis ac vilibus more pauperum. Id enim eæ voces ſignificant, etiam apud probatos ſcriptores Latinos, vt notant Cornelius Ianſenius, & Martinus Delrio: qui prætereà obſeruat, in Hebraico & Græco codice, vocem pannis reſpondentem, ſignificare ſcruta & laceros pannos. Itaque ſenſus eſt; Deditus ſomno & dormitationi, qui eſt otioſus, redigetur ex ſua ſegnitie ad eam egeſtatem, vt lacera veſte tegatur more mendicorum. Addo ipſe tertium locum ex eodem fonte ſapientiæ, de pigro, ſomniculoſo, & otioſo: *Veniet tibi, quaſi viator, egeſtas: & pauperies quaſi vir armatus.* Siue hic Viator dicat apparitorem, ſeu curſorem, qui olim magiſtra-

Caſſ. l. 10. c. 21.

Pro. 28. 19

Pro. 23. 21.

Ianſ. prou. 23.

Mart. Delr t. 2. adag. n. 157.

Pro. 6. 11.

Pro. 24. 34

ſtratibus Romanorum aderat, & ciues arcebat, prehendebatq. (vt ex M. Tullio & alijs intelligit Martinus Roa noſtri Ordinis in ſuis ſingularibus) quique iudicis iuſſu domos debitorum compilare ſolebat: ſiue notet iter agentem, vt eſt vulgatior ſignificatio, quæ placet Martino Delrio; Salomon prædicit homini pigro & otioſo superuenturam repentinam & ineuitabilem egeſtatẽ. Beda, ſiue Hieronymus hunc locum explanans, paupertatem, & ab otio pigritiaq. nutriri, & pœnam eſſe docet his verbis: *Egeſtas & pauperies pœna eſt vltima, in qua damnati nihil diuitiarum merentur: quæ quaſi viator veniet, quia improuiſa & ſubitanea: quaſi vir armatus, quia deuinci perpetuo non poteſt. Patet iuxta litteram, quia pigritia eſt nutrix egeſtatis.* Ante hos omnes martyr Ignatius: *Nemo otioſus in vobis ſit. Mater enim egeſtatis eſt vacuitas.*

Mart. Roa l.3. ſingul. c.1. Cic. l. de ſen. S. Hier. in prou.6. S. Ign. ep. ad Tarſenſ

21 Quod ſi percuncteris, quæ quotue ſint radices huius paupertatis in otioſo, reſpondeo tres. Harum prima eſt iactura temporis, quod pretioſiſſimum eſt, vt poſtmodum demonſtrabo, cum agam de remedijs otij fugandi. Neceſſarium eſt tempus ad quodlibet lucri genus, vt experientia rerum magiſtra docet, in quauis arte, profeſſione, negotiatione quæſtuoſa. Dilapidatur, abſumitur, perditur tempus ab otioſo: quid mirum in egeſtatem labi eum, qui parandarum conſeruandarum cuiuſcumque generis diuitiarum inſtrumentũ abijcit & contemnit? Secunda radix eſt, neglectus lucrifaciendi rationum, quas illi, vel Deus inſpirat, vel ingenium ſuggerit, vel alij proponunt. Simillimus in hoc eſt otioſus illi ſeruo, qui minam traditam ab hero ad negotiandũ, lucrum negligens, tenuit *repoſitam in ſudario*. Ex Euthymio ſudarium moraliter loquendo, eſt

Inf. n.32. Luc.19.20

Euthym. Luc. 19. *Otium, ſegnities, inutilitas.* Vel certe, ſi non contemnit prorſus has rationes, numquam decernit ſerio illas arripere: ſemper parturit, numquam parit: fluctuat in deſiderijs, vacuus operũ. Innuit Salomon in prouerbijs, cum ait: *Vult & non vult piger: anima autem laborantium impinguabitur.* Hoc eſt, cum otioſus aliquid cupit, non efficaci voluntate deſiderat; quia paulo poſt extinguit illud ſuum deſiderium. Hinc fit, vt diem totum conſumens in optatis, numquam ad actum deueniat executionis, nihil lucrifaciat, & in egeſtatem præcipitet. Contra vero, qui manum in labores immittit, pingueſcit locupletaturq. diuitijs. Affulget lux huic loco ab editione lxx. interpretum, qui habent hic ex Caſſiano & S. Hieronymo in epiſtolis: *In deſiderijs eſt omnis otioſus*: ſiue, vt idem Hieronymus vertit in commentario Ezechielis: *In deſiderijs eſt omnis anima otioſi:* quaſi dicatur, vt exponit Ianſenius: *Otioſus totus eſt in deſiderijs*, quia numquam exequitur, quod habet in votis. Grauius & clarius idem Salomon productus à Caſſiano aduerſus laborantem *ægritudine otij* vt ipſe, loquitur. *Deſideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam manus eius operari: tota die concupiſcit, & deſiderat.* Occidunt autem pigrum & otioſum ſua deſideria, ex eodem Iãſenio, vel quia illum acerbiſſime torquent, quòd votorum ſuorum numquam compos fiat; & fere mortem inferunt hoc cruciatu: vel quia ſuis deſiderijs immoritur, non aſſecutus quod optabat. Perducunt enim eum, & concomitantur vſque ad mortem, concepta non ſatiata deſideria, quia renuit operari, ac per operationes otium expellere.

Prou. 13. 4.

Caſſ. l. 10. c. 21. & coll. 24. c. 2.

S. Hier. ep 4. 8. & in c. 16. Exech.

Ianſ. prou 13.

Caſſ. coll. 24. c. 2.

Pro. 21. 25

Ianſ. prou 21.

22 Tertia radix paupertatis in otioſo, eſt infirmitas virium cuiuſcumq. generis, animę, ingenij, corporis, quas hæc ipſa ægritudo labefactat.

Ioannes

Ioannes Trithemius monachos ſuos exhortans ad vitandum otium in otio ſpirituali ſolitudinis præmonuit his verbis: *Conſiſtens in cella tua ſemper otium caueto, quoniam nihil ita vires mentis eneruat omnes, ſicut otium, poſtquam ex ſe produxit Acediam.* Cardinalis Turrectemata exiſtimat quoque otio facultates animæ ac virtutes infirmari debilitarique, & nominatim ingeniū hebetari. Probat id vtriuſque Senecæ teſtimonio. Marci quidem patris in declamatione quadam ſic dicentis: *Emollit otium vires, ſicuti rubigo ferrum.* Arbitror corrupto codice vſum, & indicaſſe dictum Porcij Latronis, præſtantis oratoris ab eodem Seneca relatum in decima controuerſia. Dixerat autem Latro in quadam ſuaſoria: *Non vides vt immota fax torpeat, & exagitata reddat ignes? mollit vires otium, ferrum ſitu carpitur, & rubiginem ducit.* Ingenij vero acumen hebeſcere otio probat idem Cardinalis L. Senecæ filij verbis ex epiſtolis, ſic ſcribentis: *Otium quaſi rubigo facultatem ingenij ſiccat.* Nondum didici quota in epiſtola id legatur. Ingenium otio rubiginem contrahere poeta quidam cecinit:

Trith. ho. 6.

Turrec. tr. 113. in c. 48. reg. Ben.n.2.3

M.Sen.l. 2 contr. 10.

Ouid. l.5. triſt. eleg.

Ingenium longa rubigine læſum
Torpet, & eſt multo, quàm fuit ante, minus.

Confirmat Sanctus Hieronymus, quem pluris facio, ſcribens ad Innocentium: *Otium quaſi quædam ingenij rubigo eſt.* Immo & ſapientiæ nocet, quæ partus eſt, & decus ingenij. Huc venit Caſſiodori dictum ſapienter: *Natura humana, ſicut laboribus inſtruitur, ita per otia torpentia infatuatur.* ſapientiæ ſalem nimirū perdit, & ſaporē. Caſtigans idē Hieronymus in Eccleſiaſtis explanatione illos, qui modicū adepti ſciētiæ, in ſuperbiā elati ſtudium deſerunt: *Otium,* inquit, *& deſi-*

S.Hier.ep. 49. ad Innoc.

Caſſiod. l. 1.var.c.39

Id. in c.10 Eccleſ.

& deſidia, quaſi quædam rubigo ſapientiæ eſt. Ratio ea mihi videtur, quòd otioſus intermittit ſtudium, quod ſapientiam alit; eoq. intermiſſo irruit in ſapientiam obliuio, quæ vel eam obruit, vel inobſcurat. Idem probant conglobatæ ſimilitudines Chryſoſtomi: *Vter equus vtilis; is, qui in delicÿs, an qui exercetur? Vtra nauis; ea, quæ nauigat, an quæ in littore manet? Vtra aqua, eane quæ fluit, an quæ ſtat? Vtrum ferrum; quod mouetur, an quo nemo vtitur? nonne illud quidem ſplendet, atque argento ſimile eſt, hoc autem rubigine conſumitur, & vbiq. inutile eſt, ac etiam aliquid ſuæ materiæ amittens? Tale quiddam fit etiam in anima otioſa. Rubigo enim quædam apprehendit illam, & conſumit ſplendorem atque alia omnia*. Corpus itidem otio labefactari docuit idem Ouidius à Turrecremata productus:

S. Chryſ. hom. 35. in actus.

Cernis vt ignauum corrumpant otia corpus?

Ouid. l. 1. de Ponto. el. 6.

Venit in eandem ſententiam idem S. Chryſoſtomus vbi probare conatur hanc poſitionem: *Omnia damnum accipiunt ab otio*. Primum id oſtendit in corpore, cum ait: *Etenim & oculus, & os, & venter, & vnumquodque membrorum, niſi quod ſuum eſt, operetur, in extremum incidit morbum*. Poſt in alia homilia præclarius: *Corpus, quod otioſum quidem & immobile, magis morbis obnoxium & fœdum: quod autem mouetur & laborat, & ærumnis exercetur, formoſius eſt, ac ſanius*. Subnectit ſimilitudinem iam prolatam: *Et ferrum quidem, ſi iaceat, corrumpitur: Si autem exerceatur, ſplendet*. Quid quòd & Ariſtotelis ſententia, in pace, quæ genus quoddam eſt otij publici, ciuitates *ſplendorem veluti ferrum amittunt?* Cum igitur per otiũ eneruetur animus, ingenium, corpus; minuatur ſapiẽtia, inobſcuretur gloria bello parta; quid mirum non ſuppetere vires otioſo, quibus tantum lucri

S. Chryſ. hom. 35. in actus.

Id. hom. 54. in act.

Ar. l. 7. polit. c. 14.

lucri faciat, vt ſeſe ab egeſtate tueatur? Itaq. B. Ægidius S. Franciſci ſocius ſpiritualibus apophthegmatibus abundans, valde ſapienter ac vere dicere ſolebat: *Homo otioſus præſenti & futuro ſæculo ſe priuat; neq; ſibi, neq; alijs vtilis.* Probatũ eſt ſibi inutilem eſſe; quia nihil agit ſui gratia: ſed qui nihil ſibi prodeſt, neque alijs prodeſſe poteſt; dicente Eccleſiaſtico; *Qui ſibi nequam eſt, cui alij bonus erit?* B. Aegid. in dictis; de ſancta cord. ſolicitud. Eccl. 14.5.

23 Dixi non multo ante, paupertatem, in quã miſerabiliter incurrit otioſus, eſſe triplicem. Prima eſt fortunarum, ſeu rei familiaris, quam è ſenſu litterali teſtimoniorum Salomonis productorum exprimunt interpretes. Hanc nihil plane pertinere video ad Religioſos priuatos, qui per votum paupertatis patrimonio carent, nec augendæ rei familiari ſtudere iure queunt. Niſi forte quis dicat otioſis Religioſis mendicantibus, qui non laborant iuxta ſuum inſtitutum, ac propriam regulam, ex facili deeſſe ſubſidia eleemoſynarum, quibus vitam pauperem, quam profitentur, ſuſtentare poſſint. Euenit ſæpe, aliquibus Religioſis, quod Apoſtolus Theſſalonicenſibus denuntiabat: *Si quis non vult operari, nec manducet.* Euenit inquam illis Dei permiſſu ac voluntate in pœnam deſidiæ atq. otij ad correctionem, vt è veterno Acediæ excitati reſipiſcant, rerum neceſſariarum ſumma inopia. Neque extra periculum incidendi in eandem egeſtatem ſunt Religioſi, qui certis vectigalibus in communi poſſeſſis aluntur. Nam ſi eos iners otium oppreſſerit, vineæ cultor, tamquam arbores infructuoſas extirpabit, hoc eſt bona eripiet, atque alijs ſtrenue laborantibus attribuet; ac proinde in magnam deuenient paupertatem & rei familiaris penuriam; quod hoc æuo contigiſſe non accepi, ſed vidi. Sup. n.20. 2.Theſſ.3. 10.

Secun-

Secunda paupertas, qua multatur otioſus, eſt diuitiarum ſpiritualium vacuitas & inopia. Eam Caſſianus inuiſibilem paupertatem nominat. Hic moralis ſenſus eruitur ſecundo loco è teſtimonijs Salomonis, vbi loquitur de otioſi egeſtate. Iacobus Aluarus noſter, vbi copioſe de hac ſpirituali paupertate diſſerit, inter cetera hæc habet: *Sicut otioſitas eſt ſpiritualis paupertatis initium, ita honeſtæ occupationis aſſiduitas cæleſtium diuitiarum eſt ſeminarium*. Producit Beati Laurentij dictum de ſancto timore diſſerentis: *Timor quoque virtutes excitat, ne rubigine otij conſumantur; quia nihil in ſancto propoſito, otio deterius eſt, quod non ſolummodo non acquirit noua, ſed etiam acquiſita conſumit. Sancta enim vitæ ratio proceſſu gaudet & creſcit; otio tamen & ceſſatione torpeſcit.* Mutuatus eſt Beatus Laurentius hanc doctrinam ijſdem pęne verbis, ab auctore antiqno epiſtolæ ad Demetriadem, quæ tum Hieronymo, tum Auguſtino falſo tribuitur. Retuli verba eius in ſeptimo incitamento. Hæc autem ſpiritualis egeſtas poſita eſt in inopia virtutum, gratiæ diuinæ, meritorum, dulcedinis ſpiritus, quæ ſunt diuitiæ ſpirituales. Otioſus enim, cum nihil agat; nec actibus frequentandis acquirit habitus virtutum; nec precibus aſſiduis implorat in hos quæſtus diuinum auxilium; nec virtutum exercitatione auget diuinam gratiam, ſi habet; nec actibus pœnitentiæ recuperat gratiam, quam perdidit; nec vſu gratiæ bene operando ſibi comparat merita, quibus debetur gloria cum cæleſtibus diuitijs; nec ſuaui tates in exercitijs ſpiritualibus ſentit, aut percipit, quas deguſtant oſores otij. Quapropter otioſus perdit, quæ habet, bona ſpiritualia, ijſq. amiſsis labitur in egeſtatem eiuſdem generis, quam deſcripſimus; atque in

Caſs. l. 10. c. 21.

Iac. Alu. t. 1. l. 5. c. 37.

B. Laur. in ligno vitæ tr. de tim. c. 2.

Auct. ep. Demetr. c. 27.

Sup. n. 12.

in ea miſerrime iacet atque inſordeſcit, dum otio marceſcit. Tertia paupertas, quæ referri poteſt ad inuiſibilem Caſſiani, eſt ex mea ſententia, litterarum, doctrinarum, ac ſapientiæ humanæ ſacręq. inopia. Hic ſapientiæ theſaurus, ingenio, tempore, ac diligentia comparatur. Otiū, vt eſt probatum, aciem retundit ingenij, tempus inutiliter obligurit, diligentiam expellit & induſtriam. Quis prudens dicat, aut ſperet, otioſum vnquam poſſe diteſcere? Recte igitur ac vere Hugo pronuntiauit: *Otium ſtultitiam, labor ſcientiam generat.* Sup. n.22.

Incitam. XII. Otij vitioſitas.

24 DVodecimum incitamentum ad otium exterminandum è finibus humanæ, Chriſtianæ, religioſæ vitæ, ſit conſideratio attentiſſima vitioſitatis otij, quod deteſtamur. Huius mali, tanta eſt malitia, tam maligna natura, vt exiſtimetur & clamoribus prædicetur à ſapientibus viris, Diaboli virus, fons, ſentina, cauſa, origo, ceſpes, radix, principiū, ſcaturigo, fomes, magiſter, parēs, nutrix oīum malorū. Cato ſapiens ethnicus cognitam habuit hanc vim noxiam otij, cum dixit, *Nihil agendo male agere diſcimus*. Et ſapiens Chriſtianus Iuſtinianus Imperator, nouit pariter infelicis huius arboris malignitatem, cum præcepta viuendi monachis præſcribens, iubet eos ſacris Scripturis vacare, atque exerceri artibus manuarijs, quoniam *Mens inerti otio dedita*, inquit, *haud ſane quidquam bonorum pepererit*. Maxime omnium diuinitus ſapiens Eccleſiaſticus, exhibet mentibus noſtris hanc fœcundam vitioſitatem, vulgata quidem, ſed præclariſſima ſententia. Differens enim de ſeruo maleuo- Iuſtin.nouella. 133. de mon. Eccl. 33. 29.

lo

lo, compedibus & tortura digno, vetat otioſum eum eſſe: *Mitte illum*, inquit, *in operationem, ne vacet: multam enim malitiam docuit otioſitas*. Poſtrema verba rationem reddunt, cur non ſit in otio ſeruus tolerandus: quoniam otioſitas eſt magiſtra multorum malorum. Hæc mala certatim recēſent magiſtri ſpirituales hoc Eccleſiaſtici pronuntiatum expendentes: inſuper ſimilitudinibus explicant, & verbis translatis enuntiant, vt malitiæ vim exprimant, cateruāq. dānorum. S. Chryſoſtomus in cōmentario S. Matthæi, ſic paraphraſtice hunc locum effert: *Omnium vitiorum, quaſi magiſtra quadam, atque origo eſt otioſitas*. Alio in loco docet eſſe, non malitiæ partem, ſed cauſam & radicem. Item alibi ait; id in anima reperiri, quod in corpore: quod quidem ſi ſit otioſum, morbis & deformitati magis eſt obnoxium. Ioannes Caſſianus S. Chryſoſtomi diſcipulus legit hanc ſententiam hoc modo: *Multa mala enim docuit otioſitas*: quo modo nobis indicat multitudinem peccatorum, quæ parere ac docere conſueuit. In toto libro decimo inſtitutorum, qui eſt de ſpiritu Acediæ, recenſet ea mala, quæ nos quoque in hoc tractatu attigimus; ſed in cap. 14. appellat fomitem vitiorum; radicem, vnde cauſæ vlcerum emergunt; ceſpitem, ex quo pullulant valetudines malæ, S. Baſilio, *Maleficij principium* eſt otiū. S. Bernardo, *Summa mentis malitia*: otioſitas vero dicitur ab eodem. *Mater nugarum, nouerca virtutum, ſentina omnium tentationum, & cogitationum malarum, & inutilium*. Ab Eremita quodam probo, cuius mentio eſt in hiſtoria Camaldulenſium eremitarum montis coronæ, dicebatur otioſitas, *Nutrix peccati*. Auctor ſermonum ad Fratres in Eremo, multa de otioſitatis malignitate ac damnis. Libet nonnulla tranſcribere, quæ

S. Chryſ. hom. 36. in Matt. Id. hom. 16. in ep. ad Ephſ. Id. hom. 35. & 54. in actus.

Caſs. l. 10. c. 14. & 21

S. Baſ. hom. 7. in hexaem.

S. Bern. l. de vita ſolit. & l. 2. de conſid. c. 13.

Hiſt. Camald. mōt cor. l. 3. c. 6

apta

apta ſunt huic loco, *Per otioſitatem, Fratres, rigorem ſancta ſolitaria religionis faſtidimus: per hanc eremum ſæpe exire tentamur: per hanc accendimur frequenter ad luxuriam: per hanc animamur ad ſuperbiam: per hanc ducimur ad Mundi gloriam: per hanc tentamur delicate paſci: per hanc ſuffocamur pretioſe veſtiri: per hanc ad ſuperfluā dormitionem trahimur: per hanc ad verba ſæcularia ducimur libenter audire. Hæc eſt illa otioſitas peſſima, quæ frequenter Sanctorum conuentus deſtruit, pariens in eis luxuriam, nutriens in eis gulā, ſeminās inter eos zizaniā, generans inter eos homicidia, & omnia, quæ ſunt opera carnis.* Alia ſubijcit in eiuſdē deteſtationem, quæ claudit hoc dicto: *Fuge otioſitatem, quia in ſeruis Dei nihil peius reperitur.* Ioannes Trithemius reformati monaſterij abbas: *O monachi, non ſolum quotidie, ſed omni hora atque momento, contra hanc beſtiā vigilandum eſt: quoniam admiſſa in cor, numquam ſola ingreditur, ſed eam tota congeries & ſcaturigo omnium vitiorum comitatur &c.* Cardinalis Ioannes à Turrecremata decem mala recenſet, quæ ab otioſitate oriuntur. Curſim ea referam, & in compendium redigam, vt magiſtris aliorum ſint in promptu. *Excæcat*, inquit, *intellectum: virtutes animæ & potentias debilitat: ingenium hebetat: affectum animæ corrumpit: eſt inimica virtutum, bonorum omnium acquiſitorum conſumptiua: hominem pauperem facit & egenum. parit animæ ignominioſa peccata: animam reddit dignam maledictione, ſpoliat & priuat animam futura gloria*, Alfonſus Salmeron noſtri Ordinis in explanatione parabolæ de operarijs otioſis miſſis in vineam, producta Eccleſiaſtici gnoma, ſequentia mala otij in vnum cumulum trahit. *Inde*, inquit, *deſiderij mala, egeſtas, latrocinia, rapinæ, ſpectacula, detractiones, luſus, ſcortationes, omnia denique peccata ortum habent:*

Auct. ad Fratr. in Eremo. ſer. 17.

Trith. ho. 16.

Turrec. tr. ut. in reg. S. Ben. c. 48.

Salmer. t. 7 tr. 33. §. 12.

bent. Non omnia enumerata per hos auctores, mala otioſitatis, inter otioſos Religioſos reperiuntur, ſed reperiri poſſunt: proinde præſtat doctorum verba legentibus obijcere, vt præcaueāt. Verum inter ſæculares, ac laicos, quos à lectione huius tractatus excluſos nolo, omnia deprehenduntnr, & alia fortaſſe, quæ vel non notaui, vel præterij, quòd in hac ipſa diſputatione attigerim. Studioſus lector colliget. Nonnullos peſtilentes fructus, tam venenatæ arboris copioſius ex plicare in gratiam magiſtrorum perfectionis, ope ræ pretium duco. Nec mira videbitur tanta malorum fęcunditas ijs, qui meminerint à Procopio, Anſelmo, Bernardo, Franciſco, & alijs otioſitatem animæ inimicam declarari.

25 Primus malus fructus, ſeu partus otioſitatis eſt cogitationum otioſarum ac pernicioſarum, quas facillime ac numeroſiſſime parit, maximam opportunitatem nacta in nihil agente. Non incognitum id philoſophis. Crates cum vidiſſet adoleſcentem otioſum, ſecreto ambulantem, interrogauit, *Quid illic ſolus faceret? Mecum*, inquit, *loquor*. Cui Crates: *Caue*, inquit, *rogo & diligenter attende, ne cum homine malo loquaris*. Quid ſit cum homine malo loqui, declarat L. Seneca his verbis: *Nemo eſt ex imprudentibus, qui relinqui ſibi debeat. Tunc mala conſilia agitant, tūc aut alijs, aut ipſis futura pericula ſtruunt: tunc cupiditates improbas ordinant: tum quidquid aut metu, aut pudore celabat, animus expromit: tunc audaciam acuit, libidinem irritat, iracundiam inſtigat*. Hæc Seneca. Merito igitur Antiſthenes interrogatus, quid lucri feciſſet ex philoſophia, reſpondit: *Poſſe mecum loqui & verſari*. Magnum ſane lucrum eſt, in pectore intimo, vbi nullus teſtis aſſiſtit ex mortalibus, prauas cogitationes non concipere.

L. Sen. ep. 10.

cipere. Sed miſſam faciamus ancillam philoſoph iam, ac veniamus ad Theologiam dominam ac reginam. Sanctus Baſilius explanans præclarum monitum, *Attende tibi ipſi, ne quando fiat verbum occultum in corde tuo, iniquitas*: quod monitum eſt in editione lxx. interpretum, docet adoleſcentibus irrepere quandam ægritudinem animi, per quam ſe tenere manu putent, quæ ſola ſpe præſumpſerunt. Morbum hunc declarat his verbis: *Si quando otium internanciſcuntur, vel ſolitudinis, vel quietis nocturnæ, imaginationes comminiſcuntur, & ſecum effigiant rerum, quæ nuſquam ſunt. Abeunt in omnia præcipites, & diuagantur per facilem mentis inconſtantiam. Pro comperto ſibi proponunt vitæ ſplendorem, claras, & illuſtres nuptias, fœcunditatem prolis, longæuam ſenectutem, à nemine non exhibendum honorem*. Alias multas recenſet eiuſdem modi cogitationes, & vota inania, quæ hoc Scripturæ monito reprimuntur: & clarius docet ab otio propigni, cum ait: *Otioſæ prorſus & ceſſantis animæ propria eſt hæc ægritudo, cernere inſomnia vigili corpore*. Sanctus Hieronymus eiuſdem ęui magiſter expertus, qui malas cogitationes in otio metuebat, explicans peccata Sodomæ, inter quę numeratur otium ab Ezechiele propheta, præmonet, vt labore illud diſcutiamus. *Porro quod pro delicijs*, inquit, *otium in Hebraico continetur, ſciendum ad illum ſenſum pertinere: In deſiderijs eſt omnis anima otioſi: quod videlicet ſemper aliquid agendum ſit, ne ager pectoris noſtri, ceſſante manu, malarum cogitationum ſentibus occupetur*. Obſeruetur aptiſſima ſimilitudo agri, qui gignit ſpinas, tribulos, & noxias herbas, niſi colatur induſtria cultoris manu. Similiter humana mens cogitationes malas ſua ſponte profundit, ſi relinquatur inculta, & bo-

S. Baſil. homil. 3. Attende tibi Deu. 4. iux 70. interpr.

S. Hier. in c. 16. Ezech.

Ezech. 16. 49.

Prou. 13. iux. 70.

nis occupationibus non exerceatur. Placuit hęc
S. Chriſ. hom. 7. in 1. Cor. ſimilitudo S. Chryſoſtomo, qui docens, amorem turpem ali ſegnitie in otioſo, qui neceſſarijs negotijs non occupatur, & cuius anima tamquam erro quiſpiam obambulans in quoduis incidit malum: *Quoniam*, inquit, *illi* (animę) *mos eſt aliquid agere; vbi ceſſaris in bonis occupatus eſſe, quando non poteſt eſſe otioſa, cogitur alia quadam gignere, non aliter, quam terra, ſi non occupata ſemente, aut conſitione, quamlibet herbam producit. Sic & anima, quoties non habet quod agat rerũ neceſſariarũ, cum omnino cupiat aliquid agere, prauis actionibus ſemet tradit.* Subnectit aliã ſimilitudinẽ non minus idoneã. *Queadmodum oculus, quando non deſinit cernere, atq. ob hoc cernit mala, ſi quando bona non ſint obiecta: ſic & cogitatio, quoties ſe abducit à neceſſarijs, circa inutilia iam*
Id. hom. 4. contra Anom. *verſatur.* Scripſit alibi, mentem humanã otioſam diffundi lareq. defluere; quod per cogitationes ina
Caſſ. l. 10. c. 6. nes ac noxias intellige. Ioan. Caſſianus Chryſoſtomi diſcipulus: *Mens otioſi nihil aliud cogitare nouit, quã de eſcis ac vẽtre, donec inuenta quandoq. ſodalitate cuiuſquã viri, vel femina, tẽpore æquali torpẽtis, rebus eorũ ac neceſſitatibus inuoluatur.* S. Gregorius
S. Greg. l. 5 mor. c. 22. Papa diſſerens de sõno Iacob ſuper lapidẽ dormiẽte, obſeruat quoſdã eſſe, qui fugiũt actiones Mũdi, ſed virtutibus nõ ſtudẽt. De his ita ſcribit: *Quibus plerũq. cõtingit, vt quanto ſecurius ab externis actionibus ceſſant, tanto latius immũdę in ſe cogitationis ſtrepitum per otiũ congerant. Vnde ſub Iudææ ſpecie per prophetam torpens otio anima defletur, cum dicitur: Vide*
Thren. 1. 7 *runt eã hoſtes, & deriſerunt ſabbata eius. Præcepto enim legis ab exteriori opere in Sabbato ceſſatur. Hoſtes ergo ſabbata videntes irrident, cum maligni ſpiritus ipſa vacationis otia ad cogitationes illicitas pertrahũt vt vnaquæq. reproba anima, quo remotior ab externis actionibus ſeruire Deo creditur, eo magis eorum tyrannydi*

nydi, illicita cogitando famuletur. Subdit aliter ſeſe rem habere in virtutis ſtudioſis, qui *Quotidie contra ſemetipſos pugnant, ne mens per negligentiam torpeat; ne ſubacta otio ad deſideria immunda frigeſcat.* S. Iſidorus: *Per otium libidines, & noxiarum cogitationum nutrimenta concreſcunt.* S. Bernardo, vt dictum eſt paulo ante, otioſitas eſt *ſentina cogitationum malarum & inutilium*: quod etiam S. Bonauentura ex ſenſu S. Franciſci ſcripſit. Iuo Carnotenſis otioſas mentes pronuntiat, *nocuis & vagis cogitationibus expoſitas eſſe.* S. Anſelmus in libro ſimilitudinũ cõparat cor humanũ molẽdino, quod ꝓ farina dat cogitationes. Et quoniã Gerſon hãc ſimililudinẽ paucioribus ad rẽ noſtrã adſtrinxit, placet eius verba referre. *Nõ eſt,* inquit, *aliqua cogitatio tã turpis, tã abominabilis, mala et execrãda, quã nõ inueniat deteſtãda otioſitas. Nã cor vacantis otio eſt ad inſtar molendini, quod cũ non habeat ad molendum bonũ frumentũ, quia in continuo motu eſt, molit & conſumit ſeipſũ, etiã vſq. ad totalem ſui conſumptionẽ, aut deſtructionẽ, niſi prohibeatur alicuius diligẽtia. Et æque cito molit aduolantes fœdas muſcas, ſicut granorum electorum adipes.*

S. Iſid. in reg. c. 5. Sup. n. 22. S. Bon. in vita S. Fra. c. 5. Iuo. Carn. ep. 10. ad Monial. S. Anſel. l. ſimilit. c. 41. Gerſ. p. 3. tr. de exerc. diſcretis &c. §. Dicamus.

26 Secundus pernicioſior otioſitatis partus, eſt genus omne flagitij ac nequitiæ. Communis hic ſenſus eſt magiſtrorum ſpiritualium, tum priſcorum, tum recentium, quem ratione atque auctoritate probabo. Diximus ex otioſitate, tamquam è radice cogitationes pullulare malas cuiuſcumque generis: naſcuntur è turpibus cogitationibus deſideria; ex his operis effectio. Rationem affert Ioannes Gerſon in confutatione Romantij de Roſa, qui nuditatem, obſcena verba, & alia incitamenta impudicitiæ libello edito, aut permittebat, aut excuſabat. Cum res eadem obſcena duobus modis expri-

Sup. n. 25. Gerſ. p. 4. tr. adu. Romant. de Roſa.

mi queat, vel recte ac verecunde, vel inuerecunde atque aperte; iure aſſerit Gerſon hanc poſteriorem loquen di rationem ab auribus modeſtorum hominum reſpui, meritoque damnari ac vetari: quoniam per eam phantaſia plus mouetur; quemadmodum plus calefacit carbo retectus, quàm cinere contectus, vt experientia patet. Subdit autem in rem noſtram hęc verba: *Phantaſia ea eſt, quæ totum parit deſiderium. Inde eſt, quòd domina otioſitas, ianitrix eſt fatui amoris. Non enim reperit imaginationem ac phantaſiā hominis occupatam. Ideoque carnalia huiuſmodi ei deſideria immittit. Quocirca non eſt remedium efficacius, quàm ſeſe in aliquo bono negotio occupare.* Sed iam oſtendamus auctoritatibus ſenſum hunc communem, ab otio nequitiam & petulantiā gigni.
Ezech. 16. 49. *Deus apud Ezechielem ſic populum* alloquitur: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ; ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius, & filiarum eius.* Cuiuſmodi fuerit peccatum Sodomę, & quàm petulantes ciues illius abominabilis vrbis, notius eſt, quàm vt egeat probatione. Inter cauſas grauium flagitiorum numeratur otium à nobis exagitatum: quod alij vertunt, abundantiam
Petr. Prad. in c. 16. Ezech. n. 49 otij, vt notauit Petrus Prado noſter: quia tanta flagitia illius Gētis diuturno ſunt in otio procreata.
Ar. l. 7. polit. c. 15. Ariſtoteles ipſe obſeruauit diuturna pace, quæ eſt quoddam otium publicum Ciuitatis, ciues fieri petulantes: & hanc ipſam petulantiam, quę eſt
B. Alchuu. op. 49. effrenata libido, tribuit otioſitati Beatus Alchuuinus. Refert Gerſon in idem otium, hoc ipſum
S. Hier. ep. 4. ad Ruſt. flagitij genus, de quo ſatis dictum ſit. S. Hieronymus Ruſticum monachum erudiens, hortatur ad expel lendum otium labore manuum, *Ne vagetur*, inquit, *pernicioſis cogitationibus mens, & inſtar fornicantis Ieruſalem, omni tranſeunti diuaricet*

cet pedes ſuos. Poſtrema verba ſumpſit ex Ezechie- Ezech.16. 25.
le appoſite deſcribente mulierem proſti tutam, vt
oſtenderet à noxijs cogitationibus in otio concep-
tis luxuriem procreari. Sine vllo verborum alle-
goricorum inuolucro in regula monacharum idē
Sanctus doctor, (ſi tamen eius eſt ſcriptor) rem Id.c.9. regula monachar.
expreſſit: *Teneatis firmiſſime, quòd omnis concupi-
ſcentiæ, & immunditiæ atque peccati mater eſt otio-
ſitas*. Negat Sanctus Chryſoſtomus amorem im- S. Chryſ. hom. 7. in 1.Cor.
pudicum à ſola forma naſci; quòd multi feminas
deformes ament, & formoſæ multæ à nullis amē-
tur. Negat à ſolo dæmone excitari, in quem ple-
rique mortalium culpam omnem regerunt; cum
ille nobis nocere non valeat, niſi conſentiamus ip-
ſi. Quid igitur? *Nec aliunde*, reſpondet, *naſci-
tur hic malus morbus, vt à conſuetudine, à verbis adu-
lantibus, ab otio & inertia ex eo, quòd nihil habemus,
quo occupemur*. Accedit in eandem ſententiam
Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis: *Dei ſeruum ſine in-
termiſſione legere, orare, operari oportet, ne forte* S.Iſid. l.3. ſent. c.10.
*mentem otio deditam ſpiritus fornicationis ſubripiat.
Cedit enim labori voluptas, animum autem vacan-
tem cito præoccupat. Contuere Salomonem per otium
multis fornicationibus inuolutum, & per fornicatio-
nis vitium vſque ad idololatriam lapſum*. Exemplū
Salomonis & Dauid patris eius, qui per otium in
flagitia ceciderūt, paſſim producitur à magiſtris,
quia peridoneum eſt ad deterrendos ab otio ſpi- S. Bern. l. de modo bene viu. ſer.7.
rituales viros cunctoſque Chriſtianos. Sanctus
Bernardus eſt in eorum numero, ſcribens formā
bene viuendi: *Rex Salomon per otium ſemetipſum
inuoluit in multis fornicationibus*. Et poſt alia
multa in rem præſentem: *Luxuria cito decipit homi-
nes otio deditos: luxuria cito decipit hominem otio-
ſum, decipit hominem vagantem: luxuria grauius v-
rit, quem otioſum inuenit. &c.* Otioſitatem paren-

Sup. n. 14. S. Bon. tr. de refor. mentis. p. 2. c. 23. Th. Cantipr. l. 2. ap. c. 10. §. 1. tem eſſe luxuriæ pronuntiauit auctor ſermonum ad fratres in eremo, vt vidimus. Vbi S. Bonauentura collocat otij fugam in remedijs luxuriȩ curandȩ, ſatis ſuperq. declarat otioſitatem matrē eſſe flagitiorum. Thomȩ Cantipratani, qui eodē ſeculo ſcripſit, his verbis ſententia comprehenditur: *Nihil ſic timendum eſt otioſis, quàm prolapſus in cœnum luxuriæ.* B. Laurentius in tractatu de gradibus perfectionis: *Sicut aqua, quæ caret decurſu, & iacet in foueis, putreſcit & humano vſui aliena efficitur, repleturq. animalibus venenatis & noxijs; ita & corpus otij tabe confectum, concupiſcentiarum & voluptatum carnalium parit & nutrit inſaniam.* Ioannes Trithemius vbi docuiſſet ſuos monachos, otioſum, nec ſibi viuere, nec proximo, ſed ventri ſemper deditum, aut ſomno, ait de otioſitate: *Incentrix libidinis cito extinguit feruorem ſpiritualis deuotionis.* Ipſi Mundi ſapientes & ſuo malo experti ſenſerunt idem prorſus, vt obſeruauit Gloſſa canonici iuris, quæ poetæ cuiſdam diſticha duo refert aptiſſima huic diſputationi:

B. Laur. l. de grad. perf. c. 9.

Trith. ho. 24.

Gloſ. cap. niſi cum prid. §. verum de renunt.

Ou. l. 1. de rem Amo.

Otia ſi tollas, periere cupidinis arcus,
Contemptaq. iacent, & ſine luce faces.

Et: *Quæritur Ægiſtus quare ſit factus adulter:*
In promptu eſt ratio: Deſidioſus erat.

Turrec. tr. 113. in reg. S. Ben.

Turrecremata quoque notauit huius poetæ ſententiam, addens inſuper ipſe de ſuo: *Vitium fornicationis facile ex vacantia & otio naſcitur. Nam qui ſolicitudinibus animum habet occupatum, non facile fornicationi operam dabit.*

27 Tertius partus otioſitatis damnoſus eſt Curioſitas, quam illa vel generat, vel alit. Indicat Apoſtolus otij filiam eſſe curioſitatem, cum ſcribens ad Theſſalonicenſes ait: *Audiuimus enim inter vos quoſdam ambulare inquiete, nihil operantes, ſed curioſe agentes.* Qui nihil operantur otioſi ſunt: in-

2. Theſſ. 3. 11.

de

de curioſitas emergit. Sanctus Chryſoſtomus in eum locum: *Neceſſe eſt, vt qui eſt otioſus, & poteſt operari, ſit curioſus*. Theodoretus pariter: *Otioſorum propriæ ſunt nugæ, futiliſque loquacitas, & inutilis curioſitas*. Caſſianus, qui ut dictum eſt in octauo & vndecimo incitamento, ex Apoſtoli doctrina probauit otioſos inquietos eſſe; colligit quoq. curioſitatem ab ijſdem otioſis in illa inquietudine exerceri, monerique à Paulo hoc fere modo: *Et vt veſtra negotia agatis, non veſtra curioſitate actus Mundi velitis inquirere, ac diuerſorum conuerſationes explorantes, opera veſtra, non ad correctionem veſtram, ſeu virtutum ſtudia, ſed ad detractiones Fratrum velitis impendere*. Habet hic peritus magiſter, in eodem loco, alia multa in eandem ſententiam aduerſus monachos otij putredine, vt ipſe loquitur, & inertiæ morbo, tanquam letali contagio corruptos. Habemus aliud inſigne teſtimonium, quo curioſitas ex otij labe gigni videtur, apud eundem Paulum Timotheo ſcribentem, & otium feminarum caſtigantem. ait enim. *Simul autem & otioſæ diſcunt circuire domos; non ſolum otioſæ, ſed & verboſæ, & curioſæ, loquentes quæ non oportet*. Agnouit Beatus Auguſtinus Apoſtoli hunc eſſe in his verbis ſenſum, vt otioſitas ſit mater curioſitatis, cum ait in libro de ſancta virginitate; *Curioſas & verboſas malas innuptas Paulus Apoſtolus notat, & hoc vitium dicit venire ex otio*. Idem in libro de opere monachorum, à feminis hanc labem ad viros deriuat Sanctus Anſelmus in explanatione loci eiuſdem infert ex otio fieri feminas illas non modo mente vagas, ſed etiā corpore ineſtabiles: & quia domi ſtare neſciūt, ideo aſſueſcūt domos alienas ſine cauſa circuire: vbi fiunt *curioſæ inueſtigantes*

S. Chryſ. hom. 5. in 2. Theſſ. Theodor. in 2. Theſſ. 3. Supr. n. 13. & 17. Caſſ. l. 10. c. 7. 1. Tim. 5. 13. S. Aug. l. de S. Virg. c. 3. Id. l. de op monach. c. 22. S. Anſel. in 1. Tim. 5.

gantes aliena facta, & negligentes ſua, & ſtudentes ſemper aliquid audire: & ſunt loquentes ea, quæ non oportet; id eſt turpia & ad libidinem pertinentia, vel quolibet alio modo religioni contraria: Vides lector ex Anſelmi ſententia tandem otioſitatem per curioſitatem in impudicitiam verborum deſinere.

Verum omiſſa garrulitate, ad curioſitatem, quę primo loco ſcaturit ex otio, rediens, valde laudare cogor Martinum Delrio noſtrum; qui rerum alienarum curioſis ſcrutatoribus accommodat illud Salomonis: *Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti*: Sunt enim veluti muſcę illi, qui ſe omnibus ingerunt, cuncta rimantur, cuncta percunctantur, iuxta illud Plauti: *Muſca meus pater eſt, nihil pote illam clam haberi: nec tam ſacrum eſt, aut profanum quidquam, quin adſit ibi illico*. Cauſa cur otium curioſitatem generet, duplex eſſe poteſt: primum, quod animus feſſus in nihil agendo, vt aliquid videatur agere, atq. ex varietate voluptatem capiat, in alienarum arcanarumq. rerum inquiſitionem inueſtigationemque deuoluitur. Delectat plurimum rerum ignotarum cognitio. Deinde quoniam expellitur otioſus è cella & cœnobio foras, ab illa mentis inquietudine, quam otioſitatis partum eſſe putat Caſſianus, nec diſſentit Anſelmus; ideo ſiue domi, ſiue foris ſit, aut percunctatur obuios quoſque de rebus omnibus, aut ſciſcitantibus curioſe de iiſdem reſpondet: quo fit vt ſimul curioſus & garrulus euadat.

Neque vero curioſitas vitium exiſtimetur leue. Nam ſi Plutarcho fidem habemus, qui copioſe ac ſapienter libro integro curioſitatem inſectatur, ea eſt, *Libido audiendi ſecreta retruſaq.*: ſi credimus Elię Cretenſi ſcholiaſtę S. Gregorij Nazianzeni: eſt *Cupiditas res alienas cognoſcendi*. Si audiatur Guilelmus Pariſienſis, eſt *Libido ſciendi non neceſſaria*.

Mart. Del. t.1. adag. 920. §. 9.
Pro. 10. 1.
Plaut. in Mercat.
Plut. l. de curioſ.
El. Cret. in or. 1. S. Naz. n. 4.
Gul. Par. l. de leg. c. 14. & l. 6 ent. c. 4.

ſaria. Itaque curioſus eſt, qui tria hęc genera rerum inueſtigat, ſecretarum, alienarum, non neceſſariarum. Cum inquirit non neceſſarias, otioſus eſt; cum alienas ſcrutatur, iniuſtus; cum arcanas, legis naturalis violator, iubentis arcana non eſſe perſcrutanda.

28 Quartus damnoſus otioſitatis partus, eſt Garrulitas, ſeu loquacitas. Ex Pauli teſtimonio paulo ante expenſo, cum interpretatione Chryſoſtomi, Theodoreti, Anſelmi, manifeſtum eſt loquacitatem quoque filiam eſſe otioſitatis: vt merito dicatur à Bernardo mater eſſe nugarum otioſitas. Itaque ſcienter Coſmas Magalianus noſter, notat verbum Græcum φλύαροι, quod interpres vulgatus reddit *Verboſæ*, verti poſſe, *Nugatrices*, aut *Nugigerulas*. Dixerim equidem curioſitatem & loquacitatem nõ ſolum eſſe ſorores germanas, ijſdem parentibus genitas, ſed etiam mutuis nutrimentis educatas & altas. Garrulitas nutritur curioſitate, ſubminiſtrante res nouas ad loquendum: curioſitas rumoribus paſcitur, illi à garrulitate ſuggeſtis. Quamobrem dicere poſſumus percontatorem & garrulum vnum eundemq. eſſe; & vtriuſque vitium in diuerſo genere cauſę viciſſim cauſam eſſe vtriuſque; vt de vapore ac pluuia philoſophi naturales docent. Pręterea, vt ſuperius demonſtratum eſt, otioſus cogitationibus ac deſiderijs abundat: ea omnia naturę inſtinctu cum alijs communicare quodammodo cogitur; atque in communicando, non leuem delectationem capit; quod alibi de vniuerſo genere hominum probaui. Hinc fit, vt ab otioſi pectore, per os ac linguam cõtinenter garrulitatis riuus; eoq. copioſius, quàm ab ore negotioſi, quo pleniorem cupiditatum, cogitationum, & rerum à curioſitate ſuppeditatarum mentem habet. Cognita eſt

Sup. n.27.

Coſm. Magal. in 1. Tim. 5. lect.2.n.18

Comm. 2. ſect. reg. 37. comm n. 12.

Sup. n. 21.

Ad reg.26 cõm. n.2.

S. Chryſ. hom. 5. in 1. Cor. eſt hæc veritas S. Chryſoſtomo, qui conferens negotioſum artificem, cum otioſis diuitibus, definit primum, genus eſſe philoſophiæ in homine, qui perpetuo manuum opere alitur: philoſophiã intelligens more ſuo, vitam inter Chriſtianos perfectiorem. Deinde hæc ait: *Eorum ſunt animæ puriores: eorum ſunt mentes robuſtiores ac firmiores. Nam qui eſt otioſus, multo magis temere loquitur, & multa agit temere, & tota die nihil operatur, multo torpore ac veterno repletus. Qui autem verſatur in operatione, nihil cito admittit ſuperuacaneum, neque in factis, neq. in verbis, neq. in cogitationibus.* S. Frãciſcus Aſſiſias, vt narrat S. Bonauentura, dixit aliquando: S. Bon. c. 5. vitæ S. Frã *Volo fratres meos labore exercitari, ne otio dediti, per illicita, corde aut lingua vagentur.* Intelligebat vir experiens otioſos & cogitare & loqui, quæ non decent, & garrulitatem in otioſorum ore ſeſſitare. Quando autem otioſi lingua per multa vagatur & excurrit effrenis, ſæpe incurret in culpam. Sapiens mentiri me non ſinit exclamans: *In multiloquio non deerit peccatum.* Quid Prou. 10. 19 autem ſit multiloquium, explicat S. Auguſtinus dicens: S. Aug. l. 1. adu. Creſc c. 1. *Multiloquium autem eſt ſuperflua locutio, vitiũ ſcilicet, loquendi amore contractum*: Huiuſmodi autem multiloquium in otioſorum ore prominet, indeq. affluenter emanat. Porro multis rationibus hoc multiloquium inficitur peccato. Primum quidẽ ipſum multiloquiũ, ſi ſuperflua locutio eſt, vt definit Auguſtinus, peccatum eſt; in quouis argumento materiaq. ſermonis; quoniam excedit laudatiſſimam prudentiæ menſuram, in mediocritate poſitam, *Ne quid nimis.* Auctor epiſtolæ ad Demetriadem mihi dat lucem dicens: Auct. ep. ad Demet c. 23. *Quod laudabile eſt in genere ſuo, fit de nimietate ſua culpabile:* Deinde quemadmodum infirmus in longo itinere, frequenter nutat, titubat pedibus, & interdum

labitur:

labitur: ita filius Adæ quicumque infirmus & languens ex originali peccato, ſi diu multumq; loquatur, corruet in peccatum aliquod locutionis, aut per inconſiderationem, aut per aliquam perturbationẽ, niſi extraordinario adminiculo gratiæ ſuſtentetur. Tertio; fructus eſſe ſolent arboribus ſimiles, atq. à vitiata radice, vitiati: vt riuulus fonti venenato. Quis neget ab otioſi lingua & mente otioſa verba manare? Si otioſa verba non ſunt, quòd aut neceſſaria, aut vtilia ſint, vel audienti, vel dicenti, iam non erat otioſus, qui ea protulit, neque illum in culpa pono. Si carent neceſſitate, aut vtilitate, vt initio tractatus docui, otioſa ſunt, atque ex genere ſuo peccato maculata; cuiuſmodi eſſe in ſuperuacanea locutione certum eſt. Poſtremo, procliue eſt ex linguæ leuibus peccatis, atque vt ita dicam otioſis, in grauia & pernicioſa eiuſdem ſpeciei, præcipitem ruere illum, qui ſine moderatione in otio, linguæ laxans habenas ſermonem profundit. In tractatu de cura minimorum luculenter id explicatum eſt, productis Scripturæ teſtimonijs, multorum patrum dictis & exemplis, atq. in primis auctoritate S. Gregorij, apud quem facillimus eſt lapſus ab otioſis verbis ad pernicioſa.

Sup. n. 3.

Tr. de cura min. n. 15. & ſeq. S. Greg. l. 16. mor. c. 1. al. 2.

29 Quintus exitioſus partus otioſitatis, eſt Perditio ſuauitatis vnguenti, iuxta illud Salomonis in Eccleſiaſte: *Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti*. In deſides Religioſos intorquent hoc teſtimonium Ioannes Lotinus, & Martinus Delrio noſtri, quòd muſcis ſimillimi ſint; non ſolum propter curioſitatem, de qua dictum eſt; ſed etiã, & multo magis quia laboribus alienis victitant, & fędant ea, quibus inhærent, vt muſcæ. Ducũtur auctoritate, tum Plauti, Athænei, & aliorum ſcriptorum profanorum, qui paraſitos, lenones, & eiuſ-

Eccleſ. 10. 1

Lor. Eccl. 10. Delr. t. 1. adag. 320. §. 8. Sup. n. 27.

& eiuſdem viliſſimæ fæcis homines alieno victitantes, hoc turpi nomine notant: tum exemplo S. Franciſci Aſſiſinatis, qui Religioſum quemcūque ſui Ordinis otioſum, & ſodalium laboribus victitantē, *Fratrem muſcam* vocitabat, vt eſt apud Sanctum Bonauenturam, qui hæc ſcripſit: *Si quē vero cernebat otioſum & vagum, aliorum velle mandutare labores, Fratrem muſcam nominandum cenſebat; eo quòd talis, nihil boni faciens, ſed benefacta inficiens, vilem & abominabilem ſe omnibus reddat.*

S. Bon. c. 5. vitę S. Frā.

Nec modo nomen muſcarum otioſis conuenit ob rationes dictas, ſed etiam muſcarum morientiū; quoniam, vt probatum eſt ex philoſophis, otioſi æquantur ſemiuiuis, ſemimortuis, ac mortuis, quod vita naturali viuētes, è vita ſpirituali, morali, litterata exceſſiſſe cenſeantur. Vt autem capiatur grauitas damni huius, explicandum eſt, quid ſit ſuauitas vnguenti, quam exterminant otioſi Religioſi, tamquam muſcæ moritur æ. Quatuor morales interpretationes faciunt ad rem noſtrā.

Sap. n. 6.

Prima eſt B. Salonij Viennenſis, qui Spiritus ſancti gratiam in ſuaueolente vnguento intelligit. Muſcæ morientes, ſunt leuiora peccata, vt otioſa verba, ex Sancto Bernardo, & Petro Bleſenſi, quibus vbertim ſcatent otioſi. Hæc peccata, etſi non penitus corrumpunt vnguentum, minuunt tamē ſuauitatem eius: quemadmodum in tractatu de cura minimorum, docui ex Theologiæ regulis, per leuia peccata retundi feruorem charitatis, maculari ac deformari animam, incolumi & ſalua Dei amicitia. Quòd ſi muſcæ mortiferæ ſint, cuiuſmodi eſſe probaui muſcas quartæ plagæ Ægyptijs inflictę, in aſcetico commentario ſeptimæ regulæ communium: ſi inquam culpę graues erunt, exterminabunt penitus vnguenti diuinæ gratiæ ſuauitatem omnem, ipſumque vnguentum, quod

B. Salon. Vienn. in Eccleſ. 10. S. Bern. ſer. de tripl. cuſtod. Bleſ. l. de Iob. c. 2.

Tr. de cura min. n. 52. & ſeq.

Aſcet. cō. reg 7. cōm n. 12.

cum

cum peccato mortifero ſtare ne ad punctum quidem temporis poteſt. Ac de primo ſenſu ſatis, quoniam ſuperius de otioſorum culpa diſputatũ eſt. Secundus ſenſus eſt Innocentij III. Papæ ac Gulielmi Pariſienſis, per vnguentum deſignari orationem, cuius deuotionem tollunt muſcæ; hoc eſt importunæ cogitationes, quas in otioſi mente volitare frequentiſſimas, verſari aſſiduiſſimas, atque habitare ſordidiſſimas Patres antiqui docuerunt. Hæ muſcæ ſiccantes vnguentum ſuctu ſuo, procreant illam ariditatem in orante, quam P. Claudius Aquauiua in ſuis induſtrijs ſapienter ſcripſit ab otio generari. Morientes autem dicuntur tum, cum in ipſa oratione immoriuntur, hoc eſt non expelluntur, ſed ſponte admittuntur. Tertius ſenſus eſt, per vnguentum ſuaue capi fraternam charitatem; eamque fœdari ac turbari per inſidentes muſcas otioſorum Religioſorum. Innuit Sanctus Bernardus cum ait: *Hæ prorſus muſcæ ſordidæ & pungentes, quæ in nobis decorem naturæ fœdant, mentem curis & ſollicitudinibus lacerant, ſocialis gratiæ ſuauitatem exterminant.* Quid eſt ſocialis gratiæ ſuauitas, niſi iucunditas fraternę charitatis? Hãc Dauid tot ante ſæculis prędixit illis verbis: *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum?* De religioſis cœtibus dictũ putat S. Hieronymus: *Proprie pſalmus iſte*, inquit, *cœnobijs & monaſterijs cõuenit.* Et: *In monaſterijs aũt, ſicut vnũ propoſitũ, vnus & animus eſt.* S. Auguſtinus idem ſcripſit vberius: *Iſta verba pſalterijs; iſte dulcis ſonus, iſta ſuauis melodia, tam in cantico, quam in intellectu, etiam monaſteria peperit. Ad hunc ſonum excitati ſunt fratres, qui habitare in vnum concupierunt. Iſte verſus fuit tuba ipſorum. Sonuit per orbem terrarum, & qui diuiſi erant, congregati ſunt in vnum.* Caſſiodorus

Sup. n. 5. Innoc. III ſer. 1. in die ciner. Pariſ. l. de rhet. diu. c. 43.

Sup. n. 5.

Cl. Aqu. in duſtr. c. 3. n. 6.

S. Ber. ſer. 44. in cant

Pſ. 132. 1.

S. Hier. in pſ. 132.

S. Aug. in pſ. 132.

dorus non negat hanc prædictionem aptari poſſe Religioſis, quamuis velit ad vniuerſum cœtum Chriſtianorum primaria intentione pertinere. Confirmatur hic ſenſus religioſus ex eo, quòd Dauid ad declarationem ſuorum cogitatorũ de hac vtili iucunditate, & iucunda vtilitate fraternæ charitatis in cœnobijs, adhibuit illud vnguentum

Pſ. 30.23. pretioſum ex oleo diuerſiſq. aromatibus atq. odoramentis confectum, quo Aaron inunctus eſt.

S. Ambr. l. 7. in luc. 13. S. Ber. ep. 42. Oleo ſignificari charitatem docent, Ambroſius, Bernardus & alij patres: quæ charitas alijs virtutibus ſemper incedit comitata, quarum odor Deo placet & hominibus. Itaq. non coacta expoſitio eſt, ſi dicatur in vnguenti ſuauitate deliteſcere mutuam charitatem Religioſorum. Hanc igitur muſcæ morientes, hoc eſt otioſi; qui, quia nihil agunt boni, pro mortuis habentur, perdunt, inficiunt, ac turbant. Quia curioſi, vexant ſodales importunis percunctationibus, tempore orationis, ſtudiorum, ſilentij. Quia garruli ac loquaces, ridiculis, dicacitatibus, dicterijs delectãtur, quibus pungunt & ſauciant Fratres præſentes, mordentq. abſentes. Quia nihil agunt, penſum ſuum deſerunt, & onus, quod ipſi ferre deberent, in humeros aliorum ſodalium reijciunt: qui cum ſe otioſorum culpa onerari plus ſolito ac debito ſentiunt, iure conqueruntur. Quo fit vt ſuauitas vitæ ſocialis, & tranquillitas domeſticæ pacis ex mutua charitate orta, vehemẽter perturbetur.

30 Quartus ac poſtremus ſenſus eſt, vnguenti ſuauitate, quæ ſuauis odor eſt, notari bonum nomen; famam, claramque opinionem & exiſtimationem in animis aliorum. Vterque Chaldæus id

Delr. p. 2. adag. 320. ſ. 2. ſentit, teſte Martino Delrio. Nec nouum, aut inuſitatum eſt in Scriptura ſacra per odorem iucundiſſimum narium obiectum, ſignificari hæc,

quæ

quæ diximus. Paulus exhibet locum, cum ait: *Odorem notitia ſuæ manifeſtat per nos in omni loco: quia Christi bonus odor ſumus Deo &c.* Ex eo Sanctus Gregorius probat, vnguento in Chriſti pedes effuſo exprimi odorem bonæ opinionis. De bona fama, quæ verbo & exemplo ſpargitur, odorem hic intelligit Cornelius à Lapide noſter; & multis probat, vel apud profanos ſcriptores, odorē bonum & malum moribus attribui. Senſerat idem ante ipſum Petrus Lombardus magiſter ſententiarum, & poſtea Ioannes Pineda noſter. Clare S. Auguſtinus: *Bonus odor, bona fama eſt.* S. Gregorius: *Vnguenti more, bonorum fragrat opinio.* Philo item Carpathiorum Epiſcopus, explanans ea verba Canticorum: *Sicut virgula fumi ex aromatibus,* docet reperiri homines in carne, qui terrena faſtidiunt, & mentem in cæleſtia attollunt, ſolo diuino amore accenſi, *Olentes odorem ſanctitatis, & bona fama, ac proximos quoſq. ad ſponſi amorem per bona exempla concitare non deſinunt.* S. Bernardus agens de bonis Chriſtianis: *Qui cōuerſationem ſuā inter Gētes habentes bonam, Chriſti erant bonus odor in omni loco,* ait: *Odor bonus, teſtimoniū bonū. Hoc de bono opere, tāquam de flore odor procedit.* Et paulo poſt: *Idcirco ergo dixiſſe odorem non immerito referuntur; qui non ſuā gloriā, ſed aliorū, de ſua bona opinione quæſiere ſalutē.* Habes ex Bernardo, nomine odoris, teſtimoniū & opinionē. Famā ipſam eadē metaphora deſignat idē Bernardus, explanās ea verba cātici: *Ego flos cāpi, & liliū conualliū.* Ex ijs, quæ præclare de colore & odore lilij ſcribit, excerpſi pauca, quib. mea poſitio probatur. *Opus tuū,* inquit, *ſtudiū tuum, deſiderium tuum, lilia eſſe proteſtantur moralis quidā rerum ipſarum candor & odor. Habent & mores colores ſuos, habent & odores. Ergo de colore conſcientia conſulitur; de odore, fama. Fætere feciſtis* odorem

2. Cor. 2. 14.
S. Gre. ho. 33. in Euang.
Cornel. 2. Cor. 2.
Pet. Lomb in 2. Cor. 2
Pin. in c. 10. Eccleſ.
S. Aug. l. de doct. chriſt. c. 12
S. Greg. l. 7. reg. ep. 124.
Philo Carpath.
S. Ber. ſer. 60. in cant
Id. ſer. 71. in cant. cant. 2. 1.
Ex. 5. 21.

odorem noſtrum coram Pharaone, & ſeruis eius, aiũt illi dicentes de opinione. Quod ergo de corde puro, & conſcientia egreditur bonũ, candidum eſt, & eſt virtus. Si autem & bona fama ſecuta fuerit, & lilium eſt; quippe cui nec candor lilij deſit, nec odor. Erit quidem virtus contenta candore conſcientiæ, vbi ſequi non poterit odor famæ, nec excuſare ſufficiet vitium conſcientiæ decoloris. Hactenus Bernardus cum antiquioribus patribus conſentiens. Cum igitur odor vnguenti ſuaueolentis, famam, opinionem ſanctam, ac bonum nomen ſignificet, quo cœnobium Religioſorum ad regulam viuētiũ fragrat; quemque foras quaque verſus ſpargit: hunc otioſi muſcarum ſimiles perdunt, exterminant, in graueolentem vertunt. Oculis Lincæis extranei penetrant in domicilia Religioſorum: obſeruant omnia, quęcunque faciunt; inquirunt carioſe quod quiſque miniſterium exerceat: notant eos, qui ſuum munus deſerunt, qui deponunt impoſitum onus, qui de gradu decedunt in hac ſpirituali militia per otioſitatem: paucorum culpam toti conuentui tribuunt, ac dictitant, otioſe viuere illos, qui ante hac ſtrenue laborabant in ſuis miniſterijs exercendis; & iam in parum neceſſarijs viſitationibus, deambulationibus ad fallendum tempus, in percurſationibus inutilibus, in ſuperfluo ſomno magnam diei partem terunt. Hoc modo vertitur in fœtorem malę famę, ſuauis odor bonę, qui de monaſterio bene moderato, & in ſanctis miniſterijs occupato in extraneos ac ciuitatem vniuerſam afflabatur.

CAP.

CAP. III. Remedia fugiendi fugandiq. otij Damnati.

31 AD tertium poſtremumque caput vertendus eſt ſtylus, quo remedia quatuor cõprehendentur, quibus otioſi curari queant. Medicorum prudentium eſt, non inueſtigare modo cauſam & grauitatem morbi, ſed etiam parare morbis cognitis congruentem medicinam. Præſtabant hoc Ægyptiorum monachorum præfecti; qui, vt refert Caſſianus, iunioribus aperiebãt, *Et cauſas imminentium paſſionum, & remedia ſanitatum*. Multa remedia traduntur à magiſtris ſpiritualibus, tum antiquis aduerſus Acediam diſputantibus, Caſſiano, Climaco, Nilo; tum recentibus Dionyſio Cartuſiano, Ioanne Buſæo, Iacobo Aluaro, Bernardino Roſignolio, Carolo Scribanio & alijs. Non omnia colligam, ſed ex omnibus paucula, minus ab alijs expenſa, copioſius explicabo. Caſſ.l.11. c. 16.

Remedium I. Magnifac. tempus.

32 PRimum remedium à me ſit hoc: Otioſus magni æſtimet tempus, quod in otio deperditur. Sanctus Bernardus nobis eſt magiſter, vbi verba otioſa inſectatur: *Nemo veſtrum, Fratres, parui æſtimet tempus, quod in verbis conſumitur otioſis: ſiquidem tempus acceptabile eſt, & dies ſalutis.* Cur tanti æſtimandum ſit, aliquot rationes afferẽtur. Prima ratio eſt, quia ſapientibus in maximo pretio habetur, quòd vere ſit res pretioſiſſima. Antiphon referente Plutarcho rem pretioſiſſimam eſſe prædicabat. Theophraſtus vero tempus eſſe ſumptum pretioſiſſimum dicebat. Spectant huc priſcorum ſapientum dicta, quorum memi- S. Ber. ſer. de tripl.cuſtod. Plu. in M. Ant. Laer. l.5. in Theophr.

Cl.Alex.l. 2. ſtrom. nit Clemens Alexandrinus: *Non eſt hoc tempus*
Cle.l.3.de *temere conſumendum*: & alterum vulgatius & no-
fin. bilius: *Parce tempori*: quod tribuitur M. Tul-
L.Sen.ep. lio, & L. Senecæ ſæpe venit in calamum eodem
1.88. & 94 ſenſu, quo prius, non eſſe temere inſumendum.
Explicat idem philoſophus in epiſtola prima: *Vindica te tibi, & tempus, quod adhuc, aut auferebatur, aut ſurripiebatur, aut excidebat, collige & ſerua.* Et paulo poſt conqueritur de ijs, qui non tanti æſtimant tempus, quanti oportet. *Quem mihi dabis*, inquit, *qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem æſtimet?* Miratur alio in loco eos,
Id.l.de breu. vitæ c.8. qui tempus petunt, & facilitatem eorum, qui rogati concedunt. *Illud vterq. ſpectat*, inquit, *propter quod tempus petitum eſt; ipſum quidem neuter. Quaſi nihil petitur, nihil datur: re omnium pretioſiſſima luditur.* Subdit rationem cur contemnatur. *Fallit autem illos, quia res incorporalis eſt, quià ſub oculos non venit; ideoq. viliſſima æſtimatur, imo pene nullum pretium eius eſt.* Auſim dicere ſapientes iſtos ſæculi, qui ſcitum hoc formauerunt, non ſententiam tantum, ſed etiam verba mutuatos à Scri-
Ecclici 4. 23. ptura ſacra. Legimus in Eccleſiaſtico, *Fili, conſerua tempus, & deuita à malo.* Seneca ſcripſit. *Tempus collige & ſerua.* Seruandum autem eſt tempus. non minori diligentia, quàm argentum, quoniam non minoris ęſtimandū eſt, vt ſcripſit Dion Chry-
Dio.Chry orat.20.de ſeceſſu. ſoſtomus. Immo & pluris faciendum quàm argentum & aurum, vt alijs ſapientibus placet, quia vtroq. pretioſius eſt. Æquatur quidem auro pretioſiſſimo metallorū, quòd vt auri paruo ramēto multum argenti, aliorumue metallorum comparamus: ſic modico temporis ſpatio magnos quæſtus facere poſſumus. Sed à tempore aurum pretio ſuperatur ex eo, quòd exiguo ſpatio cæleſtes diuinoſque theſauros acquirere nobis licet, exemplo

præ-

prædeſtinati Latronis, qui momento fere temporis emit in monte Caluariæ paradiſum. Quare Sanctus Ambroſius reuocans clericos Vercel- S. Ambr. ep.25. ad
lenſens ab otio infructuoſo ad fructum laborum, Eccl. Vercell.
merito clamat his verbis: *Quid in craſtinum differs? potes & hodiernum diem lucrari. Cauendum eſt enim, ne & illum non teneas, & hunc amittas. Non exiguum detrimentum eſt vel hora vnius. Et vna hora totius vitæ portio eſt.* Hæc Sanctus Ambroſius. Hoc ingens pretium facit, vt amiſſi temporis, Deo ſit reddenda ratio, ex Sancti Gregorij Theologi ſententia: quia nulla temporis particula, ob magnitudinem pretij habetur pro derelicta & neglecta, illi ſummo rerum Domino & gubernatori, qui minima quæque attingit & curat ſua prouidentia. Verba S. Nazianzeni dare iuuat, vnde ſenſus ipſius eruitur. *Præclarum eſt* S.Greg. Naz.or.28
nos in hac opinione verſari, vt non modo ſermonis & n.15.
actionis, ſed totius etiam temporis rationem à nobis repoſci exiſtimemus.

33 Secunda ratio cur tempus eiuſque iactura plurimi facienda ſint, eſt quòd inopia temporis laboramus. Quæ enim pauca, modica, & rara ſūt, vtilia tamen, eá pretioſa exiſtimãtur. Hinc illud in li- 1. reg. 3. v.
bro primo regum: *Et ſermo Domini erat pretioſus in diebus illis*. Vbi S. Gregorius Papa: *Quantum ad ſa* S.Greg.l.1
cra hiſtoriæ veritatem pertinet, pretioſum pro ra- in 1.reg.c.
ro poſuit. Philoſophiæ nota hæc inopia eſt. Zeno 4.
apud Laertium dicere ſolebat, Nullius rei nos maiorem inopiam perpeti, quàm temporis. L. Senecę Laer. l.7.
querimonia frequentiſſima eſt, tempus velociſſi- in Zen.
me fluere; partibus ex tribus nullam à nobis poſſi- L.Sen. ep. 49. & 108.
deri, niſi breuiſſimam præſentis: non ſufficere ad & l. de bre
neceſſaria diſcenda, proinde non eſſe in ſtudia inu uit. vitæ.c. 3.7.10.
tilia prodigendum, quoniam hac ratione vita fit breuis. Fatebantur quoque hanc inopiam,

qui dicebant, vnius temporis auaritiam honeſtam eſſe; inter quos ex antiquis eumdem Senecam numeres; ex recentibus ſcriptoribus Staniſlaum Oſium Cardinalem clariſſimum doctrina & probitate virum. Ibant in eandem ſententiam ij, qui temporis parciſſimi erant. Tales Lacedęmonij; qui, vt eſt auctor Ælianus, adeo temporis parſimoniam curabant, vt nulli ciuiũ permitterent illud; vel in otio, vel in rebus ludicris conſumere. Talis Cato maior, quem vt ſignificaui, ferũt pœnituiſſe, diẽ vnũ in otio perdidiſſe. Talis Cato minor, qui curiam cum libro adire ſolitus erat; ne, dum ſenatus cogebatur, quidquã temporis ſibi periret, exiſtimans deeſſe ſibi, quod alij falſo ſibi ſupereſſe arbitrantur. Talis deniq; Plinius ſenior, qui tanta fuit parſimonia temporis, vt ægre tulerit lectorem ſuper menſam repetere coactum, quòd ea interpellatione decem amplius verſus ſe perdidiſſe diceret; vt in ſella, aut rheda, dum inter faceret; in balneo, dum diſtringeretur ac tergeretur; audiret aliquid aut dictaret: vt Plinium ſororis filium (qui hæc memoriæ tradidit) deambulantem corripuerit his verbis: *Poteras has horas non perdere*. *Perire*, inquit idem iunior de ſeniore, *arbitrabatur omne tempus, quod ſtudijs non impartiretur*. Adnumerandus eſt his Petrus Caniſius noſter, cui temporis auaritia tanta, quanta numquam cuiuſque pecuniarum, vt ſcripſit Franciſcus Sacchinus in eius vita. Neq; enim in actuoſſima vita pro catholica Religione, tam multa ſcribere potuiſſet, niſi minutias temporis, Senecæ monitu, & collegiſſet & ſeruaſſet. Denique parcus temporis eſt, quicumque laborioſus eſt, *Cui tempus non ſuperat*, vt S. Nilus poſteris ſcriptum reliquit.

34 Tertia cauſa magnifaciendi temporis eſt, quòd

[Margin notes: Vita Oſi Card. — Ael. l. 2. na ria. hiſ. c. 5 — Plu. in Cato. Cẽſor. — Cic. l. 3. de fin. — Val. lib. 8. c. 7. — Pli. l. 3. ep. 5 ad Macr. — Fr̃c. Sacch. l. 3. vitæ P. Caniſ. — S. Nil. pa tã. 21.]

quod perditum recuperari non poteſt. Indicatur S.Baſil. L. de libris Gentil.
à S. Baſilio, vbi ait: *Turpe quidem præſens proijcere tempus, ac ſero poſtea reuocare præteritum, quando nullum eſt lapſæ virtuti remedium.* Sapientis ſenis doctrina fuit hæc apud S. Dorotheum; qui ſenex hãc memorandam ſententiam frequenter ſodalibus S.Doroth. ſer. 11.
ſuis inculcabat: *Aurum, vel argentum ſi perdiderit homo, poterit tantumdem inuenire & reponere; ſi vero tempus amiſerit, nequaquam vmquam illud inuenire, vel acquirere poterit, neque aliud pro eo aliquando reficere, aut reſarcire:* & alia in eumdem ſenſum. *Hoc vnum eſt,* inquit Seneca, *quod ne gratus quidẽ reddere poteſt.* Perditur autem tempus, non ſolum in nihil agendo, ſed etiam in male agendo L. Sen. ep. 1.
ex opinione vera S. Hieronymi: *Omne tempus,* inquit, *in quo non virtutibus deſeruimus, ſed vitijs, perit & quaſi non fuerit, reputatur in nihilum.* S. Hier. in c. 1. Aggæi
Quarta cauſa, cur in magno pretio debeat nobis eſſe tempus, eſt quia datur ad pœnitentiam nobis à Deo, atque ad bene merendum; proinde non eſt otio conſumendum. Indicat S. Cyrillus Alexandrinus afferens teſtimonium Pauli: *Dum tempus habemus operemur bonum:* in quo explicando docet, non impune laturum, qui otietur, cum tempus habeat operandi vtiliter. Quemadmodum S. Cyrill. Alex. hom. 27. paſch. Gal. 6. 10.
agricola, ſi tempore arandi; & nauta opportuno tempore nauigandi, otioſe ſedeat & oſcitetur. Indicat & B. Alchuuinus ad regem Carolum ſcribens: *Tempus huius vitæ velociter currit, fugit, & non reuertitur. Ineffabilis vero Dei pietas humano prouidebat generi, breuiter laborare, & æternaliter coronari. Ideo pretioſa nobis debent eſſe tempora; ne perdamus per negligentiam, quod per bona vitæ exercitium habere poterimus.* Audiatur etiam Sanctus B. Alchuu. ep. 1.
Bernardus attingens fere omnes prædictas cauſas qui ſolito ardentius caſtigat otioſos temporis prodigos. S. Ber. ſer. de tep. cuſtod.

digos. Vbi dixiſſet non parui æſtimandum eſſe tempus, quod in verbis conſumitur otioſis, hæc ſubnectit: *Volat verbuum irreuocabile, volat tempus irremeabile, nec aduertit inſipiens quid amittat. Libet confabulari, aiunt, donec hora prætereat. O donec prætereat hora: o donec pertranſeat tempus. Donec hora prætereat, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam, miſeratio conditoris indulget. Donec tranſeat tempus, quo diuinam tibi repropitiare debueras pietatem, properare ad angelicam ſocietatem, ſuſpirare ad amiſſam hereditatem, aſpirare ad promiſſam felicitatem, excitare remiſſam voluntatem, flere commiſſam iniquitatem.* Vrget diſſimili exemplo agricolarum, mercatorum, mendicorum, qui datum tempus opportunum colligendorum fructuum, lucrifaciendi, ſtipis accipiendæ non amittunt, aut negligunt. Quod Bernardus ſcripſit verbis otioſis nominatim amitti tempus, multis ante ſæculis idem Sanctus Hieronymus definiuit. Placet eius quoque verba referre, vt intelligamus communem patrum in hac re ſententiam. Narrato Titi Imperatoris dicto laudabili, dolentis ſe diem perdidiſſe, quo die nihil boni feciſſet, hæc ait merito excandeſcens: *Nos putamus non perire nobis horam, diem, momenta, tempus, ætates cum otioſum verbum loquimur, pro quo reddituri ſumus rationem in die iudicij? Quid ſi hoc ille ſine lege, ſine Euangelio, ſine Saluatoris & Apoſtolorum doctrina, naturaliter & dixit & fecit, quid nos oportet facere?*

S. Hier. l. 3 comm. in c. 6. Galat.

Sup. n. 33. Quoniam vero probatum & conceſſum eſt laudabilem eſſe temporis auaritiam, imitemur, vt Bernardus monuit, mercatores in primis, in auaritia lucri: ſumamus eorum affectus, imbuamur

eorum inexplebili cupiditate aduerſus ſpirituales quæſtûs, atque hac cupiditate otium eliminabimus à nobis: quemadmodum auariſſimos mercatores facere obſeruat Sanctus Ambroſius, vbi graui, luculentà, atque ardenti oratione in eos inuehitur, qui fidunt infido mari, & illud otiari non ſinunt. Inter alia multa eloquenter dicta in illa inuectiua, hæc nobis proſunt: *Verecundiores venti ſunt, quàm veſtra cupiditates. Illi habent otia ſua; numquam veſtra quærendi ſtudia feriantur. Et otioſa tempeſtas eſt, numquam veſtra otioſa ſunt nauigia.* Vtinam nos Religioſi faciamus idem in ſpirituali mercatura. S. Ambr. l. de El. & ieiun. c. 19.

Remedium II. Depulſio cauſarum otij.

35 SEcundum remedium expellendi morbi huius, quod ego propono, eſt Depulſio cauſarum ipſius. Receptus aphoriſmus medicorum eſt, à naturali philoſophia deriuatus, ſublata cauſa morbi morbum extingui: neq. hunc curari poſſe, niſi illa tollatur. Hinc illud ſapientis cuiuſpiam, hydropen non poſſe curari: *Niſi cauſa morbi fugerit venis.* Priſci patres ac magiſtri ſpiritus deducũt ad ſpiritualem medicinam. Caſſianus Apoſtolo Paulo tribuit hanc ſcientiam & praxin, cum ait: *Cauſas tantorum vlcerum; quæ de radice otioſitatis emergunt, vno operationis ſalutaris præcepto curauit: vt peritiſſimus medicorum, ceteras quoque valitudines malas, eodem ceſpite pullulantes, ſciens protinus extinguendas, origine morbi principalis exempta.* Chryſoſtomus quoque docet alicubi morbi cauſam eſſe fugandam, vt æger ſiue corpore, ſiue animo perſanetur. Prima igitur otij cauſa tollenda, eſt Acedia, cuius filiam Hor. l. 2. carm. ode. 2. Caſſ. l. 10. c. 14. S. Chryſ. hom. 5. de pœnit.

Supra. n. 5 filiam ſtatuimus otioſitatem. Non eſt animus de Acedia diſſerere, cum de hoc vitio extet Caſſiani liber decimus integer. Suggero duplex adiumentum ad minuendum illud tædium, quod exiſtit ex Acedia. Alterum eſt obſeruatio accurata duplicis ordinis, de quo tractatum edidi: quorum alter dicitur ordo publicus diſciplinæ domeſticæ, alter ordo vitæ priuatæ. Qui enim ſua munera exequitur præſcriptis temporibus, vel ab ordine communi totius cœnobij, vel certe ab ordine priuato, quẽ ſibi ipſe prudenter præſcripſit, non repugnantem ordini publico, ſane is otioſus eſſe non poteſt: quoniam ordo vterque Religioſum detinet à mane vſque ad veſperum occupatum. Si non ſeruat ordinem, ex facili cadet in otium; quoniam, vt recte dicit Theophylactus, *Otioſus ab ordine deficit ſuo.* Theophy. in 2. Theſſal. 3. Alterum adiumentum ad expellendam acediam, vel certe minuendam, eſt varietas actionum; quæ iucundiſſima eſt. Hæc autẽ viciſſitudo rerum agẽdarum in ordine eſt: quoniam ordo prudenter cõſtitutus miſcet actiones ita, vt orationi ſuccedat lectio, lectionem labor manuum excipiat, hunc ſcriptio ſequatur, hanc interrumpat examen conſcientiæ, vt in eodem tractatu de ordine diſtinctius explicatur. Teſtem produco B. Laurentium ſic ſcribentem: *Quoniam cuncta ſtatutis perficiunt temporibus, ideo proficiunt: vitamque ſuam ſine tædio deducũt.* B. Laur. l. de perfect. mo. conu. c. 10. Dactianus quoq; Abbas monachum monet ne ſit otioſus: ſuadetque vt legat, ſi non libet orare: ſcribat, ſi nauſeat animus ad lectionem; externum opus manuum aſſumat, ſi ſcribere tædet. Dactia. in ſpec. mon. Intelligebat tædium varietate leuari, vt in eodem tractatu demonſtraui. Tr. 9. n. 6. Secunda otij cauſa, in iunioribus potiſſimum, eſſe ſolet priuata quędam amicitia, quæ trahit illos ad frequẽtia otioſa colloquia, vt Claudius Aquauiua obſeruauit, qui hoc genus amici- Cl. Aqu. l. induſt. c. 8 nu. 7.

tiarum

tiarum exiſtimat otij fontem vberrimum eſſe. In libro induſtriarum huic morbo experientiſſimus medicus facit medicinam. Liber vulgatus eſt, ſæpeque recuſus; ad eum lectorem relego: vt etiam ad ſuperiorem religioſum Caroli Scribani, & ad tractatum meum aſceticum decimumtertium. Tertia otij cauſa eſt ſuperbiæ ramulus, qui illud progignit in ſenioribus, qui aliquot annos in Religione vixerunt & laborarunt. Ex horum numero exiſtunt interdum nonnulli, qui ſibi videntur ſatis ſuperque laboraſſe ac Religioni ſeruijſſe: proinde ſibi otium putant deberi cum aliqua dignitate: quamuis etiam num laborare valeant. Nam ſi propter ætatem ingraueſcentem, imbecillitatem ex ea prouenientem, morbum, nihil efficere poſſent, quietem illi negare, contra legem charitatis eſſet. Dixi ramuſculum eſſe ſuperbiæ, quia nemo perfectioni ſtudens putare debet, ſe ſatis laboraſſe: ſe multum meritum eſſe. Non retro reſpiciendum eſt quid egerimus, ſed in futurum, quid non fecerimus. Inutiles nos ſeruos exiſtimare debemus. Sic monet omnes magiſtri perfectionis comparandæ. Tollent hanc cauſam otij, quæ ſubijcio. Primum humilitas, quæ dictat nobis ſem per pauca & vilia eſſe, quæ geſſimus, præſertim ſi cum æterna gloria conferantur. Deinde conſideratio legis de perfectione ſubinde comparanda, quæ Religioſis impoſita eſt, nec ab ea ſoluti ſunt atque exempti ſenes. Tertio intellige ſeniores quoque ſubeſſe periculo relabendi, niſi quotidie proficere conentur. Quæ progreſſio per otium & in otio fieri nequaquam poteſt. Vtinam ſciamus alienis periculis eſſe cauti: quando in hiſtorijs legimus eos, qui columnæ putabantur immobiles, in otio miſerabiliter corruiſſe. Quarto ac poſtremo, debent ſeniores exemplum iunioribus præbere fugādi otij;

Car. Scriban. ſuper Medici relig. l. 3. c. 17

Tr. 13. de extermin. amicitijs.

quod

quod non præſtabunt, ſi ſani ac valentes aſpirent ad otium; & cum laborare valeant, in otio cóquieſcant. Quarta cauſa obſeruata eſt ab eodem Claudio Aquauiua; qui docet in nonnullis, alioquin probis Religioſis, imaginationem infirmitatis eſſe cauſam otij. Hoc eſt, eſſe quoſdam, qui vel ex malencholia, vel ex metu, vel ex alio deprauato affectu, qui phantaſiam corrumpit & decipit, exiſtimant, ſe imbecillitate aliove morbo correptos eſſe. Proinde aſſerunt ſe laborare nullo modo poſſe, viribus omnibus eſſe deſtitutos, egere quiete: atque hac falſa opinione abrepti munera omnia ſibi ab Ordine commendata deſerunt, & in otio deſides marcent. Idem experiens magiſter ſpiritualis remedia præſcribit in eodem induſtriarum libro, quibus hic morbus curari poſſit: quo pulſo ſublatum eſt otium ab eo, qui errore deceptæ phantaſiæ peccabat.

Cl. Aqu. in induſtr. c. 11. n. 3.

Remedium III. Negotium, ſiue occupatio.

36 TErtium remedium in primis idoneum, eſt habere ſemper aliquã occupationem, ſeu negotium, quo deſtineamur. Nititur hoc remedium celeberrimo aphoriſmo medicorum ab Hippocrate prolato *Contrarij curantur contrarijs morbi remedijs;* quem Ariſtoteles ad mores traxit, & poſt eum multi ſancti patres, Baſilius, Ephræm, Hieronymus, Chryſoſtomus; Bernardus & alij. curandum igitur otiũ atque ob homine religioſo expellendum eſt contrario medicamento, quod ex ipſa nominis etymologia Negotium eſſe, tractatus initio probatum eſt. *Otij vitia*, ſcripſit Q. Curtius, *negotio diſcutiuntur*. Et L. Seneca: *Magni imperatores, cum male parere milites videt, aliquo labore compeſcunt, & expeditionibus detinent.*

Hippocr. ſect. 2. aph. 22.
Ar. l. 2. eth. c. 3.
Ad reg. 30. comm. n. 6
Supra. n. 3.
Q. Cu it. l. 7.

Num-

Nunquam vacat laſciuire diſtrictis: nihilque tam certum eſt, quam otij vitia negotio diſcuti. Præbitum hoc remedium ab Apoſtolo & verbo & exemplo docuit multis Caſſianus. Clariſſima ſunt verba non multo ante tranſcripta: *Cauſas tantorum vlcerum quæ de radice otioſitatis emergunt, vno operationis ſalutari præcepto curauit.* Deus ipſe per Angelum Sancto Antonio Magno propinauit hoc remedium è cælo. Narratur enim in vitis patrum (& reperitur quoque in apophthegmatis quibuſdam inter opera Sancti Ephræm) Antonio cum Acediæ ſpiritu tentaretur, & ad Deum clamaret: *Saluari cupio*, Angelum adſtitiſſe, qui ipſius Antonij perſonam referens, modo ſedens funiculum torquebat; modo ſurgens ab opere manuali, ſe dabat in preces; modo intermiſſa oratione redibat ad opus. Tandem euaneſcens ab oculis eius dixit: *Hoc fac, & ſalualberis.* Hinc intellexit vir ſanctus Acediam fructuoſis occupationibus effugari. Recentiores fere omnes magiſtri narrationem hanc applicant otio in Religioſis curando. Angeli huius doctrinam complexi ſunt quoque priſci patres; qui, vt ex eorum verbis toto tractatu relatis intelligere licet, iubent Religioſum ſemper in occupatione, ſiue in opere, ſiue in negotio eſſe, ne Dæmon eum vacantem oſcitantemque inueniat, atque eo paratiorem ad excipiendas peſtilentes animæ ſuggeſtiones. His attexo Sanctum Chryſoſtomum diſerte opponentem otio ſanctas occupationes, cum in Matthæi commentario dixit: *Valde deſidero vos bonis operibus eſſe occupatos. Omnium enim vitiorum, quaſi magiſtra quædam atque origo eſt otioſitas.* Adiungo Sanctum Ioannem Damaſcenum, qui dum Acediæ otioſitatis parenti medetur, ſic loquitur: *Si acedia infeſtaris, te ipſum*

Caſſ. l. 10. c. 8. & cap. 14.
Sup. n. 35.
Vitæ patr. p. 2. §. 101.
S. Ephr. t. 2 in apopht. n. 1.
S. Chryſ. hom. 36. in Matt.
S. Io. Damaſc. in ſententijs.

ipſum laborando, meditando, orando, & legendo excita: ſpes firma te inſtiget, vt conſiderare poſſis quantum inter frigidam pigritiam, & calidum interſit feruorem; quorum vnum à ventura ſeparat gloria, alterum Sup. n. 13. & 14. *regni cæleſtis te heredem creat.* In octauo incitamento produxi multorum proborum virorum exēpla, qui varijs ac miris modis depellabant otium: interponentes laborem manuum precibus, meditationibus, librorum piorum lectioni, collationi de rebus diuinis, hanc vnam ob cauſam, vt otium à ſe ſuiſque cellis excuterent. Non ingratum lectori erit, neque inutile noſſe quales & quinam eſſent illi manuales labores, quos priſci monachi vſurpabant in otij medicinam. Indicabo capita præcipua, quæ obſeruaui. Ea ſunt, quæ ſequuntur. Agellorū hortorumque cultura. Ciſtellarum, caniſtrorum, ſportarum, ſtorearum ſimiliumque rerum cōſtructio. Texebant quoque retia, flabella, cilicia: torquebantque funes. Tornabant alij vaſa lignea: instrumenta ferrea cūficiebant nonnulli: metebāt quidam fruges ſecabantque fœnum. Non deerāt, qui veſtes conſuerent; qui cellas ædificarent. Scriptio librorum etiamnum in Græciæ monaſterijs in vſu eſt. Lanificio monachi Humiliati dederunt operam primis inſtitutionis ſuæ ſæculis: & Ieſuatæ ſuccos atque liquores in medicinę vſum, ex herbis, floribus, rebuſque aliis ambice, ſeu alambico fornaculæ atque igni ſuperpoſito eliciebant.

37 Ex proximè diſputatis de tertio remedio, tria colligamus notatu digniſſima. Primum eſt monachos, tum priſcos, tum recentiores, otij depellandi gratia, non arripuiſſe occupationes inanes, quales initio recēſui, cum otij deſcriptionem Supra n. 3 enucleabam. Non enim vitaſſent otium, ſed ex otio deſiluiſſent in otium, aut in aliquid aliud otio fortaſſe deterius; atque vt prouerbio vulgari dicitur,

tur,

tur, è ſartagine in prunas decidiſſent; cum occupationes inanes ad Theologicam amuſſim applicatæ, illico deprehenduntur eſſe actiones otioſæ, ac macula, minimum veniali contaminatæ ſordeſcere. Quas recenſui monachorum occupationes, quiſque videt humano generi perutiles fuiſſe omnes; multas vero vitæ tuendæ neceſſarias. Quãobrem Iacobus Aluarus noſter, qui ſcripſit otioſitatem eſſe, non modo vacationem ineptam à Sanctis neceſſarijsque ſtudijs, verum etiam occupationem in rebus inutilibus, & cuiuſque ſtatui minime congruentibus; ſcite ac vere deducit, multos otioſos eſſe, qui videntur occupati. S. Bernardo doctrina hæc nota fuit, qui cum negaſſet otioſum eſſe Deo vacare, ſubdidit: *Quod quicunque non agit in cella fideliter & feruenter, quodcunque agit, quod propter hoc non agit, ſcilicet vt Deo ſeruiatur; in eo, quod agit, otiatur.* E Bernardi verbis exprimitur axioma receptum à magiſtris, Non vitari otium, inutilia & vana ſectando. Cui congruenter Guilelmus Baldeſſanus ſtimulans iuuenes ad virtutes comparandas ipſorum proprias; eos monet, ne ſtudio fugiendi otij, peiorem otio præripiant occupationem, aut vitioſitate parem; quoniam id eſſet vitio vitium trudere, ac dæmonem dęmone fugare. Quem loquendi modum idoneum rei declarãdę, vſurpat quoque Ioannes Buſęus in arca medica, vbi dat otio remedia, Non latuit philoſophis doctrina hæc probata Sanctis doctoribus: è quorũ numero L. Seneca, lumine rationis naturalis illuſtratus, lepide ac feſtiue irridet huiuſcemodi otioſos, qui tempus in rebus futilibus ponunt: vt qui multas horas apud tonſorem tranſmittunt, *Dum decerpitur, ſi quid proxima nocte ſuccreuit: dum de ſingulis capillis in conſilium itur: dum aut diſiecta coma reſtituitur, aut deficiens hinc atque illinc in frontem*

Supr. n. 36

Iac. Alu. t. p. l. 5. c. 37

S. Ber. l. de vita ſolit.

Guil. Bal. p. 1. ſtim. c. 10.

Io. Buſ. arca Med. v. Otium. nu. 8.

L. Sen. l. de breui vitæ c. 12.

compellitur. Alia multa ridicula magis proſequitur, quæ, quia inter Religioſos reperiri non arbitror, omitto. Suadeo tamẽ ſæcularibus, vt integrũ philoſophi locũ ad cautionẽ legant. Qui cõcludit hos inertiſſimos homines, inter pectinẽ & ſpeculum ſemper occupatos, non poſſe otioſos appellari: nominandos potius ęgros, ſemiuiuos, mortuos,

Sup. n. 6. vt in tertio incitamento eſt obſeruatum. In eum, qui res inanes agit in otio, conuenit aptiſſime dicterium Attilij viri argutiſſimi apud Plinium iuniorem, relatum ab Alfonſo Salmerone: *Praſtat otioſum eſſe, quàm nihil agere*: hoc eſt, vt ego interpretor, minus malum eſt otio frui, & ceſſare ab omni opere, quàm res agere nullius vtilitatis. Is enim Attilio videtur *nihil agere*, qui res agit nihili. Iuxta ſententiam hanc, minus ego vituperarem illum Religioſum, qui tempore ſtudiorum otiatur dormiendo; quàm qui per cellas fratrum perque officinas cœnobij curioſe loquaciterq. vagatur. Confirmare poſſum vſitato Scripturæ ſenſu modoq. loquendi, Nihil otioſum agere, eum agit inania. Nam in ſacris codicibus ſæpe, quæ ſunt inutilia & otioſa, cẽſẽtur perinde ac ſi non eſſent; vt notat Gaſpar Sanctius noſter, Scripturæ accuratus explanator. Quo ſenſu non dicitur audiuiſſe legem, qui nõ ſeruat: nec habere cor, qui corde ſtulta cogitat; & in iure ex Vlpiano, Paria sũt aliquid non facere, & non debito modo facere. Similiter ego dixerim, non agit quidquam qui nugis audiendis, dicendis, ſpectandis, agendis vacat.

Salmer. t. 7 tr. 23. §. 12.

Gaſp. Sāct in c. 5. Ierem. n. 30. & c. 9. nu. 31.

L. 1. §. penult. ff. Quo: legato.

38 Alterum notatu dignum eſt, non eſſe facile conſtituere, quæ nam occupationes cuiq. Ordini religioſo, monaſterioq. conueniant: quoniã quælibet familia Religioſorum ſuas habet regulas &

con-

conſtitutiones fini accommodatas, in quibus occupationes quædam vetantur, quædam iubentur. Difficilius eſt ſingulis Religioſis generali regula præſcribere, quibus in rebus occupari debeant ad otiũ diſcutiẽdum: quòd ingenij, valetudinis, viriũ, ætatis, artis, induſtriæ, gradus in ordine vniuſcuiuſq. habenda eſt ratio diligenter. Itaq. tum à prudẽtibus Superioribus imponẽdę ſunt pro cuiuſq. captu ac viribus: tũ a propria prudentia ſumendæ ſunt, nõ ſine conſilio ſpiritualis magiſtri. Communes omnibus cuiuſcumq. gradus & captus occupationes ſunt ſpirituales illæ toties à magiſtris commendatæ, atq. ab omni antiquitate vſurpatæ: oratio voce fuſa; meditatio, conſcientiæ diſcuſſio: libellorum piorum, & exemplorum Sanctorum lectio; qua nominatim expelli otiũ aptiſſime ac fructuoſiſſime docui teſtimonio Caſſiodori, Iuonis, Smaragdi & aliorum magiſtrorum in tractatu ea de re. T. 1. 5. n. 45 Laicis rerum domeſticarum adminiſtris, prę ter munia, quæ curant ordinarie, ſi tẽpus ſuperſit, & otij ſit periculũ, idoneæ sũt illæ manuũ & corporis occupationes fere omnes, quas dixi vſitatas monachis antiquis. Supr. n. 36. Quamobrem ab expertis ſenioribus accepi expedire plurimũ familijs Religioſis, vt qui ad miniſteria Marthæ recipiuntur, aliquã artem calleant ex mechanicis, Ordini vel neceſſariam, vel vtilẽ. Quo fiet, vt cũ tẽpus ſuperxerit ab ordinaria procuratione illis aſſignata, atq. ab exercitijs ſpiritualibus præſcriptis, vitata nimia fatigatione, poſſint iuuare ſutorẽ, ſartorẽ, horti cultorẽ Coa. reg. 4. fabrũ tignariũ, aliumue opificem domeſticũ; ne tẽpus vacuũ prӕripiatur ab otio. Sunt quidã manuales labores non admodum graues, qui ſuſcipi poſſunt, mea ſententia, vel ab ijs Religioſis, qui clerici ac Sacerdotes ſunt, ſed ob capitis imbecillitatem, aliamue corporis inualetudinem, aut de-

ſerere

Petr. Clun. l. 1. ep. 20. ad Gisleb.

ſerere prorſus, aut ſæpe intermittere coguntur ſtudia litterarum; vt notauit Petrus Cluniacenſis. Fructuoſe tempus fallent ij, ſi excudent & colorabunt imagunculas, quibus pueruli doctrinæ Chriſtianæ auditores, alacriter in eius ſchola detineantur, & ad eamdem alliciantur: ſi thecas conficient cereis agnis ſacris, ſanctorumque reliquiis. Eiuſdẽ generis ſunt; conſuere conglutinareque libros; cilicia & flagella ex funiculis texere: arbuſculas inſerere atque inoculare. Neq; improbarem eos, qui horologia cuiuſcumque generis fabrifacerent, qui ſphæras, pleniſphærja, & alia mathematicorum inſtrumenta conſtruerent atque elaborarẽt; quòd hæc vtiliſſimæ profeſſioni deſeruiant. In Ordinibus, vbi litteris non dant operam tirones, ijs aſſignari poſſunt labores manuum ex vtroque genere; quibus & idonea eſt ſcriptio documentorum ſpiritualium, & meditationum; qua & otium excludant, & doctrinam perfectionis addiſcant. Magiſtri cuiuſque profeſſionis, dum docent, ſatis ſuperque occupati ſunt, ſi ſuo muneri ſatisfacere velint. Nec auditoribus tempus ſuperuacaneum eſſe poteſt, quo otientur; ſi diligentia diſcendi præceptoribus docentibus reſpondeant; & ſi qua tangãtur cupiditate proficiendi adeo, vt neque à gradibus litterarijs excludantur; neque à condiſcipulis ſuperentur; neque careant ornamentis doctrinarum, quæ cognitione nobiliorum linguarum & hiſtoriæ continentur. In illis Religioſis, qui neq; docent, neque docentur, eſt aliquod otioſitatis periculum. Verum ijs ſuggero extraordinarias occupationes iucunditate vtilitateque conditas: ſtudiũ quæſtionum ad conſcientiam pertinentium, quæ nullum habent terminum: ſacræ Scripturę, quæ innumerabiles continet theſauros: ſanctorum patrum, qui ſunt diuitiarum pleniſſimi, quibus & in-

genium & ſpiritus locupletatur. Propono hiſtoriæ atque Eccleſiaſticæ præcipue lectionem cum ſanctorum vitis, vnde prudentiam, pietatem, ſcientiam cum voluptate augere poſſunt. Suadeo collectionem exemplorum ſelectorum, ſententiarū rerumq. aliarum piarum, in locos communes digeſtarum, quæ ſint illis vſui tum in concionibus, & adhortationibus, tum in familiari colloquio cū proximis. Denique reuoco illis in memoriam, ſi tamen tantum ingenio valent, ſcriptionem alicuius operis, quo abſentibus, & poſteris proſint, ſiue opus ex alia in aliam linguam conuertant; ſiue in compendium redigant, ſiue ſuo marte lucubrentur. Atque hæ ſunt occupationes domeſticæ. Nā externæ non deerunt in auxilium & profectum proximorum, ſi feruor charitatis adfuſſerit corda Religioſorum illorum, qui vel non vetantur prodeſſe alijs, vel iubentur ex regula ſeſe in eorum ſalutem ac perfectionem impendere. Doctrinæ Chriſtianæ pueris traditio: viſitatio ægrotorum, tum in noſocomijs, tum in domibus priuatorū: cohortationes ad piorum hominum cœtus, & ad ſanctimoniales: conciones ad populum in Eccleſijs & plateis: confeſſionum de peccatis auditio: ad meditandum inſtructio: excurſiones per oppida, caſtella & montes ad ruſticorum & pauperum inſtitutionem: & aliæ horum ſimiles ab Apoſtolorū temporibus ac moribus deriuatæ, atque a propria cuiuſque Religione receptæ ac præceptæ.

39 Tertio notandum eſt ex diſputatis, communem iam fere factam eſſe occupationem omnibus propemodum Religioſis, ſtudium litterarum ac doctrinarum ſacrarum; ſucceſſiſſeq. in locum laboris manualis inter monachos, atq. id fieri cęptū nō ætate noſtra, ſed multis ab hinc ſeculis, vt mox probabitur. Cauſæ multę, graues, & rationales fue-

runt: è quibus ſeligo quatuor. Prima fuit liberalis principum pietas, qui latifundijs monaſteria dotauerunt ac ditauerunt adeo, vt neceſſitas comparandi victus labore manuum, vel imminuta ſit, vel ſublata. Propterea rectores illorum monachis auxerunt ſpirituales labores, vt otium fugaretur, cuius depulſionem magna ex parte, vt demonſtratum eſt, ſpectabat labor manualis. B. Petrus Cluniacenſis abbas, cognomento venerabilis expreſſit hanc primam cauſam, reſpondens Ciſtercienſibus, qui Cluniacenſes monachos accuſabant violatæ regulæ parentis communis S. Benedicti hac in re. Prudenter enim obſeruat id à S. Mauro diſcipulo S. Patris fieri cœptum: vnde colligimus mutationis antiquitatem. Hic igitur ſanctus diſcipulus in Andegauenſi monaſterio morem hunc tenuit (ſic loquitur B. Petrus in epiſtola ad S. Bernardum) *Vt quia eis ſine proprio labore cuncta neceſſaria ſuppeditabant, omiſſo manuum opere, ſpiritualibus exercitijs exercitati, otioſi non eſſent*. Secunda cauſa fuit, quoniam non ſolum æque bene, ſed etiã melius vitatur otium per exercitia ſpiritualia & litterata. Idem B. Petrus in eadem epiſtola ſignificat. Primum enim ponit, vt certũ, à S. Benedicto in cap. 48. regulæ per laborem manuum non ſpectari niſi fugam otij: congruenter iuribus, quæ nolunt attendi verba, cum de mente conſtat diſponentis. Deinde infert: *Si alijs bonorum operum exercitijs idem poteſt fieri, nõ videtur vobis bene regula ſeruari?* Subdit alia in eandem ſententiam, & probat exemplo Mariæ Magdalenę, ſpiritualia corporalibus eſſe præferenda: & tandẽ cõcludit: *Quocumq. bono exercitio, otioſitate fugata, regula cuſtoditur.* Corroborat Petri Cluniacenſis ſenſũ, auctoritas S. Thomæ Aquinatis, reſpõdẽtis calũniatoribus Religionum, qui volebant Mendicantes Religioſos

Sup. n. 14. 36.

Petr. Clun l. 1. ep. 28. ad Bern.

Lib. 3. C. de lib. præter. L. quoniã indign. C. de teſta.

S. Th. opuſ 17. c. 16.

gioſos viuere tantum è labore manuum, non men dicata ſtipe; præſertim vt otiũ arcerent. Ait enim: *Sed otium non ſolum per laborem manuum tollitur, ſed multo melius per ſacræ Scripturæ ſtudium: quod otium magnum habet negotium, ſicut Auguſtinus dicit. Vnde ſuper illud pſalmi 68. Defecerunt oculi mei, dicit Gloſſa: Non eſt otioſus, qui verbo Dei tantum ſtudet; nec pluris eſt, qui extra operatur, quàm qui ſtudium cognoſcendæ diuinitatis exercet. Ipſa enim ſapientia maximum opus eſt. Tollitur etiam otium per laborem doctrinæ, quo contra hoſtes fidei dimicatur.* Hactenus S. Doctor producens quoque Auguſtinũ & Gloſſam in eiuſdem rei probationem. Hanc Petri Cluniacenſis doctrinã ſecuti ſunt Caſinenſes, Camaldulenſes, & Montis Oliueti monachi diſcipuli tãti Patris & magiſtri Benedicti: quorum poſtremi clare definiunt: *Studentes immunes eſſe ab eiuſmodi exercitijs manuarijs;* & ijs, qui curſum ſtudiorum peregerunt, *Exercitiorum loco erunt lectiones, meditationes, & ſacrarum ſcripturarum ſtudia.* Caſinenſes vero antequam ſtatuant quid doctrinarum, & quibus in monaſterijs, tradendum ſit, has cauſas ſtatuti præmittunt præclaris verbis otium deteſtantes: *Cum impium; & à monaſtica diſciplina alienum ſit, inertia otioque langueſcere, & ab antiquis patribus, qui Eccleſiam militantem omni doctrinæ genere & facultate illuſtrarunt, filios degenerare: vt huiuſmodi ignominiam & notam fugiamus, otiumque & nugas efficax Diaboli virus euitemus; diuinarum Scripturarum ſpeculationi efficacius intendere poſſimus; ſimul vt coaleſcenti in dies auctore Deo, congregationi noſtræ, hæc etiam, inter cetera, ſcientiæ gemma non deſit.* Tertia cauſa mutationis fuit neceſſitas doctrinæ ſacræ Scripturę ac Theologiæ in Eccleſia, tum ad confutandos Hęreticos, tum ad eruditionem populorum: cum neſcio qua de cauſa pa-

Caſin. Camald. Mõtis oliu. in c.48. regulæ.

Caſin. in c.47. reg. n. 4.

ſtores animarum in ius ciuile animum, & ſtudiũ intendiſſent. Vnde illa S. Bernardi cum Eugenio Papa ex poſtulatio cum indignatione, quòd à mane vſque ad veſperam litigaret, aut litigantes audiret: quòd epiſcopi ciuiles cauſas iudicarent, & alia multa, vnde colligat lector peritiores illo ęuo fuiſſe viros Eccleſiaſticos ciuilis iuris, quàm Theologiæ. Hanc neceſſitatem videntes Ordinum, qui Mendicantes dicuntur, Inſtitutores & moderatores, laborem manuum in ſtudia ſcripturarum ſacrarum commutauerunt. Præſertim cum in ſub ſidium paſtorum animarum, per prædicationem verbi Dei, & alia miniſteria ſpiritualia, quibus ſcientia ſacra neceſſaria eſt, diuino accerſitu venirent. Hos Ordines poſt trecentos annos congregationes clericorum regularium ſecutæ ſunt, eodem zelo ſalutis alienæ procurandæ ardentes; proinde ſacris ſtudijs intentæ ac diſtentę, laborem manualem priſcorum monachorum ſibi admittendum non putarunt. Quarta & poſtrema cauſa eſt iuſſio Pontificum, qui animaduertentes in quibuſdam congregationibus monachorum, laborem manuum, non amplius victui comparando neceſſarium deſeri, & clanculum exinde otium obrepere, iuſſerunt in quouis earum monaſterio ſacras litteras & Theologię partem aliquam explicari, atque à monachis iunioribus, vel ſub externo doctore audiri, donec ex ipſorum numero, idonei aliqui fiant, qui poſtea domeſtici pręceptores eſſe poſſint. Legatur Clementis VIII. conſtitutio continens decreta generalia pro reformatione Regularium, tam monachorum, quàm Mendicantium; in qua ſub §. primo hęc verba ſunt: *Lectio ſacræ ſcripturæ, vel caſuum conſcientiæ bis in hebdomada præſcriptis diebus in ſingulis conuentibus habeatur, ad quas Fratres omnes conueniant. Eaque ab-*

S. Ber. l. de conſid. c. 3. & 10.

Laet. Cherub. t. 3. in Cle. VIII. n. 60.

ſoluta, mutua collatione circa explicatam doctrinam ſeſe utiliter exerceant. Paulus V. pariter anno 1606. congregationi Fratrum Ieſuatorum concedens facultatem, vt centum ex ipſa promoueri poſſint ad ſacerdotium, ait inter alias conceſſionis rationes: *Conſiderante ſque non poſſe Religioſos maiori cum fructu Dei obſequijs vacare, quam per diuinarum litterarum ſcientiam.* Et in eodem diplomate vetat ſacris ordinibus initiatos vacare diſtillationis aquarum exercitio. Quinetiam ſuadet erigi litterarum exercitationes & ſtudia, in quibus humaniores litteræ ac diſciplinæ; tum philoſophia & Theologia tradantur. Paul. V. apud Laet. t.3. in Paulo V. n.16.

Remedium IV. Feruor diuini amoris.

40 QVartum remedium exhibitum mihi ab Ioanne Trithemio in quadam homilia dicta in conuentu monachorum, eſt feruor diuini amoris. Verba eius referre placet: *Si Deũ ardenter amaueris, numquã eris otioſus: quia verus Chriſti amor, non ſinit in animo naſci torporẽ; ſed ſẽper impellit ad voluntatẽ Dilecti. Et ſicut quidam carnaliter ſapiens veraciter dixit: Qui nõ vult fieri deſidioſus, amet: ita nos docuit experientia in amore ſpirituali: quia mentem, quam inhabitare cœperit, torpeſcere otio & ignauia non permittit &c.* Didicit Trithemius hanc doctrinam veriſſimam à Maioribus. Nam amorem non eſſe otioſum, dogma eſt S. Gregorij Papę in homilia quadam pronuntiatum: *De dilectione conditoris, lingua, mens, & vita requirantur, Numquam eſt Dei amor otioſus. Operatur enim magna, ſi eſt: ſi vero operari renuit, amor non eſt.* & alio loco: *Sæpe & pigras mentes amor ad opus excitat.* S. Thomas in opuſculo ſexageſimo primo enumerat decem gradus amoris ex S. Bernardo Io. Trith. hom. 6. S. Greg. homil. 30. in Euang. Id. l.6. mor c. 17. S. Th. opuſ. 61. c. 28.

nardo, tertiumq. dicit eſſe, *Quod facit operari indeſinenter*. Nullum allegat S. Bernardi teſtimoniū: ſed ego profero alterum ex libro de Modo bene viuendi: vbi præter alia multa in hanc ſententiam ait expreſſe: *Amor Dei numquam eſt otioſus, Si vere Deum diligis, nulla hora otioſa eris.* Alterum ex explanatione Canticorum vbi diſtinguens tres affectiones, quas poſtmodum amores vocat; condemnat primam, quæ dulcis & turpis eſt: commendat ſecundam, quæ *Sicca & fortis eſt*. Hinc infert. *Igitur per ſecundam opera fiunt, & in ipſa charitas ſedet, non illa affectualis, quæ ſale ſapientiæ condita pingueſcens, magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini; ſed quædam actualis; quæ & ſi nondū dulci illo amore ſuauiter reficit, amore tamen amoris ipſius vehementer accendit.* Producit ad probationem huius actualis dilectionis Ioannis apoſtoli teſtimonium nos adhortantis, vt diligamus *opere & veritate*. Quodſi alicubi ſignificat idem S. Doctor, & poſt eum Gillebertus abbas, qui explanationē canticorū continuauit, amorē otio gaudere: intelligere debes otiū ſanctæ contēplationis, ab amore affectuoſo deſideratum: quod initio tractatus, maximum negotium eſſe probauimus. Verum amor fortis actuoſus eſt operationiſq. amans; proinde ab omnibus ſapientibus animo concipitur ſimillimus igni, qui omnium elementorum eſt, vt ita dicam, actiuiſſimus, ſemper enim agit, ex Ariſtotele. Nec dubitandum eſt, quin ſit inuenturus occupationes honeſtas ad fugandum otium is, quē amor inflammat: quoniam Amor ingenioſus eſt; proinde rerum earum inuentor copioſus, quę ſunt ad finem conſequendum neceſſariæ. Optaui feruentem eſſe hunc diuinum amorem, cum dixi optimū remedium eſſe feruorem diuini amoris: quoniam feruor, cum vehementiam, ardorem, intenſionemq.

S. Bern. l. de modo bene viu. ſerm. 51. Id. ſerm. 50. in Cāt.

1. Io. 3. 18.

Gill. abb. ſer. 11. in Cant.

Supr. n. 2.

Ar. l. 9. metaph. c. 18.

nemq. amoris dicat, ſitque incenſius & ardentius deſiderium, vrget ad agendum aliquid pro Deo dilecto vehementius, atque acrius incitat amatorem ipſius Dei: omnemque negligentiam, deſidiam & acediam quam longiſſime arcet; quemad modum liquoris cuiuſcumque in olla bullientis feruor, muſcas quibus otioſos & otium ſignificari diximus, abigit ab olla, nec illi adhęreſcere ſinit. Tr. de di-lig. ſpir. n. 37.

Finis tractatus primi.

nardo, tertiumq. dicit eſſe, *Quod facit operari indeſinenter*. Nullum allegat S. Bernardi teſtimoniũ: ſed ego profero alterum ex libro de Modo bene viuendi: vbi præter alia multa in hanc ſententiam ait expreſſe: *Amor Dei numquam eſt otioſus, Si vere Deum diligis, nulla hora otioſa eris*. Alterum ex explanatione Canticorum vbi diſtinguens tres affectiones, quas poſtmodum amores vocat; condemnat primam, quæ dulcis & turpis eſt: commendat ſecundam, quæ *Sicca & fortis eſt*. Hinc infert. *Igitur per ſecundam opera fiunt, & in ipſa charitas ſedet, non illa affectualis, quæ ſale ſapientiæ condita pingueſcens, magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini; ſed quædam actualis; quæ & ſi nondũ dulci illo amore ſuauiter reficit, amore tamen amoris ipſius vehementer accendit*. Producit ad probationem huius actualis dilectionis Ioannis apoſtoli teſtimonium nos adhortantis, vt diligamus *opere & veritate*. Quodſi alicubi ſignificat idem S. Doctor, & poſt eum Gillebertus abbas, qui explanationẽ canticorũ continuauit, amorẽ otio gaudere: intelligere debes otiũ ſanctæ contẽplationis, ab amore affectuoſo deſideratum: quod initio tractatus, maximum negotium eſſe probauimus. Verum amor fortis actuoſus eſt operationiſq. amans; proinde ab omnibus ſapientibus animo concipitur ſimillimus igni, qui omnium elementorum eſt, vt ita dicam, actiuiſſimus, ſemper enim agit, ex Ariſtotele. Nec dubitandum eſt, quin ſit inuenturus occupationes honeſtas ad fugandum otium is, quẽ amor inflammat: quoniam Amor ingenioſus eſt; proinde rerum earum inuentor copioſus, quę ſunt ad finem conſequendum neceſſariæ. Optaui feruentem eſſe hunc diuinum amorem, cum dixi optimũ remedium eſſe feruorem diuini amoris: quoniam feruor, cum vehementiam, ardorem, intenſionemq.

S. Bern. l. de modo bene viu. ſerm. 51. Id. ſerm. 50. in Cãt.

1. Io. 3. 18.

Gill. abb. ſer. 11. in Cant.

Supr. n. 2.

Ar. l. 9. metaph. c. 18.

nemq. amoris dicat, ſitque incenſius & ardentius deſiderium, vrget ad agendum aliquid pro Deo dilecto vehementius, atque acrius incitat amatorem ipſius Dei: omnemque negligentiam, deſidiam & acediam quam longiſſime arcet; quemadmodum liquoris cuiuſcumque in olla bullientis feruor, muſcas quibus otioſos & otium ſignificari diximus, abigit ab olla, nec illi adhęreſcere ſinit. Tr. de di- lig. ſpir. n. 37.

Finis tractatus primi.

DE RARA PRVDENTI AC PIA

SCRIBENDARVM Epiſtolarum ratione ſeruanda Religioſis.

TRACTATVS ASCETICVS II.

1 CVM omnibus Religioſis interdum neceſſario ſcribendę ſunt litteræ, ſiue ad commilitones eiuſdem ſacræ militiæ, ſiue ad extraneos: tum vero paulo frequentior earum ſcriptio ſolet eſſe in illis Ordinibus, qui contemplationi rerum cæleſtium, procurationem alienæ ſalutis adiunxerunt. Hac in re, vt in alijs omnibus actionibus humanis, & vitio naturæ corruptæ, & occulto Dæmonis ſuaſu, & experientiæ defectu peccari poteſt, quà contrahendo, quà tranſiliendo virtutis terminos, quà mediocritatem ipſam vſus moderati epiſtolarum corrumpendo, per minus religioſam minuſque prudentem ſcribendi rationem. Quapropter vi-

ſum eſt mihi conducibile communibus Religioſorum rationibus, adnectere alijs iam conſcriptis tractatibus aſceticis, hunc de rara, prudenti ac pia ſcriptione litterarum, quam priſci patres, & ſpirituales magiſtri magnifecerunt, vt monita legesque impoſitæ cœtibus religioſis vſuſque declarant. Perſpicuitatis gratia tractatum in quatuor capita diſtribuam. Primo docebo mirabile inuentum ingenij humani, magnumque auctoris Naturæ donum eſſe vſum epiſtolarum. Secundo demõſtrabitur, duces Religioſorum ac magiſtros perfectionis, ne nobis noceret, adhibuiſſe moderationem & cautiones, additis etiam pœnis non ſeruantibus modum. Tertium caput oſtendet, vtile interdum ſcribere ac neceſſarium: ſed vtilius parce ſcribere, neceſſitate non cogente, tribus potiſſimum hominum generibus. Quartum ac poſtremum caput monita continebit, vt ſcriptio ſit rara, prudentiæ ac religioſitatis ſale condita.

Vſum epiſtolarum ingenij humani mirabile inuentum atq. Auctoris naturæ donum eximium eſſe. CAP. I.

2 EPiſtola inuenta eſt, auctore M. Tullio, *vt certiores faceremus abſentes, ſi quid eſſet, quod eos ſcire, aut noſtra, aut ipſorum intereſſet.* Magnũ & mirabile inuentum ingenij hoc eſt humani. Primum quia per hoc, abſtruſæ mentis cogitationes & optata ſcribentis, in intimis condita receſſibus animorum; immo & voces dictantis epiſtolam in papyro repræſentatę characteribus, ab India vſque & Antipodum inſulis ad noſtros oculos, vel aures delatæ patefiunt & cognoſcuntur. Indicat hanc primam admirabilitatem B. Alchuuinus, cum ait: *Conceſſum eſt humano generi, pe-ctoris*

Cic. l. 1. ep. ad famil. ep. 4.

B. Alchuu. ep. 49.

ctoris arcana chartis mandare, & litteris innoteſcere tacentibus, quod lingua non valet loquente. Non poterat humanum genus ſecreta cordis per linguam loquentem abſentibus patefacere propter locorũ interuallum: adinuenit nouum modum, quo ea ſignificaret, nimirum epiſtolam, quæ tacendo loquitur. Quamobrem eam appellauerim ego *Nuntiam tacitam*, quandoquidem Diodorus Siculus litteras appellat internuntias: & vice verſa S. Auguſtinus Internuntium vocat *Viuentem atque intelligentem epiſtolam*; & S. Iſidorus Hiſpalenſis linguam latoris epiſtolarum, dixit eſſe, viuentem ac loquentem epiſtolam. Clarius expreſſit ſua ſenſa B. Alchuuinus, ſcribens ad Aquilam in hunc modum: *Ad hoc verba videntur hominibus data, vt arcana cordis fraternis auribus infundere valeamus. Ad hoc epiſtola ſcribuntur, vt quo verborum ſonus peruenire non poterit, litterarum officia currant.* Conſonat quod multo ante obſeruauerat S. Baſilius, accepiſſe nos à Deo duplicem cognoſcendi modũ, *Vnum per præſentem conuictum & congreſſum; alterũ per conſuetudinem litterarum.* Horum doctorum verbis inuitatus dicere auſim, epiſtolam eſſe quaſi ſecundam quandam nauiculam, quæ abſentium arcana, vota, notitias, cognitionem deuehit in portum ſenſuum, oculorum potiſſimum cum legitur; aurium, cum auditur à lectore, vnde iſthæc in animum poſtmodum transferuntur. Secundam dixi nauiculam, quoniam eiuſdem S. Baſilij teſtimonio, humana oratio, ſeu loquela ore conformata, ſimilis eſſe putatur nauiculæ pariter ex ore loquẽtis ac pectore, in aurium auditorum portum cogitata illius reſq. alias ſignificatas vocibus importãti, vt inde in memoriæ arculis ac mente collocentur. Theodoretus admirans in humani corporis fabrica ſapientiam, prouidentiamq. diuinã, ſimilem

Diod. Sic. l. 12. bibl.
S. Aug. ep. 106. ad Paulin.
S. Iſid. Hiſpal. ep. ad Maſon. ep. epiſcopum
B. Alchuu. ep. 204. ad Aquilam.
S. Baſil. ep. 55. ad S. Ambr.
Id. hom. Attende tibi.

lem putat epiſtolam vehiculo, non lingua impulſo, ſed manu.

3 Admirabilitas altera in hac ſcriptione litterarum illa eſt, quam Turpilius comicus apud S. Hieronymum ſententia memorabili protulit: *Sola res eſt, quæ homines abſentes, præſentes facit.* Qua relata S. Doctor admirabūdus exclamat: *Nec falsā dedit, quāquam in re non vera, ſententiam. Quid enim eſt, vt ita dicam, tam præſens inter abſentes, quàm per epiſtolas alloqui, & audire quos diligas?* Congruit cum Hieronymo S. Ambroſius ad Sabinū ſcribēs: *In quibus* (epiſtolis inquit) *inter abſentes præſentium ſermo eſt.* Et alibi vberius ad eumdem: *Quarum*, epiſtolarum, *einſmodi vſus eſt, vt diſiuncti locorum interuallis, affectu adhæreamus, in quibus inter abſentes imago refulget præſentiæ, & collocutio ſcripta ſeparatos copulat; in quibus etiam cum amico miſcemus animam, & mentem ei noſtram infundimus.* Probat hæc vir ſanctus auctoritate S. Pauli, qui *abſens corpore, præſens ſpiritu*, cum ad Corinthios epiſtolā exararet, imaginem ſuæ præſentiæ, in illa exprimebat. S. Auguſtinus ſcribens ad Paulinum ait per litteras ſcriptas eum fieri perſpicabilē, eiuſq. præſentiam legentibus exhiberi. Non recedens ad horum patrum ſententia S. Gregorius Nazianzenus ad Sophronium ſcribens, appellat epiſtolam *Sermonis & congreſſionis vmbram.* Eſt autem vmbra, imago quidem rei, radijs ſolis, aut cuiuſuis, luminis obiectæ, ſed imperfecta. Similiter epiſtola eſt quædam adumbratio, ſeu adumbrata imago ſermonis: epiſtolarum vero viciſſitudo, ſeu mutua ſcripitio & miſſio, eſt congreſſionis & colloquij effigies quædam & imitatio. Cum tribui præclaram hanc inuētionem ingenio mortalium, adieci donum eſſe Dei beneficiumq. ſingulare, eo ſēſu, quo S. Baſilius eam admiratur, vt maximum

S. Hier. ep. 41. ad Niceam.

S. Ambr. ep. 31. ad Sabin.

Id. ep. 65. ad Sabin.

1. Cor. 5.

S. Aug. ep. 32. ad Paulin.

S. Greg. Naz. ep. 59 al. 51.

S. Baſil. ep. 55. ad S. Ambr. Dei munus, eique refert acceptum his verbis: *Magna ſemper & multa quidem ſunt Domini noſtri dona; quorum neque magnitudo menſurabilis, neque multitudo numerabilis eſt. Vnum vero, quod inter maxima reputari poteſt ab ijs, qui non difficili beneficiorum Dei in ſe collatorum ſenſu tanguntur, præſens, hoc eſt quod quam longiſſime propter locorum diſtantiam ſeiunctis, per litterarum alloquium mutuo coaleſcere dedit.* Et ſubdit largitum eſſe nobis illum duplicem cognoſcendi modum, quem paulo
B. Alchuu. ep. 66. ad Aquilan. ante expoſui. Beatus quoque Alchuuinus in Deũ refert idem donum cum ait: *Hoc dedit Deus abſentibus in ſolatium, vt per chartas loqui potuiſſent, & & neceſſaria proferre in cor alterius.* Vtramque ad-
Diod. Sic. l. 12. bibli. mirabilitatem Diodorus Siculus notauit in ſua bibliotheca, ſic ſcribens: *Quos longiſſima procul terrarum interualla ſeparatos tenent, hi litterarum ſeſe mutuis velut internuntijs ſalutant, viſuntque: cum abſentibus amicis tamquam præſenti conſuetudine mutuis colloquijs perfruuntur.*

Cautiones adhibitæ ſcriptioni litterarum à magiſtris religioſis. Cap. II.

Sup. n. 1. 4 QVONIAM, vt ſignificatum eſt tractatus initio, tam vtile hominibus ac propemodum neceſſarium inuentum ac Dei munus, vt alia multa generis eiuſdem, mortalium improbitate malum in finem ac pernicioſum vſum detorqueri poteſt ac ſolet: idcirco familiarum religioſarum conditores, regularum aſceticarum ſcriptores, magiſtri ac moderatores monaſteriorum, non quidem penitus vſum epiſtolarum interdixerunt ſuis, ſed multas variaſq. cautiones ac moderationes præſcripſerunt. Omnium enim fere lex eſt, vt neque ſcribere litte-

ras, neque mittere, neque accipere, legere, reſignare, niſi Maiorum permiſſu licitum ſit. Alij ſtatuerunt, vt ante ſcriptionem, ſcribendi facultas peteretur. Quidam grauiter iuſſerunt à ſuperioribus legi litteras & mittendas & acceptas. Nonnulli declararunt nomine litterarum intelligi genus quodcumque epiſtoliorum, & ſchedularum, quibus aliquid nuntiatur. Multi pœnas adiecerunt violatoribus huiuſmodi regularum. Non defuerunt, qui violationem ipſam legis huius, tamquam grauis momenti culpam Superiori remittendam reſeruarunt. Et ſane ab antiquis adeo temporibus ducta lex eſt, vt eius primus lator & conditor minime reperiatur, vnde licet opinari, ad primos Religioſorum duces, apoſtolicis florentes temporibus, eam eſſe referendam. Acceptionem litterarum reperio vetitam à Sancto Baſilio primario inter Græcos magiſtro monachorum. Refert eius verba Smaragdus vetus interpres regulę Sancti Benedicti, quę ſunt hęc: *Munus quodlibet, ſeu epiſtolas nemo monachus accipiat, nec dare ſine iuſſione Abbatis cuiquam præſumat.* Hæc extrema verba, non modo ad munerum dationem, ſed etiam ad litterarum referri poſſunt: proinde non acceptionem modo, ſed etiam miſſionem epiſtolarum vetitam à Baſilio exiſtimandum eſt. Præſertim cum alij Græcorum monachorum magiſtri, qui Baſilianæ regulæ obſeruatores erant, miſſionem litterarum prohibuerint. Beatus Eſaias Abbas inſtituens monachum vna cum alijs habitantem, inter alia multa præcepta illi obſeruanda, hoc habet in rem noſtram: *Si cũ patre, aut fratre tuo habitas* (ſpiritualem cape) *ne ineas clam amicitiam cum aliquo; neque occulte litteras ad aliquem ſcribas, quòd eos, quibus cum viuis velis ignorare, alioquin & te ipſum, & illos perdes.* Ioanni quoque

S. Baſil. apud Smar. in c. 54. reg S. Ben.

B. Eſa. or. 5

quoque Damaſceno monaſticam vitam inchoâti, magiſter eius ſpiritualis, cum ei præcepta quædã tamquam prima principia, & axiomata religioſæ philoſophiæ traderet, miſſionem epiſtolarum expreſſe prohibuit dicẽs: *Ne ad quemquam epiſtolam miſeris.*

Io. patr. in vita Damaſc. c. 17.

5 Inter Latinos Ordinum fundatores & formatores S. Auguſtinus primo loco concluſionem noſtram probat, cũ in regula ita grauiter loquitur, vt eius verba fuerint à Gratiano in ius commune relata, tãquam lex Eccleſiaſtica. *Quicumq. autem in tãtum fuerit progreſſus malũ, vt occulte ab aliquo litteras, vel quodlibet munus acceperit, ſi hoc vltro cõfitetur, parcatur ei, & oretur pro eo; ſi autem deprehẽditur & conuincitur, ſecundũ arbitrium presbyteri, vel præpoſiti grauius emendetur.* In hoc decreto explanando Archidiaconus celeberrimus Canonum interpres aſſerit non licere monachis & canonicis regularibus litteras priuatas accipere ſine permiſſu ſuperiorũ. Et quãuis Auguſtinus hic non loquatur, niſi de acceptione litterarũ; tamen Martinus Nauarrus intelligit decretũ extenſum etiã ad miſſionẽ earumdẽ, tum in cõmentario de regularibus, tũ in conſilijs ad quæſita Cartuſianorum reſpondens, quos eadẽ lege obligatos ponit. Nauarrũ in extenſione legis ad mittentes etiam, ſequitur Seruatius Ordinis Præmonſtratenſis in expoſitione regulæ S. Auguſtini, & alij communiter. Poſt S. Auguſtinum illuxit Eccleſiæ S. Benedictus innumerabilium monachorum parens, qui miſſionem & acceptionem grauiſſime vetuit in ſua regula, cũ ait: *Nullatenus liceat monacho, neq; à parentibus ſuis, neq. à quoquam hominũ, nec ſibi inuicem litteras, aut eulogias, vel qualibet munuſcula accipere, aut dare ſine præcepto Abbatis ſui.* S. Benedicti doctrina eruditus S. Iſidorus Hiſpalenſis vtramque actionẽ ſuis inter-

S. Aug. in reg. c. 14.

c. non dicatis 12. q. 1.

Archid. c. non dicatis. 12. q. 1.

Nau. com. 2. de regul. n. 13. conſ. 75. de regul. n. 43.

Seruat. optices. ſpec. 29.

S. Ben. in reg. c. 14.

S. Iſid. in reg. c. 23.

interdixit his verbis in regula. *Neque ſine iuſſu Abbatis, quiſquam accipere epiſtolam, vel dare cuiquam præſumat*. Ex eadem ſchola puto fuiſſe S. Fructuoſum epiſcopum, qui ſcripſit in ſua regula, cuius particulam Ioannes Trithemius refert; *Munus deniq. quodlibet, ſiue epiſtolas, nemo monachus accipiat*. Nec vero putetur hæc lex poſt illa ſæcula aurea fuiſſe antiquata, & in deſuetudinem abijſſe. Nam S. Bernardi æuo ſeruabatur vigebatque in congregatione Ciſtercienſi, quæ militabat ſub vexillo eiuſdem Benedicti. Teſtificatur id ipſe Bernardus in epiſtola præfixa tractatui de præcepto & diſpenſatione clariſſimis hiſce verbis *Monachi enim ſunt, & ex lege ſuæ regulæ ſine nutu ſui abbatis, ſicut dare, ita & accipere datas prohibentur epiſtolas. Nam & ob hoc maxime diu, ſicut ſcitis, multum rogatus ab eis, reſpondere tardaui; quod, vt mihi videbatur, ignorante abbate, ſcribere illas epiſtolas & mittere præſumpſiſſent*. Ex codice quodam Vaticanæ bibliothecæ Cardinalis Baronius tranſcripſit epiſtolam Simonis prioris de Monte Dei, qui vna cum Bernardo de Corilo monacho nuntius Apoſtolicus miſſus fuerat ad Angliæ regem. Hic Simon poſt narrationem eorum, quæ geſta erant, hæc ad Alexandrum III. Pontificem ſcribit. *Rogatus frater Bernardus, ſicut nos, vt negotij ſeriē vobis ſcriberet, reſpondit, quòd in Ordine ſuo inhibitū eſt, ne quis fratrum pro aliquo negotio, vobis, vel alijs ſcribat; ſed dicturum ſe reſpondit corā Nuntio veſtro*. Apparet hinc Bernardum obediuiſſe Papę in proficiſcendo: vtrumq. vero in ſcribendo, quod Pontifex fortaſſe minime ſpeciatim præceperat, Ordini paruiſſe; qui de non ſcribēdis litteris decretū habebat. In B. Patris veſtigijs hærēt Caſinēſes, Camaldulēſes, Cęleſtini, Ciſtercienſes, & alij eiuſdem diſcipuli noſtri ſæculi, vt manifeſtum fiet paulo poſt, vbi de pœnis agemus.

S. Fructuo. in reg. apud Trith. tr. de propriet. mon c.5. §.5.

S. Bern. ep. ad abb. Columb.

Card. Baron. t. 12. an. 1160.

6 Poſt

6 Poſt annum à Saluatoris aduentu milleſimũ, religioſi Ordines, quos Eccleſia peperit, legem eandem amplexi ſunt, tamquam valde ſalutarẽ. Hinc monachi Cartuſiani ſic ſtatuunt: *Nulla perſona Ordinis noſtri, præter priores & procuratores, ſigillum, vel ſignum habeat, ad ſigillandum; aut litteras, ſeu qualibet munuſcula dirigat, vel recipiat, niſi prius licentiam habuerit à Preſidente. Prior autem omnes litteras aperiat & legat; tam eas, quas ſui monachi, vel conuerſi mittunt, quam eas, quas recipiunt.* Fratres de Monte Carmelo in hæc verba legem ſanciunt: *Nulli Fratres mittant litteras alicui, niſi prius videantur à ſuis prælatis, & licentiam ab eiſdem habeant recipiendi litteras, vel mittendi.* Congregatio diſcalceatorum S. Eliæ ſub eadem regula: *Litteras ſine Superioris eas partim ſaltem lecturi conceſſu, nec mittant, nec recipiant*, Prædicatorum cõſtitutiones inter culpas graues ponunt hęc verba: *Si quis litteras alicui miſerit, vel ſibi miſſas legerit, quas primitus ſuo præſidenti non oſtenderit.* Vnde colliges in illo Ordine legem hanc, de qua diſſerimus, fuiſſe receptam. S. Bonauentura in ſpeculo diſciplinæ ſcriptum item reliquit: *Sic ne litteras ad ſe miſſas recipiant, aut aliquo caſu acceptas aperiant, &c.* Huius ductu magiſtri, vt ego arbitror Fratres Minores Capucini inter conſtitutiones anno 1536. ſcriptas, quas regulæ S. Franciſci ſepimenta nominant, hanc locarunt: *Atque ad euitanda incommoda, quæ exiſtere poſſunt; mandatur, vt nemo Fratrum, iuuenum præſertim, mittat, aut recipiat litteras ſine licentia ſui prælati.* Quam conſtitutionem obſeruant hoc tempore, quo hæc litteris mando. Benedictus XII. in conſtitutionibus collectis pro Fratribus Minoribus poſuerat in nouitiorum & iuuenum Informatione: *Nec litteras mittant, nec recipiant, ſine ſui magiſtri ſpeciali*

Cartuſ. p. 2 ſtat. c. 24. n. 17.

Carmelit. conſt. p. 1. c. 23, §. 5.

Congr. diſcalc. S. Eliæ. p. 1. conſt. c. 1. §. 7.

Prædic. cõſtit. diſt. 1. c. 17.

S. Bon. p. 1. ſpec. diſcipl. p. 1. c. 4.

Capuc. cõſtit. c. 10.

Bene. XII. cap. 3. conſtit. pro Fratrib. Minorib.

ſi licentia. Et pro certo habendum eſt, voluiſſe Pontificem ita informari nouitios, vt eum morem profeſſi retinerent. Clerici regulares Theatini: *Nemo litteras, munera, ſeu quid aliud cuiuſque generis mittere, vel recipere audeat, ſine ſuperioris licentia. Qui ſecus fecerit, arbitrio ſui præpoſiti puniatur.* Clerici regulares S. Pauli conſtitutionem hanc habent: *Nemo litteras ad aliquem det, aut ab alio acceptas aperiat, antequam eas Superiori oſtenderit: & qui reddendas accipit, prius ad Superiorem afferat, quàm ei reddat, ad quem datæ ſunt.* Poſſem alias congregationes religioſas recenſere, quæ idem ſtatuerunt, ſed eas in decurſu tractationis producam, & harũ rerum ſtudioſus in earum conſtitutionibus legendis hanc legem inueniet.

Cler. regu. p. 3. conſt. c. 9.

Cler. regu. S. Pauli l. 2 conſt. c. 1.

7 Et quoniam dixeram non deeſſe Ordines, qui requirunt a ſuis, vt ante quàm ſcribant, facultatem ſcribendi petant; ideo mihi hoc in præſentia probandum eſt. S. Bernardi æuo, qui ſub regula S. Benedicti viuebat, id vſitatum inter monachos intelligimus ex eius verbis in epiſtola relata, ad Abbatem Columbenſem ſcripta, vbi reprehendit, qui epiſtolas præſumpſiſſent, non modo mittere, ſed etiam ſcribere. Quod etiam innuitur in epiſtola Prioris de Mõte Dei. Caſinens monachi clariſsime loquuntur, cum ſic decernunt: *Si qua vtili & honeſta cauſa volunt Fratres ſcribere litteras, habita prius ſcribendi licentia, ſcribant. Deinde litteras apertas deferant Prælatis; quas mandamus ab ipſis prælatis legi, ſubſcribi, & ſignari. Similiter & qui ipſas recipiunt, antequam ipſas legant, clauſas præſentent Prælato ſuo; quas volumus omnino & iubemus prælatum legere: vel eo abſente, vices eius gerentem: & ſi videbitur ſibi, Fratribus, quibus directæ ſunt, reddat.* Simillima huic ſtatuto Caſinenſium, eſt noſtrę Societatis conſtitutio in regulas ſummarij relata:

Sup. n. 6.

Caſin. in c. 54. reg. S. Ben. §. 3.

P. 3. c. 1. B. Sum. reg. 39.

Mon. Môtiſol. in c. 54. regulæ. lata. Monachi Montis oliueti ſimiliter fere ſtatuunt. *Nemo ex monaſterij profeſſis poſſit ſcribere, aut litteras accipere abſque licentia Abbatis: cui oſtendenda erunt, tam ea, quas monachus ſcribat, quã illæ, quæ ipſi ſcribuntur: quas aperire nequeat, ſed eas omnino Abbas aperiat, ſub priuatione vocis actiuæ & paſſiuæ per annum*. Liquido vetant ſcriptionem non impetrata poteſtate ſcribendi: quod confirmatur ex eo, quòd inſuper iubent ſcriptas oſtendi ſuperiori. Cęleſtini monachi ſub duce Benedicto pariter militantes, in conſtitutionibus hęc habēt:

Mon. Cœleſt. tr. 1. conſt. c. 12. p. 2.

Praterea litteras dare, aut accipere nullo modo præſumant; niſi de Superiorum licentia. Qui quidem ſuperiores nihilominus litteras ipſas prius aperiant & legant, antequam eas conſignent, vel mittant. Dare litteras interpretor *ſcribere*, fretus conſtitutione ac more Caſinenſium & monachorum Montis oliueti, qui expreſse ſcribendi facultatem peti iubent. Cumque Cęleſtini ſint ex eadem S. Benedicti ſanctiſsima ſchola, & in alijs ſtatutis cum Caſinenſibus plane conueniant, non improbabile videri poteſt, eos ſequi morem eumdem; & ſenſum quoque eumdem in eo verbo latere. Iubentur eandem facultatem ſcribendi petere Canonici regulares S. Saluatoris ſub regula S. Auguſtini, per hęc verba: *Multo magis Fratres Ordinis noſtri prohibentur ſine licentia ſui ſuperioris ſcribere, atque etiam alienas litteras perferre, aut referre, etiam Fratribus noſtri Ordinis*. In correctorio Fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula hęc habentur: *Reliqui autem Fratres & Oblati, qui abſque ſui ſuperioris licentia, alijs eiuſdem Ordinis Fratribus, aut oblatis ſcripſerint, per ipſum ſuperiorem acriter puniantur*. Accedunt Clerici regulares S. Pauli: *Nullas*, inquiũt, *accipiant epiſtolas, niſi quas prius viderit Pater, neque ſcribant eas, niſi prius eius rei facta ſibi poteſtate,* mox

Can. S. Sal uat. c. 14. conſt. §. 4.

Corrector. Minim. c. 10. §. 107.

Cle. S. Pauli in inſtr. nouit. c. 6.

mox exaratas eidem oſtendant. Monialibus quoq. in quinta Synodo Mediolanenſi ſub S. Carolo præſcribitur, ne ſine conceſſu Præfectæ ſcribant litteras, quæ ſcribendi neceſſitatem exquirat. Capite quarto referam eos, qui ſuperiores cœnobiorum, non ſolum dare facultatem ſcribendi, aut reſignare litteras in monaſterium illatas, ſed accurate legere iuſſerunt. Nomine vero litterarũ, ſeu epiſtolarum, Prædicatorum Ordinem ſapientiſſimum reperio bis declaraſſe genus omne litterarum intelligi. Primum quidem in conuentu generali Pariſijs anno 1243. his verbis: *Fratres non mittant litteras, etiam non ſigillatas, nec recipiant ſine licentia ſui Prælati*. Deinde Treueris an. 1289. *Inhibemus diſtricte, ne Fratres litteras, vel cedulas, vel alia quæcumque memorialia legant, vel trãſmittant, vel ſibi tranſmiſſa aperiant, ſine eorum Superiorum inſpectione, vel licentia ſpeciali*. Nititur hęc declaratio iure communi in c. non dicatis. 12. q. 1. quod explanans Cardin. Turrecremata, interpretatur litteras iuxta Hugonem, *Quaſcumque*. Idcirco Claudius Aquauiua præpoſitus generalis mei Ordinis declarauit nomine litterarum capi etiam ſyngraphas ſiue apertas, ſiue clauſas, ſchedulas & memorialia, vt docui commentario regulæ 37. communium.

Conc. V. prou. Mediol. p. 1. 9. de monial.

Infra n. 21

Prædic. conſt. d. 1. c. 17. d.

Turrec. in c. non dicatis. q. 1.

Nigr. cõm reg. 37. comm. n. 1

8 Iam vero audiamus eos ſiue Ordines, ſiue magiſtros Religioſorum, qui non ſeruantibus hanc [illegible] ſalutarem, vel pœnas comminati ſũt; vel [illegible]nt, vel imponi mandarunt, vt ſaltem for[illegible]æ, ſi nõ virtutis amore ſeruaretur. S. A[illegible]s violatoribus, pœnas vel à presbytero [illegible]poſito graues inferri: Clerici T[illegible]ti-ni [illegible]greſſores Præpoſiti arbitrio multari: Minimi Fratres S. Franciſci de Pau[illegible]iri acriter à Superiore iubent, vt ex eorum verbis ſuperius

S. Baſil. ep. 55. ad S. Ambr. Dei munus, eique refert acceptum his verbis: *Magna ſemper & multa quidem ſunt Domini noſtri dona; quorum neque magnitudo menſurabilis, neque multitudo numerabilis eſt. Vnum vero, quod inter maxima reputari poteſt ab iis, qui non difficili beneficiorum Dei in ſe collatorum ſenſu tanguntur, præſens, hoc eſt quod quam longiſſime propter locorum diſtantiam ſeiunctis, per litterarum alloquium mutuo coaleſcere dedit.* Et ſubdit largitum eſſe nobis illum duplicem cognoſcendi modum, quem paulo

B. Alchuu. ep. 66. ad Aquilan. ante expoſui. Beatus quoque Alchuuinus in Deũ refert idem donum cum ait: *Hoc dedit Deus abſentibus in ſolatium, vt per chartas loqui potuiſſent, & & neceſſaria proferre in cor alterius.* Vtramque ad-

Diod. Sic. l. 12. bibli. mirabilitatem Diodorus Siculus notauit in ſua bibliotheca, ſic ſcribens: *Quos longiſſima procul terrarum interualla ſeparatos tenent, hi litterarum ſeſe mutuis velut internuntiis ſalutant, viſuntque: cum abſentibus amicis tamquam præſenti conſuetudine mutuis colloquiis perfruuntur.*

Cautiones adhibitæ ſcriptioni litterarum à magiſtris religioſis. Cap. II.

Sup. n. 1. 4 QVONIAM, vt ſignificatum eſt tractatus initio, tam vtile hominibus ac propemodum neceſſarium inuentum ac Dei munus, vt alia multa generis eiuſdem, mortalium improbitate malum in finem ac pernicioſum vſum detorqueri poteſt ac ſolet: idcirco familiarum religioſarum conditores, regularum aſceticarum ſcriptores, magiſtri ac moderatores monaſteriorum, non quidem penitus vſum epiſtolarum interdixerunt ſuis, ſed multas variaſq. cautiones ac moderationes præſcripſerunt. Omnium enim fere lex eſt, vt neque ſcribere litte-

ras,

ras, neque mittere, neque accipere, legere, reſignare, niſi Maiorum permiſſu licitum ſit. Alij ſtatuerunt, vt ante ſcriptionem, ſcribendi facultas peteretur. Quidam grauiter iuſſerunt à ſuperioribus legi litteras & mittendas & acceptas. Nonnulli declararunt nomine litterarum intelligi genus quodcumque epiſtoliorum, & ſchedularum, quibus aliquid nuntiatur. Multi pœnas adiecerunt violatoribus huiuſmodi regularum. Non defuerunt, qui violationem ipſam legis huius, tamquam grauis momenti culpam Superiori remittendam reſeruarunt. Et ſane ab antiquis adeo temporibus ducta lex eſt, vt eius primus lator & conditor minime reperiatur, vnde licet opinari, ad primos Religioſorum duces, apoſtolicis florentes temporibus, eam eſſe referendam. Acceptionem litterarum reperio vetitam à Sancto Baſilio primario inter Græcos magiſtro monachorum. Refert eius verba Smaragdus vetus interpres regulę Sancti Benedicti, quę ſunt hęc: *Munus quodlibet, ſeu epiſtolas nemo monachus accipiat, nec dare ſine iuſſione Abbatis cuiquam præſumat.* Hæc extrema verba, non modo ad munerum dationem, ſed etiam ad litterarum referri poſſunt: proinde non acceptionem modo, ſed etiam miſſionem epiſtolarum vetitam à Baſilio exiſtimandum eſt. Præſertim cum alij Græcorum monachorum magiſtri, qui Baſilianæ regulæ obſeruatores erant, miſſionem litterarum prohibuerint. Beatus Eſaias Abbas inſtituens monachum vna cum alijs habitantem, inter alia multa præcepta illi obſeruanda, hoc habet in rem noſtram: *Si cũ patre, aut fratre tuo habitas* (ſpiritualem cape) *ne ineas clam amicitiam cum aliquo; neque occulte litteras ad aliquem ſcribas, quòd eos, quibus cum viuis velis ignorare, alioquin & te ipſum, & illos perdes.* Ioanni quoque

S. Baſil. apud Smar. in c.54. reg S.Ben.

B.Eſa.or.5

quoque Damaſceno monaſticam vitam inchoāti, magiſter eius ſpiritualis, cum ei præcepta quædā tamquam prima principia, & axiomata religioſæ philoſophiæ traderet, miſſionem epiſtolarum expreſſe prohibuit dicēs: *Ne ad quemquam epiſtolam miſeris.*

Io. patr. in vita Damaſc. c. 17.

5 Inter Latinos Ordinum fundatores & formatores S. Auguſtinus primo loco concluſionem noſtram probat, cū in regula ita grauiter loquitur, vt eius verba fuerint a Gratiano in ius commune relata, tāquam lex Eccleſiaſtica. *Quicumq. autem in tātum fuerit progreſſus malū, vt occulte ab aliquo litteras, vel quodlibet munus acceperit, ſi hoc vltro cōfitetur, parcatur ei, & oretur pro eo; ſi autem deprehēditur & conuincitur, ſecundū arbitrium presbyteri, vel præpoſiti grauius emendetur.* In hoc decreto explanando Archidiaconus celeberrimus Canonum interpres aſſerit non licere monachis & canonicis regularibus litteras priuatas accipere ſine permiſſu ſuperiorū. Et quāuis Auguſtinus hic non loquatur, niſi de acceptione litterarū; tamen Martinus Nauarrus intelligit decretū extenſum etiā ad miſſionē earumdē, tum in cōmentario de regularibus, tū in conſilijs ad quæſita Cartuſianorum reſpondens, quos eadē lege obligatos ponit. Nauarrū in extenſione legis ad mittentes etiam, ſequitur Seruatius Ordinis Præmonſtratenſis in expoſitione regulæ S. Auguſtini, & alij communiter. Poſt S. Auguſtinum illuxit Eccleſiæ S. Benedictus innumerabilium monachorum parens, qui miſſionem & acceptionem grauiſſime vetuit in ſua regula, cū ait: *Nullatenus liceat monacho, neq; à parentibus ſuis, neq. à quoquam hominū, nec ſibi inuicem litteras, aut eulogias, vel quælibet munuſcula accipere, aut dare ſine præcepto Abbatis ſui.* S. Benedicti doctrina eruditus S. Iſidorus Hiſpalenſis vtramque actionē ſuis inter-

S. Aug. in reg. c. 14.

c. non dicatis 12. q. 1.

Archid. c. non dicatis. 12. q. 1.

Nau. com. 2. de regul. n. 13. conſ. 75. de regul. n. 43.

Seruat. optices. ſpec. 29.

S. Ben. in reg. c. 14.

S. Iſid. in reg. c. 23.

interdixit his verbis in regula. *Neque ſine iuſſu Abbatis, quiſquam accipere epiſtolam, vel dare cuiquam præſumat*. Ex eadem ſchola puto fuiſſe S. Fructuoſum epiſcopum, qui ſcripſit in ſua regula, cuius particulam Ioannes Trithemius refert; *Munus deniq. quodlibet, ſiue epiſtolas, nemo monachus accipiat*. Nec vero putetur hæc lex poſt illa ſæcula aurea fuiſſe a[illegible]ta, & in deſuetudinem abijſſe. Nam S.Be[illegible] ſeruabatur vigebatque in congregatione Ciſtercienſi, quę militabat ſub vexillo eiuſdem Benedicti. Teſtificatur id ipſe Bernardus in epiſtola præfixa tractatui de præcepto & diſpenſatione clariſſimis hiſce verbis *Monachi enim ſunt, & ex lege ſuæ regulæ ſine nutu ſui abbatis, ſicut dare, ita & accipere datas prohibentur epiſtolas. Nam & ob hoc maxime diu, ſicut ſcitis, multum rogatus ab eis, reſpondere tardaui; quod, vt mihi videbatur, ignorante abbate, ſcribere illas epiſtolas & mittere præſumpſiſſent*. Ex codice quodam Vaticanæ bibliothecæ Cardinalis Baronius tranſcripſit epiſtolam Simonis prioris de Monte Dei, qui vna cum Bernardo de Corilo monacho nuntius Apoſtolicus miſſus fuerat ad Angliæ regem. Hic Simon poſt narrationem eorum, quæ geſta erant, hæc ad Alexandrum III. Pontificem ſcribit. *Rogatus frater Bernardus, ſicut nos, vt negotij seriẽ vobis ſcriberet, reſpondit, quod in Ordine ſuo inhibitũ eſt, ne quis fratrum pro aliquo negotio, vobis, vel alijs ſcribat; ſed dicturum ſe ſpopondit corã Nuntio veſtro*. Apparet hinc Bernardum obediuiſſe Papę in proficiſcendo: vtrumq. vero in ſcribendo, quod Pontifex fortaſſe minime ſpeciatim præceperat, Ordini paruiſſe; qui de non ſcribẽdis litteris decretũ habebat. In B. Patris veſtigijs hærẽt Caſinẽſes, Camaldulẽſes, Cęleſtini, Ciſtercienſes, & alij eiuſdem diſcipuli noſtri ſæculi, vt manifeſtum fiet paulo poſt, vbi de pœnis agemus.

S.Fructuo. in reg. apud Trith. tr. de propriet. mon c.5. §.5.

S.Bern. ep. ad abb. Columb.

Card. Baron. t. 12. an. 1160.

6 Poſt

6 Poſt annum à Saluatoris aduentu milleſimũ, religioſi Ordines, quos Eccleſia peperit, legem eandem amplexi ſunt, tamquam valde ſalutarẽ. Hinc monachi Cartuſiani ſic ſtatuunt: *Nulla perſona Ordinis noſtri, præter priores & procuratores, ſigillum, vel ſignum habeat, ad ſigillandum; aut litteras, ſeu qualibet munuſcula dirigat, vel recipiat, niſi prius licentiam habuerit à Preſidente. Prior autem omnes litteras aperiat & legat; tam eas, quas ſui monachi, vel conuerſi mittunt, quam eas, quas recipiunt.* Fratres de Monte Carmelo in hæc verba legem ſanciunt: *Nulli Fratres mittant litteras aliquo, niſi prius videantur à ſuis prælatis, & licentiam ab eiſdem habeant recipiendi litteras, vel mittendi.* Congregatio diſcalceatorum S. Eliæ ſub eadem regula: *Litteras ſine Superioris eas partim ſaltem lecturi conceſſu, nec mittant, nec recipiant,* Prædicatorum cõſtitutiones inter culpas graues ponunt hęc verba: *Si quis litteras alicui miſerit, vel ſibi miſſas legerit, quas primitus ſuo præſidenti non oſtenderit.* Vnde colliges in illo Ordine legem hanc, de qua diſſerimus, fuiſſe receptam. S. Bonauentura in ſpeculo diſciplinæ ſcriptum item reliquit: *Sic ne litteras ad ſe miſſas recipiant, aut aliquo caſu acceptas aperiant, &c.* Huius ductu magiſtri, vt ego arbitror Fratres Minores Capucini inter conſtitutiones anno 1536. ſcriptas, quas regulæ S. Franciſci ſepimenta nominant, hanc locarunt: *Atque ad euitanda incommoda, quæ exiſtere poſſunt; mandatur, vt nemo Fratrum, iuuenum præſertim, mittat, aut recipiat litteras ſine licentia ſui prælati.* Quam conſtitutionem obſeruant hoc tempore, quo hæc litteris mando. Benedictus XII. in conſtitutionibus collectis pro Fratribus Minoribus poſuerat in nouitiorum & iuuenum Informatione: *Nec litteras mittant, nec recipiant, ſine ſui magiſtri ſpeciali*

Cartuſ. p. 2 ſtat. c. 24. n. 17.

Carmelit. conſt. p. 1. c. 23. §. 5.

Congr. diſcalc. S. Eliæ. p. 1. conſt. c. 1. §. 7.

Prædic. cõſtit. diſt. 1. c. 17.

S. Bon. p. 1. ſpec. diſcipl. p. 1. c. 4.

Capuc. cõſtit. c. 10.

Bene. XII. cap. 3. conſtit. pro Fratrib. Minorib.

li

ſi licentia. Et pro certo habendum eſt, voluiſſe Pontificem ita informari nouitios, vt eum morem profeſſi retinerent. Clerici regulares Theatini: *Nemo litteras, munera, ſeu quid aliud cuiuſque generis mittere, vel recipere audeat, ſine ſuperioris licentia. Qui ſecus fecerit, arbitrio ſui præpoſiti puniatur.* Clerici regulares S. Pauli conſtitutionem hanc habent: *Nemo litteras ad aliquem det, aut ab alio acceptas aperiat, antequam eas Superiori oſtenderit: & qui reddendas accipit, prius ad Superiorem afferat, quàm ei reddat, ad quem datæ ſunt.* Poſſem alias congregationes religioſas recenſere, quæ idem ſtatuerunt, ſed eas in decurſu tractationis producam, & harũ rerum ſtudioſus in earum conſtitutionibus legendis hanc legem inueniet.

Cler. regu. p. 3. conſt. c. 9.

Cler. regu. S. Pauli l. 2 conſt. c. 1.

7 Et quoniam dixeram non deeſſe Ordines, qui requirunt a ſuis, vt antequàm ſcribant, facultatem ſcribendi petant; ideo mihi hoc in præſentia probandum eſt. S. Bernardi æuo, qui ſub regula S. Benedicti viuebat, id vſitatum inter monachos intelligimus ex eius verbis in epiſtola relata, ad Abbatem Columbenſem ſcripta, vbi reprehendit, qui epiſtolas præſumpſiſſent, non modo mittere, ſed etiam ſcribere. Quod etiam innuitur in epiſtola Prioris de Mõte Dei. Caſinens monachi clariſsime loquuntur, cum ſic decernunt: *Si qua vtili & honeſta cauſa volunt Fratres ſcribere litteras, habita prius ſcribendi licentia, ſcribant. Deinde litteras apertas deferant Prælatis; quas mandamus ab ipſis prælatis legi, ſubſcribi, & ſignari. Similiter & qui ipſas recipiunt, antequam ipſas legant, clauſas præſentent Prælato ſuo; quas volumus omnino & iubemus prælatum legere: vel eo abſente, vices eius gerentem: & ſi videbitur ſibi, Fratribus, quibus directæ ſunt, reddat.* Simillima huic ſtatuto Caſinenſium, eſt noſtrę Societatis conſtitutio in regulas ſummarij relata:

Sup. n. 5.

Caſin. in c. 54. reg. S. Ben. §. 3.

P. 3. c. 1. B. Sum. reg. 39.

Mon. Môtiſol. in c. 54. regulæ. lata. Monachi Montis oliueti ſimiliter fere ſtatuunt. *Nemo ex monaſterij profeſſis poſſit ſcribere, aut litteras accipere abſque licentia Abbatis: cui oſtendenda erunt, tam ea, quas monachus ſcribat, quã illa, quæ ipſi ſcribuntur: quas aperire nequeat, ſed eas omnino Abbas aperiat, ſub priuatione vocis actiuæ & paſſiuæ per annum*. Liquido vetant ſcriptionem non impetrata poteſtate ſcribendi: quod confirmatur ex eo, quòd inſuper iubent ſcriptas oſtendi ſuperiori. Cęleſtini monachi ſub duce Benedicto pariter militantes, in conſtitutionibus hęc habẽt: *Praterea litteras dare, aut accipere nullo modo præſumant; niſi de Superiorum licentia. Qui quidem ſuperiores nihilominus litteras ipſas prius aperiant & legant, antequam eas conſignent, vel mittant. Dare litteras* interpretor *ſcribere*, fretus conſtitutione ac more Caſinenſium & monachorum Montisolineti, qui expreſse ſcribendi facultatem peti iubent. Cumque Cęleſtini ſint ex eadem S. Benedicti ſanctiſsima ſchola, & in alijs ſtatutis cum Caſinenſibus plane conueniant, non improbabile videri poteſt, eos ſequi morem eumdem; & ſenſum quoque eumdem in eo verbo latere. Iubentur eandem facultatem ſcribendi petere Canonici regulares S. Saluatoris ſub regula S. Auguſtini, per hęc verba: *Multo magis Fratres Ordinis noſtri prohibentur ſine licentia ſui ſuperioris ſcribere, atque etiam alienas litteras perferre, aut referre, etiam Fratribus noſtri Ordinis*. In correctorio Fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula hęc habentur: *Reliqui autem Fratres & Oblati, qui abſque ſui ſuperioris licentia, alijs eiuſdem Ordinis Fratribus, aut oblatis ſcripſerint, per ipſum ſuperiorem acriter puniantur*. Accedunt Clerici regulares S. Pauli: *Nullas*, inquiũt, *accipiant epiſtolas, niſi quas prius viderit Pater, neque ſcribant eas, niſi prius eius rei facta ſibi poteſtate*, mox

Mon. Cæleſt. tr. 1. conſt. c. 11. §. 2.

Can. S. Saluat. c. 14. conſt. §. 4.

Corrector. Minim. c. 10. §. 107.

Cle. S. Pauli in inſtr. nouit. c. 6.

mox exaratas eidem oſtendant. Monialibus quoq. in quinƈta Synodo Mediolanenſi ſub S. Carolo preſcribitur,ne ſine conceſſu Pręfectę ſcribant litteras, quæ ſcribendi neceſſitatem exquirat. Capite quarto referam eos, qui ſuperiores cœnobiorum, non ſolum dare facultatem ſcribendi, aut reſignare litteras in monaſterium illatas, ſed accurate legere iuſſerunt. Nomine vero litterarũ, ſeu epiſtolarum, Prædicatorum Ordinem ſapientiſſimum reperio bis declaraſſe genus omne litterarum intelligi. Primum quidem in conuentu generali Pariſijs anno 1243. his verbis: *Fratres non mittant litteras, etiam non ſigillatas, nec recipiant ſine licentia ſui Prælati*. Deinde Treueris an. 1289. *Inhibemus diſtricte, ne Fratres litteras, vel cedulas, vel alia quæcumque memorialia legant, vel trãſmittant, vel ſibi tranſmiſſa aperiant, ſine eorum Superiorum inſpectione, vel licentia ſpeciali*. Nititur hęc declaratio iure communi in c. non dicatis. 12. q. 1. quod explanans Cardin. Turrecremata, interpretatur litteras iuxta Hugonem, *Quaſcumque*. Idcirco Claudius Aquauiua præpoſitus generalis mei Ordinis declarauit nomine litterarum capi etiam ſyngraphas ſiue apertas, ſiue clauſas, ſchedulas & memorialia, vt docui commentario regulæ 37. communium.

Conc. V. prou. Mediol. p. 1. 5. de monial.
Infra n. 21
Prædic. conſt. d. 1. c. 17.
Turrec. in c. non dicatis. q. 1.
Nigr. cõm reg. 37. comm. n. 1

8 Iam vero audiamus eos ſiue Ordines, ſiue magiſtros Religioſorum, qui non ſeruantibus hanc legem ſalutarem, vel pœnas comminati sũt; vel definierunt, vel imponi mandarunt, vt ſaltem formidine pœnæ, ſi nõ virtutis amore ſeruaretur. S. Auguſtinus violatoribus, pœnas vel à presbytero, vel a præpoſito graues inferri: Clerici Theatini tranſgreſſores Præpoſiti arbitrio multari: Minimi Fratres S. Franciſci de Paula puniri acriter à Superiore iubent, vt ex eorum verbis ſuperius

Sup. n. 5. 6. 7. tranſcriptis habuimus. Atque vt ad antiquiores redeamus, Smaragdus ſancti cuiuſdam doctoris verba refert, quem Baſilium eſſe reor: *Qui vero litteras, vel munuſcula cuiuſquam accipere præſumpſerit; ſi non ſtatim à quo accepit, & quæ accepit publicauerit, diſtrictioni ſeueriſſimæ ſubiacebit.* Inter opera eiuſdem Baſilij, Græcus auctor anonymus extat, qui pœnas monachorum collegit; inter quas illa eſt: *Si quis inuentus fuerit ſcribens, vel accipiens litteras excepto Archimandrita, ſit excommunicatus.* Caſſianus inter delicta, quæ ſpirituali animaduerſione caſtigabantur in illis monaſterijs, ponit: *Si epiſtolam cuiuſcumque ſuſcipere, ſi ſcribere ſine Abbate tentauerit.* Sanctus Iſidorus inter delicta, quæ triduana excommunicatione ſunt emendanda, refert quod committitur ab eo, *qui occulte ab aliquo litteras, vel quodlibet munus acceperit, vel epiſtolam ſuſcipiens ſine Abbatis conſenſu reſcripſerit.* Quibus locis non Eccleſiaſtica excommunicatio intelligenda eſt, ſed monaſtica multo leuior, quæ ſeparationem quandam ab aliorum ſodalium conuictu ſignificabat, vt explicauimus in aſcetico commentario communium regularum. Regula monacharum, quæ nomine Sancti Hieronymi notata excuditur primum legem ſtatuit his verbis: *Adhibeatur ſumma diligentia, vt extra cœnobij limites, littera qualiſcumq. non exeat, niſi Abbatiſſæ & ſororum acceſſerint vota.* Deinde pœna[illegible] addit minas dicens: *Et ſi opus eſt, & grauita[illegible], ad ſit epiſco[illegible]lis licentia, ſeu ſacerdotu[illegible] Grauiſſim[illegible] ſubiaceat, quæcumq. huius[illegible]erit rea.* [illegible] ſecuti ſunt recentio[illegible]nes, & [illegible]es. Prædicatorum famil[illegible] in conuentu [illegible] Pariſijs anno 1264. celebrato, decretum hoc addidit conſtitutioni: *Fratres, qui miſe*

Smar. in c. 54. reg. S. Ben.

Auct. anonym. in pœnis. n. 48.

Caſſ. l. 4. c. 16.

Iſid. reg. c. 17.

Ad reg. 16. com. n. 16.

S. Hier. reg Monacha. c. 20.

Prædic. conſt. d. 1. c. 17. d.

runt, vel in poſterum miſerint litteras, vel memorialia non oſtenſa Prælato ſuo, vel ſibi miſſa legerint, niſi prius habita licentia, grauius puniantur. Vbi notabile eſt illud pœnam nominatim ad præteritum tẽpus extẽdi. Monachi Cæleſtini alio in loco cauẽt, ne quis de loco ad locum proficiſcens alteri litteras deferat, neq. ipſe faciat ſine licẽtia ſui Prioris. Tum hæc adijciunt: *Contrafacientes vero, tam dantes, quam accipientes, ſubditi vno die in capitulo diſciplinam recipiant, & comedant ad pedes Fratrum in terra.* Definiunt quoque pœnas monachi Caſinonſes per hæc verba: *Fratres qui ſine licentia Prælati ſui ſcripſerint, aut litteras ad ſe directas legerint, quoties contrauenerint, toties ieiunent in pane & aqua in refectorio, nec aliter diſpenſari poſſint.* Grauiores pœnas infligunt Camaldulenſes mittentibus litteras extra monaſterium, aut allatas legentibus, ſeu aperientibus antequam Prælato legendæ fuerint exhibitæ. Recenſentur his verbis: *Sub pœna prima vice ieiunandi ſemel pane & aqua in medio refectorio: ſecunda vero vice manendi in carcere per menſem: & ſic deinceps multiplicetur pœna ad arbitrium Prælati & Generalis.* Refert in Optica ſua Seruatius à Franciſco de Longoprato Generali Ordinis Præmonſtratenſis decretum laudatiſſimum fuiſſe vniuerſo Ordini præſcriptum, regulæ Sancti Auguſtini conforme tenoris huius: *Nullus litteras mittere, vel recipere, vel quidquam a parentibus, vel amicis recipere ſine Prælati licentia audeat; alioqui vt votifragus puniatur.* Verum Camillus de Lellis inſtitutor familiæ Religioſæ clericorũ, qui miniſtrant ægrotis, non eſt comminatus, ſed exercuit pœnas in regulæ huius violatores. Nam, vt in eius vita tradit Sanctius Cicatellus, eiecit aliquando ex Ordine quoſdam è ſuis, qui litteras acceperant ſine facultate Maiorum.

Cæleſt. mon. c. 19. conſt. p. 14

Caſi. mon. ad reg. 54. §. 7.

Camald. l. 1. conſt. c. 25.

Seruat. opticę mand. 59. ſpec. 89 inſtr. 30

9 Ex hac pœnarum multitudine ac grauitate infero, non modo exiſtimatam magni momenti legem hanc à præpoſitis Ordinum, qui eas vel definierunt, vel comminati ſunt; ſed etiam in violatione, ipſius legis culpam aliquam fuiſſe deprehēſam. Nam culpam præſupponit pœna, vt ex multis doctoribus probat Iacobus Menochius iuriſcōſultus clariſſimus; & eſt omnium communis ſenſus culpæ pœnam deberi. Grauiſſima Sancti Auguſtini verba *Tantum malum* appellantis furtiuā litterarum acceptionem, arguunt eſſe culpam.

Menoch. lib. 2. de vid. arbitr. caſ. 185. n. 4.

Accedit graue iudicium in explanatione regulæ Auguſtinianæ, Vmberti Magiſtri quondā vniuerſi Ordinis Prædicatorum, cuius verba Ioannes Cardinalis à Turrecremata in commentarium regulæ S. Benedicti tranſtulit. *Notandum vero,* inquiunt ambo, *quòd accipere litteras homini, cuius voluntas eſt in alterius poteſtate, eſt culpa non modica, licet quidā non magni hoc faciant. In vitijs enim ſpiritualibus, cum res vſque ad manum venit, reputantur illa eſſe in ſummo gradu, vt apparet in ira.* Hactenus illi; qui, vt ego reor, exiſtimabant ea lege teneri atque obligari Religioſos, non ſolum quià præſcripta eſt ab Auguſtino, ſed quia relata in canones, facta eſt lex Eccleſiaſtica, in c. Non dicatis: Hunc canonem Præpoſitus, Archidiaconus, Geminianus, Innocentius, Turrecremata & alij reſtringunt ad ſubiectam materiam de paupertate & proprietate, quam tractat eo loco Gratianus, definientes, non licere per eum canonem Religioſis accipere litteras, quæ continent propriam vtilitatem; licere, quæ publicam monaſterij, in caſib. à iure permiſſis. Quas litteras continentes vtilitatem monaſterij; Felinus vellet oſtendi quoque ſuperiori; niſi forte, qui recipit, curam gereret temporalium rerum monaſterij. Verum Oſtienſis

Vmb. c. 103. in c. 14. reg. S. Aug. Turrec. tr. 120. in c. 54. reg. S. Ben.

c. non dicatis 12. q. 1. Præpoſ. Archid. Gemin. Turrecr. c. non dicatis. Innoc. c. cum l. & A. de ſent. & re iud. Felin. c. cū l. & A. de ſent. & re

ſis extendit è ſententia ſua canonem extra ſubiectam materiam, ad litteras quoque priuatas, amicabiles, & ſimplices, vt ipſe loquitur; ita vt regulariter nō liceat inſcio Superiore tales litteras accipere, niſi in caſibus expreſſis à iure. Quam ſententiam complexi videntur Panormitanus, Antonius de Butrio & Petrus de Ancharano; & omnium clariſsime Nauarrus duobus in locis, qui canonem explicite trahit ad omnes litteras datas & acceptas cuiuſuis materiæ, & tranſgreſſores quoſcumque Religioſos peccati condemnat, ſi non adſit tacita ſaltem facultas ſuperioris. Nauarrum ſecutus eſt Seruatius Præmonſtratenſis. Porro duplici ex capite deducit culpam Nauarrus. Primū ex voto paupertatis, exiſtimans violari; & ex eo committi quoque furtum: quoniam epiſtola, ſeu charta epiſtolæ, res aliqua eſt pretio æſtimabilis, quæ contrectatur inuito Superiore. Habuit Nauarrus antiquiores magiſtros canoniſtas, quos ſequeretur. Sed prudenter in conſilijs ſuum dictū moderatur, ſi charta ob aureos characteres ſit pretioſa. Thomas Sanchez noſter adhuc temperat Nauarri ſententiam, aſſerens videri contra paupertatem acceptionem litterarum, ſi illæ propter aurum & picturas alium habent vſum pretio æſtimabilem, quàm aliquid nuntiandi: ſcriptione vero violari paupertatem, vel ſi ſine facultate in litteris, quæ mittuntur, facti ſunt ſumptus pretio æſtimabiles: vel ſi papyrus pretio æſtimabilis vane, ſuperflueq. conſumitur in ſcribendo, etiam cum facultate. Alterum fundamentum, quod mihi ſolidius videtur cum eodem Thoma Sanchez, eſt Inobedientia. Violatur enim regula S. Auguſtini, quæ quoſdam Ordines obligat ad peccatum. Preterea, quia hęc regulæ particula facta eſt lex Eccleſię, obligans omnes Religioſos, &

Panorm. Butr. Anchar. in c. cum l. & A. de ſent. & re iudi. Nau. com. 2. de reg. nu. 13. & conſ. 75. de regul. n. 43 Seruat. optice ſpec. 89. inſtr. 2.

Th. Sanch. l. 7. in decal. c. 19. n. 47.

eos potiſſimum, qui eandem inſeruerunt in ſuas conſtitutiones, atque eſt in praxi, vt vidimus in tot congregationibus & familijs religioſis; ideo culpam inducit inobedientiæ in transgreſſores omnes, etiam in illos, quorum conſtitutiones ex natura ſua non obligant ad culpam ullam. Non enim peccatum in his, oritur ex violatione propriæ cõſtitutionis, aut regulæ, ſed ex canone, qui regulæ implicitus eſt. Hinc videas Vmbertum, cuius conſtitutiones non obligant ad culpam, in hac tranſgreſsione culpam agnoſcere. Annumerandi ſunt præcitatis doctoribus peccatum admittentibus, ij Religioſi, qui hanc tranſgreſsionem locant in caſibus reſeruatis, non declarantes qualem tranſgreſsionem ſuperiori reſeruent, mortalem ne, an venialem. Hoc faciunt monachi Caſinenses, qui inter caſus reſeruatos à Gregorio XIII. Pontifice approbatos, ſub numero octauo & decimotertio habent hanc miſsionem & acceptionem litterarum ſine facultate Superiorum, nulla declaratione adiuncta; quod mirum mihi eſt; cum Religioſi communiter, qui hanc culpam reſeruant, declarent à ſe mortalem reſeruari. Accedunt ad hos Ciſtercienſes in Hiſpania, qui, vt perſpicue ſcribit Hieronymus Llamas eius Ordinis in Methodo curationis animarum, ſcriptionem litterarum inſcio Superiore, quamuis manifeſto venialem culpam, illi reſeruant abſoluendam; *ob incommoda*, inquit, *quæ ſequi poſſent.* Quærenti autem quale nam peccatum huius legis violator committat, reſpondeo cum Seruatio, venialem ordinarie; niſi forte ſcriptio & acceptio grauiore ſcelere vitietur; quia tunc ratione grauitatis materię, aut finis, aut alius circumſtantię culpam augentis, poteſt animæ mortem afferre. Præterea intra gyrum venialis noxæ, grauior cen-

Mon. Caſ. in caſib. reſeruat. n. 8. & 13.

Hier. Llamas. meth. curat. animar. c. 7. §. 35.

Seru. opt. ſpec. 89. in pa. 2.

cen-

cenſenda eſt culpa Religioſi, cuius regulæ ad peccatum obligant, ſi violentur: quoniam duplici titulo peccat, & contra regulam Ordinis, & contra legem Eccleſiæ. Quòd ſi litteræ otioſa continerent, triplici capite culpa venialis creſceret, quòd tres, vt ita dicam, malitias, ſeu culpas vno actu inuolueret atque includeret. Pondero hæc, vt lector religioſus accuratior ſit in conſtitutionis & canonis obſeruatione, tametſi letiferam noxam in litteris non agnoſcat: quoniam veniales etiam vitare debemus, præſertim quæ ſunt in eo genere grauiores, ob multa incommoda, quæ religioſę perfectioni obijciunt, vt in tractatu de cura minimorum abunde demonſtratum eſt. Tr. de cur. min. p. 4.

10 Iam vero ſciſcitanti quid in Ordine meo ſit de hac re ſtatutum, reſpondeo, non deflectere deuium à tramite preſſo veſtigijs præſtantiſsimorū Ordinum, quos commemoraui, ac pręcipue caſinenſium, & Prędicatorum: ſi pœnas excipias, quas Societas noſtra nullas definiuit; ſed arbitrio Superiorum imponendas, pro grauitate culpę reliquit. Itaq. quilibet noſtrum, antequam ſcribat, petere debet, atq. impetrare ſcribendi facultatē: litteras ſcriptas Superiori apertas deferre tēpeſtiue: hic eas legere iubetur: vt etiā eas, quę ad nos aliūde ſcribūtur: quas nobis legere, aut aperire, nequaquā fas eſt, niſi cōſenſu Superioris, cui omnes litterę, & ſchedulæ quę domū inferūtur à quocūq. ſunt repræſentādę. Atq. hæc cōmunia ſunt cū alijs Religioſis, vt ex dictis eſt manifeſtū. Tria ſunt nobis peculiaria. Primū, poteſt Superior ob multas occupationes, & ſubditorū multitudinē, cōſtituere virū fidelem, quaſi cenſorē litterarum, quę mittuntur, & recipiūtur; qui gerēs ipſius vices, eas legat, expēdat, ſupprimat, ſi videatur in Domino atque ad Superiorē referat, q̄ legerit grauioris momenti. Reg. 15. Pręp. & Rect.

mẽti. Deinde q̃ litteras ſcribũt, ſcribere debẽt eas Latine, ſi adhuc detineantur in ſtudijs doctrinarũ: quod etiã Eremitanis fratribus præſcripſit ipſorũ Prior generalis Spiritus Vicentinus anno 1582. ceteri vero ſcribere iubentur idiomate cognito ſuperiori, vt legi poſſint; vel certe, qui ſcripſit, fideliter voce ſcriptam epiſtolam interpretetur. Ita faciendum eſſe reſcripſit quartus prępoſitus generalis noſter, conſultus à duabus prouincijs. Poſtremo, vt huius conſtitutionis qualecumque onus patiẽtius & alacrius ſubeatur à ſodalibus noſtris, B. Ignatius parens Religionis iuſſit in aditu Societatis vnicuique perſpicue diſerteq. ſignificari, regulam huiuſmodi extare, atque ab eo eſſe ſeruandam. Nam in compendio quodam conſtitutionũ, quod Examen generale nominatur, & ingredientibus legendum traditur, iubet omnes interrogari, num contenti ſint non communicare cum amicis & conſanguineis, verbo, aut ſcripto; nec litteras accipere, nec ſcribere, niſi aliqua occaſione Superiori aliter videretur: & quandiu domi fuerint, num contenti ſint, vt videantur litteræ omnes, & quæ ipſis ſcribentur, & quas ipſi alij ſcribent, ei cui huiuſmodi munus cõmiſſum eſt, cura relicta, vt eas det, vel non det, quemadmodum in Domino noſtro magis expedire iudicabit. Cum itaque cognitæ regulæ inſtitutoq. Ordinis, ingreſſuri aſſentiantur; & inſuper volenti & conſentienti nulla fiat iniuria, vt iura clamant, poſtea ingreſſi nec queri poſſunt de onere legis, nec detrectare obſeruantiam eius, nec dicere *Non putabam*, ſed ipſi ſibi imputent, quòd tali legi ſe ſcientes volenteſque ſubdiderint; & neceſſitatem in rationem vertant.

11 Hic antequam transgrediar ad tertium caput, noſſe auet lector, quæ cauſæ impulerint Ordinum anteſignanos, priſcoſq. magiſtros Religio-

ſorum

Spir. Vicent. epiſt. ad Ordin. Eremit.

Ex. c. 4. §. 6

L. 1. ver. filij de iniu. L. nemo videtur. ff. de reg. iur. Gloſ. in extr. vn. de pœnis §. nos igitur ver. detinuerint.

ſorum ad hanc legem ſanciēdam tot cautionibus communitam. Ad tria capita reuocari poſſunt: ad commune bonum Religionis; ad ſalutem Religioſi ſcribentis; ad rectam gubernationem ſuperioris. Primum igitur intereſt Religionis vniuerſæ, aut totius cœnobij, vt occurratur ſcandalis & offenſionibus, quæ poſſent euenire ex litteris, vel imprudenter, vel minus religioſe ſcriptis per inconſiderationem Scriptoris. Nam, vt eſt in vulgari prouerbio, plus vident oculi, quàm oculus; & homines plus in alieno negotio vident, quàm in ſuo, vt ſapiēter L. Seneca ſcriptum nobis reliquit. L. Sen. ep. 110. Propterea lectio ac cenſura Superioris, ſiue illius in hac re vicarij, corrigentis peccata imprudentiæ, & irreligioſarum formulatū facit prorſus, vt ſcripta epiſtola ſine vllo periculo ſcandali, aut offenſionis foras exeat, & in manus atque oculos extraneorum perferatur. Quòd ſi, (quod auertat Deus ab omnibus Religioſorum epiſtolis) data opera, per Dæmonis ſuaſionem, aut per deprauatam voluntatem, peccatum aliquod contineret, aut grauioris ſcandali periculum, illico ſupprimi poteſt, & igni, non tabellario dari. Porro nullum ferme peccati genus eſt, ſiue priuatim ipſi ſcriptori, ſiue toti conuentui noxium; ſiue domeſticis, ſiue extraneis incommodum, quod non per litteras Religioſus frigefactus atque à perfectione deſciſcens, aut lapſus moliri queat. Linguam calamus ęquat fœcunditate malorum. Dixi ſecundo loco hanc litterarum inſpectionem referri ad ſalutem ipſius Religioſi litteras exarantis. Nam docetur à Superiore prudenti ac docto rationem ſcribendarum epiſtolarum prudenter ac religioſe: quod in adoleſcente imperito rerum humanarum, & parum experto, quot quantaque pericula ex imprudenti ſcriptione in auctorem epiſtolæ cadant,

per-

perſæpe neceſſarium eſt. Deinde cognito ſtatu ſcri bentis, Superior amans filij ſui, non modo ſalutaribus monitis à malis incœptis conatibuſue damnoſis eum reuocare, periculis eximere præſentibus, & in viam rectam reducere poteſt errantem; ſed etiam ita futuris periculis, & deſtinatis eius occurrere, vt ille, velit nolit, in tuto conſtituatur. Dixi tertio pertinere hanc cenſuram accuratam litterarum ad bonam gubernationem familiæ totius. Etenim maxime neceſſaria eſt in paſtore cognitio ſuarum ouium: cognitio inquam non externi vultus & moris, ſed interiorum affectuum, propenſionum, deſtinatorum, cogitationum, votorũ, vt per interiorem cultum eas traducere poſſit ab imperfecto ſtatu naturæ corruptæ, ad perfectionẽ Religioſo viro conuenientem. In litteris multa produntur, quæ lectorem earum in eam cognitionem manu ducunt. Eſt enim epiſtola quoddam animi ſpeculum, in ea relucet imago mentis: ab eadem produntur arcana pectoris, vt ex antiquis patribus initio tractatus ſignificatũ eſt. Adde quod plurimum iuuat gubernatores cœnobiorum noſſe illa pericula indicata non ſolum, vt arceantur à ſubiectis, ſed etiam, vt remoueantur à communitate, in quam delicta ſubditorum ab iniquis rerum æſtimatoribus retorquentur.

Supra n. 1. comm. as. cet. reg. 38. comm. n. 9

12 At dices, nonne ſatis eſt legere litteras quę ſcribuntur à Religioſis & foras mittũtur, vt Superior intus & in cute ſubiectum agnoſcat, & incommodis occurrat impendentib. & Religioni, & Religioſis? cur litteras quoq. in cœnobium illatas, & ſuis perſcriptas eadẽ legunt diligentia? Reſpõdeo non eſſe ſatis. Nã Religioſi ſpiritu Sancto vacui ſi qui ſunt, non ſcribunt in litteris, quæ Maiorũ ſuorũ oculos ac cẽſuram ſubituræ ſunt, ea quæ latere volunt; ſed in litteris furtiuis, hoc eſt clã exaratis

&

& miſſis extra cœnobium. E litteris, in quibus reſponſa dantur, neceſſaria conſecutione percipiũtur, quæ furtiua manu perſcripta fuerunt: & inde ſæpe intelliguntur dicta, facta, inchoata, quæ nocere potuiſſent. Quidquòd ſine culpa conſenſuue vllius intromittuntur in cęnobia litterę ab improbis hominibus, quibus domeſticorum Religioſorum animi ad defectionem ſolicitantur, & ad peccata prouocantur? Præſtat his obuiam ire periculis, & itur per hanc legem: quoniam lectæ lacerantur hæ peſtilentes epiſtolæ, atq. ad eorum, quibus ſcriptæ fuerant, nares ne odor quidem, aut vt melius loquar, fętor ſinitur peruenire: dummodo fideliter ac tacite Superiori tradantur. Neq. vero ſine ratione iubentur ſubditi petere facultatẽ ſcribendi, ante ſcriptionem. Nam ſapienter admodũ id præſcriptum eſt ab inſtitutoribus religioſarum familiarum. Primum labore leuat interdũ ſuperuacaneo ſcriptorem epiſtolæ Superior. Si. n. iuſtis de cauſis ſibi notis exiſtimauerit epiſtolam ſcriptam non eſſe illi mittendam, cui inſcribitur; ſi iã exarata ſit, fruſtra laboratum eſt, cum ſit conſcindenda. Si facultas petatur ante ſcriptionẽ, non eſt quòd ſcripturus metuat ſe fruſtra laboraturũ: & tẽpus rẽ pretioſiſſimam Religioſis, quod in epiſtolà ſcribenda conſumpturus erat inutiliter, in actionem aliquam fructuoſam impendet. Deinde in facultate ſcribẽdi poſcenda, virtus humilitatis exercetur, qua ſe in ea petitione Maiori ſubmittit, qui poſtulat. Obedientiæ quoque actus expromitur, & in lucrum venit, cum ſcribit epiſtolam permiſſu ſuperioris, non ſua ſponte tantum. Atque huiuſmodi occaſiones virtutum exercendarum ac bene merendi, vel in rebus minimis, viro religioſo perfectionem aucupanti, non ſunt prætermittendæ, ſi diteſcere ſpiritualibus

diuitijs

Tr. de cur. min. p. 6. n. 81. diuitijs breui tempore concupiſcit: vt in tractatu de cura minimorum fuſe demonſtratum eſt. Et ſperandum eſt per hanc ſubmiſſionem & obedientiam, Deum ſcriptioni epiſtolę benignius adfuturum, vt maiore cum fructu proprio & alieno, ac ſi negotia tractentur, meliore cum ſucceſſu ſcribatur. Poſtremo reprimitur cupiditas litteras minus neceſſarias ſcribendi in eo, qui intelligit Superiorem pro illa facultate ſibi eſſe adeundum, & ſuſpicatur negaturum, quod poſtulaturus eſt. Nemo enim prudens tanti emere ſolet, quod parum eſt illi neceſſarium. Quòd vero declarauerint multi Ordines nomine litterarum, omne ſcriptorum genus, ſiue apertum, ſiue obſignatum; ſiue per modum epiſtolæ, ſiue ſyngraphæ aut memorialis conformatum; grauiſſimas rationes huius declarationis faciendæ habuerunt. Fraudibus omnibus occurrendum per eam putauerunt. Non minus in paruis ſchedulis, quàm in magnis epiſtolis includi poſſunt negotiorum vetitorum tractationes, & machinationes pernicioſæ. Adde quòd niſi declaratio hęc emanaſſet, quiuis exiſtimaſſet, litterarum ſolummodo formatarum & obſignatarum tranſmiſſionem & acceptionem eſſe prohibitam: proinde ſchedulis, ſyngraphis, alijſq. eiuſmodi ſcriptis & chartulis negotia vetita, periculoſa, damnoſa peregiſſet. Atque hæc de capite ſecundo ſatis.

†

Vtile interdum ſcribere ac neceſſarium, vtilius parce ſcribere tribus potiſſimum generibus hominum. C A P. III.

13 RELIGIOSIS, vitæ miſtæ præſertim, qui proximos ad æternam vitam promouent, ſcribere litteras non debet eſſe penitus interdictum, quia nonnumquam vtile, immo & neceſſarium erit. Vt enim per ſermonem & colloquium cum ijs eſt agendum, ſic nonnumquam per litteras opus eſt cum ijſdem colloqui, & expedire difficultates in animæ ſalutiſque negotijs exortas. Hæc neceſſitas in ſacerdotibus eſt, qui ſunt proximorum ſaluti procurandæ addicti, non iunioribus, quos incumbere toto pectore in ſtudia decet. Sacerdotes vero, vt nullum negotium quamuis pium expediendum ſuſcipere debent, ſine ſcitu Maiorum; ſic litteras ſine permiſſu eorumdem dare & accipere non queunt. Videmus litteras Ioãnis Auilę valde ſpirituales extortas eſſe ab ipſius calamo per hanc occaſionem, quòd ipſe daret operam ſaluti aliorum; quemadmodum faciunt Religioſi Mendicantes, Clerici omnes regulares, & reliqui vitę contemplatione & actione temperatę. Religioſos antiquos non produco, quoniam notiſſimum eſt interdum ſcripſiſſe litteras pro ſalute aliorum, vt perſpicuum eſt de S. Hieronymo, Auguſtino, Baſilio, Paulino, Gregorio Nazianzeno, Chryſoſtomo, Iſidoro Peluſiota, Gregorio Papa, Theodoro Studita, Petro Damiani, Bernardo, Petro Cluniacenſi, Goffrido Vindocinenſi & alijs eiuſdem bonę notę: qui zelo ſalutis alienę à moderata ſcriptione epiſtolarum minime abſtinuerunt. Quinetiam videtur aliquando Deus miraculis comprobaſſe ſcriptionem

nem epiſtolarum ad animæ ſalutem inſtitutam; quod accidit in epiſtola, qua Sãctus Bernardus reuocare conatus eſt Robertum propinquum ſuum ad Ordinem Ciſtercienſem. Rem mirabilem narrat Guillelmus abbas vitæ ipſius ſcriptor. Copioſius imber defluens è nubibus membranam, in quam Bernardo dictãte excipiebatur epiſtola, nõ madefecit. Vtiliſſimæ ſane fuerunt litteræ illę memoratorum ſanctorum Religioſorum, præceptis vitæ melioris pleniſſimæ: vnde fructum ingentem, non illi modo ad quos erant ſcriptæ, tũc ceperunt, ſed etiam quicumque ſæculis poſterioribus eas legerunt: nec nos eiuſdem vtilitatis expertes ſumus, cum eas luſtramus oculis, & attenta conſideratione animi deguſtamus, earumq. doctrina, & præceptis paſcimur.

Guill.l.1. vitæ. S.Ber c. 11.

14 Secundum incitamẽtum ad ſcribendum eſt neceſsitas reſcribendi, cum prouocamur litteris ad ſcribendum. Nam ſępe litteræ acceptæ reſponſum exigunt adeo, vt charitas violetur, niſi reſpondeatur. Tum interdum recta ratio ſuadet, vt ad vitandam ruſticitatis opinionem, reſpondere litteris cogamur. Vt enim male moratus habetur is, qui amico voce interroganti de re aliqua & ſciſcitanti, reſponſum dat nullum; ſic ruſticus exiſtimabitur ille, qui calamo interrogatus, nihil percontanti reſpondet: cum tamen vita ſpiritualis ac religioſa virtutes morales ſpiritualibus ſubſternat. Sanctus Hieronymus innuit nobis huius vitij fugam, loquens de rudibus illis & primis Italiæ hominibus, quos Caſcos Ennius appellat, qui in dedolatis è ligno codicillis, aut in corticib. arborum, mutuo epiſtolarum alloquia miſſitabãt. *Quanto magis*, inquit, *nos expolito iam artibus Mundo, id non debemus omittere, quod illi ſibi præſtiterunt, apud quos erat cruda ruſticitas, & qui humanitatem*

S.Hier.ep. 42. ad Nicam.

tatem quodam modo neſciebant? Damnatur eadem in reſpondendo taciturnitas à B. Ennodio Ticinenſi Epiſcopo cum ait: *Sicut damnum charitatis eſt, primum cupienti non dedicare ſermonem; ita promulgata ſcriptioni ſilentium reddere, nec amicitia ſua det memoria, nec pudoris.* Eandem ob cauſam Sancti Antonij magni diſcipuli, magiſtrum hortati ſunt, vt Conſtantino Imperatori reſcriberet. *Igitur rogatus ab vniuerſis Fratribus*, inquit Sanctus Athanaſius, *vt Chriſtianos reges ſuis litteris refrigeraret, ne ſcilicet per ſilentium exaſperaretur, ad ſuſceptas litteras conuenientia reſcripſit.* Darius Comes, vt ab Auguſtino reſponſum exprimeret, Chriſti Domini produxit exemplum, qui Abagaro reſponſum non negauit. De hac Saluatoris epiſtola legatur Cardinalis Baronius in primo tomo annalium ab eo, qui plura de illa noſſe cupit.

Ennod. l. 4. ep. 23. ad Domin.

S. Athan. in vita S. Ant.

Aug. ep. 263.

Card. Baron. t. 1. annal. an. 31.

15 Tertium inuitamentum ad ſcribendum, eſt vtilitate miſta neceſſitas ad conſeruandam & augendam, tum amicitiam ſpiritualem cum ſæcularibus, ſiue extraneis; tum fraternam charitatē cum domeſticis, ſeu Religioſis Ordinis eiuſdē. Prima ratio ducitur ex Ariſtotelis doctrina, qui vere ſcripſit amicitias intermiſſione conſuetudinis & ſermonis penitus diſſolui: quæ colloquio contrahuntur inter præſentes & conſeruantur. Verum epiſtolarum viciſsitudo inter abſētes vicem ſubit mutui ſermonis inter præſentes. Hanc ob cauſam Ionatas Machabæus miſit nuncius & epiſtolas Romanis & Spartiatis dicens: *Maluimus mittere ad vos renouare fraternitatem & amicitiam, ne forte alieni efficiamur à vobis. Multa enim tempora tranſierunt, ex quo miſiſtis ad nos:* Et poſt, *Mandauimus itaq. eis, vt veniant etiam ad vos, & reddant vobis epiſtolas noſtras de innouatione fraternitatis noſtræ.* S.

Ar. l. 8. eth. c. 5.

1. Machab. 12. 10.

S. Baſ. ep. 55. ad Ambr. Baſilius hortans S. Ambroſium ad ſcribendum, attingit eandem cauſam. *Et quod dilectionis erga nos fundamentum ieciſti, in ipſam ſtructuram aſſiduitate mutui noſtri alloquij excitare atque prouehere ſtude. Nam hoc pacto ſpiritu poterimus coniuncti eſſe, licet terreſtri habitatione quam longiſſime alter ab altero diſſiti ſimus.* In eadem opinione verſabatur B. Ennodius ſcribens ad amicum: *Aut alitur, aut ſuſtentatur ſcriptione diligentia. Miniſtra affectionis eſt epiſtolaris confabulatio: muta charitas ſimulacrum repræſentat ingrati: depretiat genium ſuum, quæ in vocem non prorumpit amicitia.* In his verbis nomine diligentiæ hic auctor dilectionem expreſſit. Secunda ratio alendæ beneuolentiæ per miſſionem vltro citroque litterarum eſt ex eo, quòd non ſolum inter ſe abſentes loquuntur epiſtolis, ſed etiam quòd in epiſtolis lucet imago abſentis amici, & quodam modo præſentes fiunt, vt docui tractatus initio. Confirmat L. Seneca: *Quòd frequenter mihi ſcribis gratias ago. Nam quo vno modo potes, te mihi oſtendis. Nunquam epiſtolam tuam accipio, vt non protinus vna ſimus. Si imagines nobis amicorum abſentium iucundæ ſunt, quæ memoriam renouant, & deſiderium abſentiæ falſo atque inani ſolatio leuant, quanto iucundiores ſunt litteræ, quæ vera abſentis amici veſtigia, veras notas afferunt? Nam quod in conſpectu dulciſſimum eſt, id amici manus epiſtolæ impreſſa præſtat agnoſcere.* Aſtipulatur Sanctus Ambroſius ad Romulum reſcribens his verbis: *Epiſtolarum genus propterea repertum, vt quidam notis cum abſentibus ſermo ſit, in dubium non venit. Sed fit hoc vſu exemploq. pulchrius, ſi inter parentem ac filios crebra & iucunda alloquia cadantur, vt uere inter diſiunctos corpore quadam imago referatur præſentiæ. His enim officijs adoleſcit amor, ſicut tuis ad me, aut meis ad te augetur litteris.* Congruit

B. Ennod. l. 2. ep. 26. ad Liber.

Sup. n. 3.

L. Sen. ep. 40.

S. Ambr. annot. in 32. Exo.

gruit

gruit cum Sancto Ambroſio maxime in rem noſtram Beatus Alchuuinus ad Aquilam diſſerens de hoc epiſtolarum inuento: *Quatenus mutua charitatis in apicibus ſigna, fraternis obtutibus demonſtrantur, ut fiat animorum in charitate præſentia, ubi eſt corporum, propter longinquitatem locorum abſentia*. Nemo felicius hoc tractat argumentum, quàm S. Hieronymus ad Florentium ſcribens: *Nunc igitur quomodo ualeo, pro me tibi litteras repræſento: & ſi corpore abſens, amore tamen ac ſpiritu uenio, impendio expoſcens, ne naſcentes amicitias, quæ Chriſti glutino cohæſerunt, aut temporis, aut locorum magnitudo diuellat. Quin potius fœderemus eas reciprocis epiſtolis. Illæ inter nos currant, illæ ſibi obuient, illæ nobiſcum loquantur. Non multum perditura erit charitas, ſi tali ſecum ſermone fabulatur.* Tertia ratio nutriendæ amicitiæ atque charitatis in litteris, eſt iucunditas, qua recipientes & legentes oblectant, atque exhilarant. Attigit L. Seneca loco nunc tranſcripto iucunditatem, qua perfluunt amicorum epiſtolæ, tamquam eorum imagines. Expreſſit Sanctus Ignatius Martyr in epiſtola ad Mariam Caſſobolitam dicens, adeo caram eſſe illius epiſtolarum acceptionem, *ut nauigantibus in tempeſtate gratus eſt portus*. Quarta & poſtrema ratio alendę beneuolentiæ eſt amoris demonſtratio, quæ in litteris fit, ex corde tamquam ex abdito prorepens in verba epiſtolarum. Vulgatum eſt apud Senecam, Sanctum Chryſoſtomum & alios, illud amatorium ſine medicamento vllo; *Si uis amari, ama*. Quamobrem vbi quis beneuolentiam alicuius & charitatem ex arcanis cordis manantem videt in litteris, redamat ſcribentem. *Manifeſtum eſt*, inquit Sanctus Auguſtinus, *nullam maiorem eſſe cauſam, qua uel inchoetur, uel augeatur amor, quàm cum amari ſe cognoſcit, qui non-*

B. Alchuu. ep. 104. ad Aquil.

S. Hier. ep. 6. ad Florentium.

S. Igna. ep. 1. ad Mariam.

L. Sen. ep. 9.

S. Chryſ. hom. 13. ad Pop.

Comm. aſcet. reg. 19. comm. n. 9.

S. Aug. l. de catech. rud. c. 4.

dum amat; aut redamari ſe, vel poſſe ſperat, vel iam probat, qui prior amat. Hanc declarationem latentis amoris, in litteris quoque fieri docet Beatus Alchuuinus non illepide, cum ait: *Solet charitas litteris appellare, quos oculis cernere non valet: quia apices chartarum amoris magnitudinem exprimere conantur, vt oculis legatur in ſyllabis, quod videri non poteſt in mentibus.* Et alio in loco non ineleganter, vt illa tempora ferebant: *Solet chartula charitatis calamo perſcripta, inter amicales currere perſonas, vt ardorem ſui pectoris litteris, fraternis oſtendat obtutibus; & quod intus latet in animo, foras videatur in ſcriptis.* Arbitror S. Leandrum tinxiſſe calamum in vaſe ac purpura charitatis huius, cum ſcripſit ad Sanctum Gregorium Papam illam epiſtolam, de qua hæc habet in reſponſione S. Pontifex: *Sanctitatis tuæ ſuſcepi epiſtolam, ſolius charitatis calamo ſcriptam. Ex corde enim lingua tinxerat, quod in charta pagina refundebat. Boni autem ſapienteſque viri, cum legeretur affuerunt; quorum ſtatim viſcera in cōpunctione commota ſunt. Cœpit quiſq. amoris manu in ſuo cor de te rapere: quia in illa epiſtola, tuæ mentis dulcedinem non erat audire, ſed cernere. Accendebantur & mirabantur ſinguli; atq. ipſe ignis audientium demonſtrabat, qui fuerit ardor dicentis. Niſi enim prius in ſe faces ardeant, alios non ſuccendunt. Ibi ergo uidimus, quanta charitate tua mēs arſerit, quæ ſic & alios accendit.* Non deſunt ex recentioribus magiſtris ſpiritus, qui cognouerint hanc vim vtilitatemq. litterarū, ac de illis vltro citroq. ſcribendis prçceperint ad alendam mutuam inter Religioſos charitatem. Mihi nunc occurrunt ſcribenti duo. Alter eſt B. Ignatius Societatis huius minimæ parens, qui in ſuis conſtitutionibus præſcribens rationes conſeruandę vnionis & fraternę charitatis inter ſodales ſuę familię, atq. inter

[Margin notes: B. Alchu. ep. 46. — Id. ep. 105. — S. Greg. l. 7 reg. indict. 2. c. 125. — Par. 8. c. 1. §. 9.]

ter ſuperiores ac ſubditos, ſcripſit magnopere iuuare litterarum vltro citroque miſſarum frequens commercium: nec non crebro certiores facere alios, & audire quæ ad ædificationem in Ordine fiunt. Alter eſt Claudius Aquauiua quintus ab eo propoſitus, qui parentis communis veſtigijs inſiſtens, iuſſit aliquando Superiores facere poteſtatem uiris idoneis binas ternaſue litteras quotānis ſcribendi de rebus ad ædificationem pertinentibus, ad eos præcipue, qui in India, Iaponia, tranſmariniſque regionibus verſantur, *Ad religioſam*, inquit, *inter nos beneuolentiam charitatemque conſeruandam.* Tract. de lect. ſuper menſ. n. 13 Ordin. gener. c. 15. n. 10.

16 Verum auctor ſum Religioſis, vt ſine neceſſitate ac magnis vtilitatibus, de quibus diſputatum eſt, parce ſcribant ac moderate. Vt enim ruſticitas fugienda eſt, vtpote quoddam extremum, nimirū deficiens vitium in amicitia, ſic alterum extremū excedens, intemperantiam ſcilicet ſcribendarum epiſtolarum, toto conatu tamquam ſcopulum ſuadeo vitandum, ad quem multi minus id cogitātes illiſi, naufragium miſerabiliter cum pœnitentia nimis ſera fecerunt. Multæ rationes eæq. non leues Religioſos ab hac intemperantia ſcribendi dehortantur. Primum habemus Chriſti Domini exemplū, à quo ſcriptam vllam epiſtolam non conſtat ex Euangelio. Abagaro Edeſſæ toparchæ prouocatū litteris eius, reſpondiſſe tradidit Euſebius, vt ſignificatū eſt. Deinde cumulus damnorum ex eadem incontinentia ſcriptitandi exiſtit. Primū eſt animæ, quæ in crebritate litterarum ſæpe peccato maculatur. *In multiloquio non deerit peccatum*, pronuntiauit Salomon. Quidni pariter in multa ſcriptione litterarum non deerit peccatum? Eſt enim quædam picta locutio, & tacitus ſermo inter abſentes, vt probatum eſt. Euſ. Cæſar. l. 1. hiſt. Eccl. c. 15. Pro. 10. 19. Sup. n. 2. 3.

Deprehendunt in ea ſæpe peccatum ij, qui poſt multas epiſtolas minime neceſſarias, parum vtiles, penitus officioſas ad aulæ & aulicitmi normã exaratas, huc atque illuc tranſmiſſas, redeunt ad cor per accuratam conſcientiæ diſcuſſionem, diuina gratia prælucente. Longum eſſet enumerare culpas; quæ contrahi poſſunt in hac frequenti ſcriptione. Totidem atque eędem fere ſunt, quæ in multiloquio exiſtere conſueuerunt. Omiſſiones præterea earum functionum, quas ex regula in commune commodum præſtare debet Religioſus: temporis amiſſio, cuius ratio Deo reddenda eſt, ſi Sancto Gregorio Nazianzeno fidem habemus. Vir prudens & expertus alias excogitabit.

S. Gregor. Naz. or. 18 n. 15.

Secundum damnum eſt pecuniarum redundans in cœnobium. Non enim ſolum charta conſumitur, vt Martinus Nauarrus poſt alios obſeruabat probaturus furtiuam ſcriptionem eſſe contra votum paupertatis: ſed etiam tabellarijs eſt ſoluendum vecturæ pretium, tum earum epiſtolarum, quæ mittuntur; tum earum, quæ recipiuntur; cum prouocati meis litteris, mihi reſpondere ſoleant, ne ruſtici, atque inofficioſi videantur. Atque hoc commercium fieri non poteſt ſine diſpendio cenſuum Religionis. Tertium damnum eſt famæ, ſeu boni nominis Religioſorum; qui ſi multum ſcribant, vel expiſcandis, vel referendis ijs, quæ in Mundo geruntur intenti, rumorum ſatores dicuntur, & rumorigeruli, quod nomen maxime Religioſum dedecet ex S. Bonauentura.

Sup. n. 9.

Et tunc turpitudo vitij creſcit, cum falſorum rumorum narratores, vel ex nimia credulitate, vel ex inconſideratione fuiſſe deprehenduntur à ſęcularibus acerrimis animaduerſoribus & caſtigatoribus Religioſorum. Nõ referam hoc loco mala, quæ parit rumorum ſęcularium in clauſtris Religioſis

S. Bon. p. 1. ſpec. p. 5. c. 5.

gioſis narratio, quoniam ea luculenter expoſui commentans regulam trigeſimam ſeptimam cõmunium. Nihil autem refert vtrum verbo & voce, an ſcripto & litteris in cœnobium introducantur; quia vtroq; modo inferunt ſecum ea damna, quæ ibi multa recenſui. Paucitas litterarum, & parcitas ſcribendi hanc excitatam opinionem in ſæcularibus, de nonnullorum Religioſorum prurigine ad diſſeminandos rumores incitante, conſopiet. Si nos abſtineamus à ſcribendo, & illi abſtinebunt ab obloquendo. Com. Acet. reg. 37. comm.

17 Quartum damnum in ipſum Religioſum nimis ſcribentẽ vertitur. Tollitur .n. quies corporis, & interdum ſomnus, cum detrimento valetudinis illi, qui & alios multos amicos prouocat litteris ad ſcribendum, & ipſe, ne minus officioſus putetur, inuitatus cogitur ad reſcribendum. Etſi currente calamo ſcribit, & ingenio minime tardo; tamen fatigatur caput, læditur pectus, pars noctis inſomnis ducitur, totum corpus in multa continuataq. ſcriptione affligitur in ſcribendo. Quid quod magna pars libertatis eidẽ eripitur? Sui iuris non eſt Religioſus per obedientiæ votum viuens ad nutum Superioris: ſed ſi quid illi libertatis relinquitur à Superiore, qui non ſingulis horis ſubditum occupatum detinet, illud perdit, cum reſcribere cogitur, quo tẽpore frui datur illa particula libertatis. Adde quòd animi quietem ſpiritualem acceptæ litteræ ſæpe turbant, & conſopitos effectus excitant, aut fouent; cum in ijs ea nũtiantur & leguntur, quæ diſplicent, & ad perturbandos animos idonea ſunt. Præterea qui reciprocarum litterarum commercium, vt ita dicam, nutrit ſcribendo ac reſpondendo ſine neceſſitate, cor ſuum effundit extra ſe, cum ſemper ſit intẽtus ijs colligendis, quæ ſcribat ad amicos; vel diſtra-

ctus in ijs conſiderandis & referendis, quæ accepit ex litteris aliorum. At quis mediocriter in vita ſpirituali verſatus ignorat, quantum retardet pro-
Cu. 6. n. 32. fectum exire à ſe ipſo? Nam collectionem in ſeipſum præcipiunt magiſtri, vt effuſioni medeantur. Quid quod ſilentium tantopere laudatum à magiſtris perfectionis, præſcriptum in Religionibus, neceſſarium ad mentis collectionem quodam modo violatur? Perparum enim intereſt cũ præſentibus, an cum abſentibus colloquaris. Ad hæc hæ litteræ, Oraturo prçſertim incommodant, ob rerum Mundanarum narrationes, mentem orantis valde diſtrahentes, vt in eodem com-
Ad reg. 37. mentario auctoritate patrum demonſtraui. Has
com. n. 7. ob cauſas iuſſerunt litteras acceptas à Superiore legi veteres nouiq. magiſtri Religionũ, & ſupprimi comburique ſi exiſtimentur nociturç ijs, quibus ſcriptæ ſunt; & prçcipue ſi videantur perturbationem ſpiritualis quietis paritureç, vt inter
Ex. c. 4. §. 6 alios Beatus Ignatius noſter prçſcripſit. Quintum damnum eſt iactura temporis: quç in magnis numeranda eſt. Sanctus Ambroſius: *Non exiguum*
S. Amb. ep. 25. ad Eccl. Vercell. *detrimentum eſt, vel vnius horæ: Et vna hora totius vitæ portio eſt.* Prima cauſa eſt, quia tempus res pretioſiſſima habetur. Sic ſenſerunt ac pronuntiarunt Antiphon, Theophraſtus & alij philoſophi, quorum è numero L. Seneca cenſuit, vnius temporis auaritiam eſſe honeſtam, quæ in pecunijs turpiſſima eſt. Et merito ſummo in pretio habetur à Sapientibus: quia non ſolum eſt, vt modo acute ſignificauit Sanctus Ambroſius, pars vitæ, qua nihil homini pretioſius: ſed etiam pretium æternitatis, ſi ſancte ac laudabiliter expendatur. Altera cauſa eſt, quia, cum omnes homines litterati, & in rebuſp. occupati temporis inopia laborant,

borant, tum vero Religioſis maxima ineſt penuria, ſi multas occupationes eorum ſpectes perfectioni comparandæ neceſſarias. Quamobrem & philoſophi & ſancti patres, quos retuli in tractatu de otio fugiendo fugādoque, muniti ſacræ ſcripturæ teſtimonis clamant vna voce, *Fili conſerua tempus*: & quod percipiebant lingua, præſtabant manu. Pręſertim cum intelligerent cum Seneca, *Hoc vnum eſſe, quod ne gratus quidem reddere poteſt*: cum S. Dorotheo, Aurū vel argentum, ſi perdiderit homo, poſſe tantumdē inueniri, tempus amiſſū recuperari non poſſe. Ne perdatur hoc tempus auro gemmiſq. pretioſius, ſcripſerunt illam legē conditores Religionum, vt antea dixi, quæ iubet ante ſcriptionē epiſtolæ ſcribendi poſtulari facultatem. Sextum damnū eſt impedimentum meliorum ſtudiorū & occupationum: quia quod tēpus datur ſcriptioni litterarū inutilium, eripitur orationi, lectioni, lucubrationi, doctrinæ. Intelligebat hoc damnū S. Auguſtinus, & dolebat: de quo ſic Poſſidius: *Rogatus quoq. à nonnullis in eorum cauſis temporalibus epiſtolas ad diuerſos dabat; ſed hanc ſuam à melioribus rebus occupationem, tanquam angariam deputabat; ſuauem ſemper habens de ijs, quæ Dei ſunt, vel allocutionem, vel collocutionem fraternæ ac domeſticæ familiaritatis*. Si vir ſanctus angariam exiſtimabat ſcriptionem illam, qua cogebatur amic s in eorum cauſis, per commendatitias litteras ſeruire: cur Religioſus non abijciat à ſeſe hoc onus tam graue ſcribendarum litterarum, quæ ſint otioſę atque curioſę? Septimum damnum è ſexto gignitur: amiſſio duplicis lucri, quod faceret Religioſus, niſi tempus melioribus ereptum ſtudijs impenderet in hanc ſæpe damnatam & ſuperuacaneam ſcriptionem. Primus quęſtus eſt litteraturæ ac doctrinarū, in quibus plus proficeret, ſi plus

Tr. 11. in 32. & ſeq.
Eccleſi. 4. 23.
L. Sen. ep. 1.
S. Dorot. ſer. 11.
Supr. n. 7. 12.
Poſſid. c. 19. vitæ S. Aug.

ſi plus temporis eis daret. Ac ſine dubio humanæ diuinæque ſapientiæ theſaurus in eius pectore creuiſſet, qui tempus in occupationes inutiles inſumptum, in eam ingenio deriuaſſet. Alterum lucrum maius quo priuatur, eſt augmentum gratiæ ac meritorum, quibus nobis cæleſtem gloriã comparamus. Otioſa curioſaque ſcriptio peccatum certe veniale eſt; proinde quo tempore in ea verſatur Religioſus, quamuis in gratia Dei ſit, mereri tamen non poteſt per opus natura malũ, cuiuſmodi eſt ſcriptio hæc, quæ vel actus eſt otioſus, vel curioſitatẽ vitioſam pro fine habet. Quòd ſi tempus hoc bono alicui daret operi, & in Deum referret, proculdubio magna fieret acceſſio meritorum ſpiritualibus quæſtibus iam comparatis: quam acceſſionem non lucratur per iſtam ſcriptionem veniali peccato vitiatam, vt luculente docet Franciſcus Soarez. Octauum & poſtremum dãnum, inimicitiarum comparatio. Si litteræ minus caute prudenterque ſcriptæ de rebus alienis, vel oſtendantur ab eo, cui ſunt ſcriptæ: vel intercipiantur ab ijs, qui longas habent manus: vel caſu lapſæ legantur ab homine curioſo (quæ omnia ſunt fere quotidiana) multos poſſunt, & interdũ principes viros offendere, cum de ipſorum dignitate, conſilijs, rebus geſtis minus vere, aut digne loquuntur. Inde fit, vt amicorum beneuolentia, gratia magnatum, opinio prudentiæ ſcriptori pereatur; atque in earum vicem inimicitiæ, odia, & alia incommoda ſuccedant. Cum enim tam fecunda malorum ſit lingua loquendo, totidem eſt manus ſcribendo, & eo magis, quòd epiſtola ſcripta longius & latius ſpargitur, diutiuſque conſeruatur, quàm locutio. Voces quidem ore prolatæ, & ſi ſunt irreuocabiles, ac ſemel emiſſæ reuerti neſciunt, vt quidam ſæculi ſapiens dixit, tamen euolant,

Fr. Soar. t. 3. de Gratia. l. 12. c. 4. n. 6. & ſeq.

euolant, & cum ſono euaneſcunt. At inſcriptæ chartis, extant, apparent, tandiu perdurant, quan diu charta conſeruatur: & tacitæ ſunt teſtes cogitatorum noſtrorum (niſi forte penitus diſpereat) quamuis earum nos obliuiſcamur. Propterea monebat Plato tam ſæpe, vt quę nollemus, ab alijs ſciri, ne litteris mandaremus, quia *ſcriptorum monumenta conſtanter perdurant*. Expreſſit Platonis ſententiam Clemẽs Alexandrinus his verbis, quę ipſius eſſe dicit: *Hæc ergo conſiderans, caue ne te aliquando pœniteat eorum, quæ nunc indigne exciderũt. Maxima autem cautio eſt, non ſcribere, ſed diſcere. Non poteſt enim, non poteſt fieri, vt quæ ſcripta ſunt, non excidant.* Hæc Plato; qui de diſputationibus de Deo non ſcribendis loquebatur. Verum in rem noſtram monitum apte cadit: maxima cautio eſt, non modo Religioſo, ſed etiam cuique mortalium litteras exaraturo, non ſcribere, quæ nocitura ſunt ſcriptori, ſed intra pectus calamumque incluſa continere.

Hor. in po et & l. 1. ep 2. ad Lolli.

Plato. ep. 2 & 7.

Cl. Alex. l. 5. ſtrom.

18 Fateor equidem abſtinentiam & parcitatẽ litterarum laudabilem eſſe, neceſſitate non vrgente, cum omnibus, ſiue ſodalibus, ſiue externis: ſed laudabiliorem eſſe pronuntio cum tribus hominũ generibus, à quibus in Religioſos damna non leuia redundare poſſunt. Hi ſunt, Principes, Conſanguinei, Mulieres. Ac primo quidem viris principibus, ſiue laicis, ſiue Eccleſiaſticis decet Religioſum eſſe parcum in ſcribendo, citra neceſſitatem veram. Prima ratio retrahens Religioſum à ſcriptione hac eſt, quia per viciſſitudinem litterarum officioſarum cum magnatibus familiaritas contrahitur, quæ aditus eſt ad eorum gratiam, & aulicismum; quem omnes magiſtri ſpiritus docent, ſuadent, clamant eſſe fugiendũ nobis. Aulicismum appello propenſionem ad aulas

aulas & palatia magnatum frequentanda. Quòd ſi non ea mente ſcribas, vt te in aulam eorum inſinues, quòd ab ea prorſus abhorreas: certe non facile vitabis apud ipſos principes, & eorum ſecretarios, qui tuas litteras ad principem ſcriptas vidēt officiis plenas, negotijs vacuas, ſuſpicionem affectati aulicismi. Hęc pericula, vt opinor, metuebat & cauebat Petrus Caniſius noſter in Germania magnus catholicę fidei defenſor, de quo ſic tradit Franciſcus Sacchinus in eius vita: *Cum eſſet in ſcribendis litteris ſane impiger, tamen ſæpe fuit extimulandus, & tantum non ſeuero præcepto cogendus, vt ad Cardinalem Varmienſem, & Auguſtanū, & alios reſponderet; qui cum ſanctiſſimis eius litteris recrearentur, apud generales Præpoſitos haud ſine querimonia negligentiam accuſabant. In Romana etiam Curia expetebantur litteræ eius: ille tamen ad neminem, niſi voluntate Præpoſiti, ad quem & ipſas mittebat litteras, ſcribendum ſibi putabat: ne dum ambitioſa aucuparetur officia, atque ſuperuacaneis tempus perderet.* Hactenus Sacchinus. Altera ratio reuocans nos ab huiuſmodi commercio eſt periculum inanis gloriæ, quæ titillare ſolet animum Religioſi, dantis & recipientis litteras à Magnatibus, quaſi vero ſit vnus inter alios ſodales illis carus, gratioſus, & ad grauia negotia tractanda idoneus. Contemnebant has vmbras honoris ſancti viri, nec ijs inflabantur. Cōſtantinus imp. eiuſq. liberi Conſtans & Conſtantius, crebro miſſis litteris Antonium quaſi patrem obſecrabāt, vt reciprocis eos litteris hilararet. *At ille*, ſcribit S. Athanaſius, *eiuſmodi manens, qualis & antequam ad eum litteræ venirent, fuerat; nec ſalutatione principum mouebatur; & tamquam non acceptis litteris, monachis conuocatis aiebat, Reges ſæculi ad nos miſerunt epiſtolas: quæ hic Chriſtianis adhibenda miratio eſt?*

Fr. Sacchi. l. 3. vitæ Caniſ.

Caſſiod. l. 1 tripar. hiſt c. 11.

S. Athan. in vita S. Anton.

eſt? Et alia ſubijcit, per quæ intelligamus pluris æſtimandam eſſe Dei legem hominibus à Deo ſcriptam; quam merito & aptiſſima metaphora, ſancti viri Macarius, Auguſtinus, & Gregorius Papa, vt alibi obſeruaui, litteras de patria noſtra miſſas vocauerunt. Addidit quoq. paulo poſt cauſam non reſpondendi, nimirũ aulicorum morũ in ſcientiã dicens: *Quæ monachis eſt ratio, cum epiſtolis regum? cur accipiam litteras, quibus conſueta neſciam reddere ſalutationis officia? rogatu Fratrum uix reſpõdit*. Arſenius ne reſpondit quidem Arcadio imp. diſcipulo quondã ſuo litteris humaniſſimis ſalutãti; quem in hoc admirandum magis, quàm imitãdum puto. Mirabilis fuit in hac re. B. Auguſtini moderatio his narrata verbis à Poſſidio: *Nouimus quoq. eum à ſuis cariſſimis litterarũ interceſſum apud ſæculi poteſtates poſtulatum non dediſſe; dicentem cuiuſdam Sapientis eſſe ſeruandam ſententiam, de qua ſcriptum eſſet, Quòd multa fama ſua contemplatione amicis non praſtitiſſet. Et illud nihilominus ſuum addens, Quoniam plerumque poteſtas, qua præſtat, premit.* Subijcit Poſſidius quo modo ſe gereret, cum ſcribere cogeretur. *Cum vero intercedendum eſſe rogatus videbat, tam id honeſte ac temperate agebat, vt non ſolum oneroſus ac moleſtus non videretur, verum etiam mirabilis extitiſſet*. Addit Poſſidius Macedonij Africæ Vicarij litteras modeſtiam ac prudentiam Auguſtini in petendo laudantes.

Tr. 5. n. 9.

Metaphr. in Arſ. 19. Iul.

Poſſid. c. 20. vitæ S. Aug.

19 Alterum hominum genus, quorum frequentia litterarum & viciſſitudo nocet Religioſis eſt conſanguineorum: inter quos primum locum parentes obtinent. Ratio frequentior damni, eſt perturbatio ſpiritualis quietis, quam S. Ignatius noſter, à Caſſiano in primis edoctus, vt arbitror, ab ijs litteris proficiſci docuit filios ſuos. Perturbant autem pacem & tranquillitatem huiuſmodi

Sup. n. 17.

iuſmodi litteræ: quoniam reuocant in memoriam eos, quorũm deſerendo ſæculum domumq. paternam, obliuiſci cupiebamus. Exſuſcitantur igniculi naturalis amoris, quos odio ſancto conſilijs Euangelicis incluſo, deſiderabamus, eſſe vel reſtinctos penitus, vel certe tepefactos. Affigunt nobis affectus eorum, gaudium in proſperis, mærorem in aduerſis, ſpem, timorem, ſolicitudinem de futuris eorum euentibus, quibus angimur & affligimur. Quid quòd interdum creat in nobis cupiditatem negotiorum ſæcularium in ipſorum commodum tractandorum? Quæ tractatio ſaluis regulis, ſuſcipi non poteſt, neque à ſtrenuis Superioribus, extra neceſſitatem, permittetur: quo fit, vt animus huius Religioſi fluctuet, iacteturque quaſi quodam æſtu tempeſtatis huc atque illuc, qui tranquillitatem illam expulit ex animo, quam optabat, cum inter eos verſabatur, & qua fruebatur, dum litteris huiuſmodi propinquorum caruit, quæ tamquam venti malaciam in tempeſtatem conuerterunt. Hanc perturbationem deſcripſit eleganter Caſſianus, narrans memorabile factum illius monachi, qui conſanguineorum litteras combuſſit: quam operæ pretium exiſtimo hic referre, ne lector tempus inſumat in

Caſſ. l. 5. c. 32. quærendo codice Caſſiani. *Qui cum ei poſt annos quindecim, patris ac matris amicorumque multorum de prouincia Ponti complures epiſtolæ delatæ fuiſſent; accipiens grandem faſciculum litterarum, diuque apud ſemet ipſum voluens, Quantarum, inquit, cogitationum cauſa erit mihi harum lectio, quæ me, vel ad inane gaudium, vel ad triſtitias infructuoſas impellent? Quot diebus eorum recordatione, qui ſcripſerint, intentionem pectoris mei a propoſita contemplatione reuocabunt? Poſt quantum temporis digerenda eſt hæc mentis confuſio, quantoque labore rurſus iſte*

tran-

tranquillitatis reparandus eſt ſtatus, ſi ſemel animus litterarum permotus affectu, eorumque recenſendo ſermones & vultus, quos tantopere dereliquit, iterum eos reuiſero, ipſiſque cohabitare, & animo ac mente cœperit intereſſe? Quos profectò corporaliter deſeruiſſe nil proderit, ſi corde eos incipiat intueri, ac memoriam, quam ſæculo huic renuntians quiſque, velut mortuus abdicauit, reuiuiſcens tandem rurſus admiſerit. Hæc voluens in corde ſuo, non ſolum nullam reſoluere epiſtolam definiuit; ſed ne ipſum quidem faſciculum reſignare; ne ſcilicet eorum, qui ſcripſerant, vel nomina recenſendo, vel vultus recordando à Spiritus ſui intentione ceſſaret. Itaque vt eum conſtrictum ſuſceperat, igni tradidit comburendum: Ite, inquit, cogitationes patriæ, pariter concremamini, ne me vlterius ad illa, quæ fugi, reuocare tentetis. Hæc ille monachus à Caſſiano laudatiſſimus ſecum cogitauit, dixit, fecit. Ab eo B. Ignatius noſter didicit, non modo quæ poſteros ſuos ſcripto, ſed etiam quę docuit exemplo; cum oranti per hiemem, clauſo cubiculo, allatas è Guipuzcoa litteras ianitor feſtine reddidit, ratus gratiſſimas fore, quòd nimirum longo & locorum & temporum interuallo afferrentur. At ille faſciculum, vt erat ligatus, illico in ignem abiecit; re ipſa ianitorem admonēs, qui ſeſe cęleſti militiæ addixerit, huic eſſe mortalia negligenda. Carpit hoc B. Ignatij factum heroicum odio ſtiloq. Caluiniano Simon Lithus Miſenus; vindicat ab eius calumnijs Iacobus Gretſerus obijciens Miſeno monachi priſci memorati factum. Addo ego rem perſimilem à S. Carolo geſtam; qui vim litterarum ad pacem animi turbandam agnouit, & ſimul B. Ignatij factum comprobauit exemplo ſuo, ac Miſenum confutauit. Hic ſanctiſsimus Cardinalis faſciculum litterarũ ab Epiſcopo Saonæ ſcriptarum, quibus, vt aſſerebat

R. ibad. c. 5 vitæ B. Ign

Maff. l. 3. vitæ. c. 1.

Iac. Gret. apol. 1 & 2. pro vita B. Ign. l. 5.

Gluſſ. l. 8. vitæ c. 17.

bat nobilis eques affinis vtriuſq. aperiebãtur ſtru-
ctæ ad eum interficiendum inſidiæ, generoſo ani-
mo, præſente illo cremauit dicens, ſe nolle in
corde ſuo ex earum lectione, quidquam perturba-
tionis exoriri, vnde vel charitas erga non nemi-
nem, vel attentio in miſſa celebranda, cui ſe para-
bat, imminueretur. Idem Beatus Ignatius non
ſolum à legendis acceptis epiſtolis propinquorum
abſtinuit, vt dixi, ſed etiam à ſcribendis ad eoſ-
Ribad.l.5. vitæ c.5. dem. Refert Petrus Ribadeneira ſcripſiſſe ali-
quando ad Ducem Naiaræ verba hæc: *Poſſem ti-
bi cum omni aſſeueratione affirmare, totos decem vn-*
Nic. Codi-gn.l.1.vitæ c. 2. *decimue annos ad nullum ex Loiolea familia, ne litte-
ram quidem me ſcripſiſſe.* Gonzalus Silueria ſuxe-
rat magiſtri ſui doctrinam; qui ad propinquos,
nonniſi Maiorum iuſſu ſcribebat. Æmulatus eſt
eumdem communem parentem Antonius Pinas;
qui cum à germano fratre per ſodalem ſalutare-
tur, ſubridens ait: *Eius ego epiſtolam ab hinc tres
annos accepi, quam etiam nunc obſignatam aſſeruo,
& pro atramentarij operculo commode vtor.* Narra-
tur id in annuis litteris Eborenſis Collegij anno
1608. datis è Luſitania. Secũdum damnum ex pri-
mo iam tractato gignitur, tepor in perfectione
S. Nil. ep. ad Gallũ. adipiſcenda. S. Nilus obiurgans Gallum mona-
chum ſignificat id à ſe fuiſſe animaduerſum, cũ ait:
Quid tibi prodeſt patriam reliquiſſe, & labores vitæ
Act. 7. 39. *monaſticæ ac difficultates perpeti, corde rurſus in Ae-
gyptum conuerſo, & quotidie per litteras cum propin-
quis ac neceſſarijs colloquenti, & à perfectione propter
ſtudium neceſſariorum lapſo?* Quis non experitur
tumultu variorum affectuũ animum in diuerſas
partes diſtrahentium, deſeri neceſſario perfectio-
nis ſtudium ac frigeſcere? Vtrumque damnum,
S. Ben. in reg. c. 54. vt reor, metuebat atque auertebat S. Benedictus,
cum in regula ſcripſit: *Nullatenus liceat monacho*

nec

nec à parentibus, nec à quoquam hominum, nec ſibi inuicem litteras, aut eulogias, vel qualibet munuſcula accipere, aut dare ſine præcepto abbatis ſui. Signate vetat litterarum commercium cum parentibus, de quibus eſt ſermo. Tertium damnum non quidem frequens, ſed grauius ab epiſtolis parentum & propinquorum eſt apoſtaſia ab Ordine. Tempeſtas illa quietem perturbans interdum adeo fera eſt, vt legentem litteras, ad Ægypti ſcopulos allidat. Vidi equidem non vnum Religioſum, litteris propinquorum adeo mollitum ac fractum, vt à Religione miſerabiliter exciderit. Quare in optimo huiuſmodi litteræ dicuntur *efficaces ad euertendum propoſitum*, à Petro Bleſenſi; qui vitæ regulari accommodans inſtrumenta, quibus Abraham in ſacrificio filij erat vſurus, & commendans commemoratum à Caſſiano monachi factũ, ait: *Nec tamen ſufficit gladius, niſi addatur ignis Spiritus ſancti. Deus enim noſter ignis conſumens eſt; ligna, fœnum, ſtipulam incinerat, virtutes purgat. De talium exuſtione elegantem ſignificationem nobis tradidit quidam patrũ, qui cũ plures à caris accepiſſet epiſtolas, nullas tamen legit, ſed collectas in vnum proiecit in ignem, ac ſi diceret: Ite in ignem chartulæ nugaces, fallaces epiſtolæ, & ad euertendum propoſitũ plurimũ efficaces. Comburam vos, ne comburar à vobis.* Hæc Petrus. Hos igitur generoſos viros monachum anonymum, B. Ignatium, & S. Carolum, quamuis non cogantur Religioſi ſemper imitari in eo, quod geſſerunt, certe tamen ſequi debent in eo, quod ſenſerunt. Quo fiet, vt æquo ferant animo, ſi quando intellexerint ſimiles epiſtolas ad ſe ſcriptas, fuiſſe à ſuis ſuperioribns vel conſciſſas, vel inflammatas, ne quietem perderent, neue à ſtudio perfectionis retardarentur.

Petr. Bleſ. ſer. 32.

Deu. 4. 24.

20 Tertium genus hominum vitandum fugien-

dumque remis, vt dicitur, atque velis in ſcriptione, eſt feminarum. Cum his nullum epiſtolarum reciprocarum commercium habendum eſſe, & ſiquod eſt, dirimẽdum, veteres nouiq. magiſtri ſpiritus clamant, S. Hieronymi verba vſurpantes ex eo loco, vbi de cauta cum mulieribus cõuerſatione loquitur: *Blandas & dulces litterulas ſanctus amor non habet*. Hæc eadem verba viſa ſunt digna, vt referrentur in monachorum regulam ex B. Hieronymi verbis coagmentatam, & à Martino V. pont. max. probatam, quæ ſub nomine illius doctoris circumfertur. Vmbertus expendens eadem verba, multas rationes conglobat, cur ab hac litterarum viciſſitudine cum mulieribus abſtinendum ſit. Referam eius verba, ne quis à me fictas animo nimis ſuſpicioſo putet. *Huiuſmodi*, inquit, *ſunt amantium ſtulto amore; & ſunt ſpecies mali; à quo cauendum eſt ſecundum Apoſtolum. Item per hæc inſpecta reducitur mulier ad memoriam, per quod ſolet Sanctos Diabolus infeſtare. Item per hæc nutritur & augetur affectus erga mlieres, quod eſt valde periculoſum, quia de facili degenerat in malum. Item per hæc familiaritas mulierum acquiritur: quæ quàm ſit reprehenſibilis, patet ex dictis*. Hactenus Vmbertus: cui conſentiunt Camaldulenſes monachi; qui primo loco; *Summopere cauendum eſſe omnibus denuntiant* (vſurpo eorum verba) *ne mulieribus cuiuſuis conditionis, vel gradus (matre & ſororibus exceptis) litteras, vel munuſcula quæcumque mittere præſumant, vel ad eos ab eis tranſmiſſa, recipere*. Deinde ſubijciunt rationes prohibitionis per hæc verba; *Hæc enim mulierum litteræ, vel munuſcula, per ſacros canones Religioſis prohibita ſunt; & quam veriſſime incentiua libidinis eſſe comperiuntur*. Sancti Auguſtini dictum in canonem relatum, quòd occulta acceptio litterarum ſit grande malum, de litteris

S. Hier. ep. 2. ad Nep.

Idem in reg. monachor. c. de conſt.

Vmb. c. 104. in c. 14. reg. Aug.

Camald. l. 1. conſt. c. 54.

litteris mulierum accipit Ioannes Trullus, & Vmberti verba tranſcribit, quibus pericula peccandi & rationes vetandæ huiuſmodi acceptionis continentur. Eumdem S. Auguſtini locum reſpectans Antonius Caracciolus, in notis ad conſtitutiones clericorum regularium, trahit peculiarem ob cauſam, ad feminas. *Non enim*, inquit, *ignorabat prudentiſſimus Pater ille, quàm atrocium ſcelerum furtiua huiuſmodi litterarum datio & acceptio ſoleat eſſe initium & indicium*. Subnectit grande illud flagitium à Sancto Hieronymo narratum & deploratum Sabiniani diaconi, cuius litteræ miniſtræ fuerunt abducendæ virginis Deo dicatæ, ex monaſterio Bethleemitico. Vmbertus, quia viderat Sanctum Auguſtinum generaliter loqui, prudenter ſcripſit: *Quamquam hoc ſemper ſit vitandum, & tanquam malum cauendum: tamen ſpecialius caueant viri ſancti à litteris & munuſculis accipiendis à mulieribus*. Carolus Scribanius Superiorem Religioſorum formans præceptis: *Omnem ad mulieres ſcriptionem interdicet. Doli namque & venena, & nocituræ in his flammæ non ſemel latuerũt.* Hoc loco illud eſt accurate animaduertendum a magiſtris ſpiritualibus nos moneri, vt quamuis ab omnium muliebrium epiſtolarum commercio nobis abſtinendum ſit, tamen id cum monialibus præcipue ac diligentiſſime ſeruetur. Camaldulenſes in primis id alicubi præcipiunt, & pœnarum metum incutiunt: alio in loco præter pœnarum comminationem ſubijciunt ratione, cur omnis familiaritas cum monialibus, etiam interuentu litterarũ, truncanda ſit. *Etenim*, inquiũt, *cautiſſime ſunt, omnia concupiſcentiæ irritamenta declinãda, ne paruo aliquo fomite magnus libidinis æſtus intra præcordiorum aridas cogitationes inſurgat.* Caſinẽſes

Supr. n. 4. Io. Trull. l. 4. de can. regul. c. 18

Anton. Caracc. in not. conſt. p. 2. c. 1. §. 6

S. Hier. ep. 48. ad Sabinian.

Vmb. c. 104. in c. 14. reg.

Car. Scrib. l. 2. Super. Relig. c. 28

Camald. l. 1. conſt. c. 25. & c. 54.

Caſi. in c. 62. reg. §. 23.

ſtrictiſſima lege vetant eandem acceptionem litte-
Io. de Capiſtr. c. 11. Ordinat. rarum à monialibus, Ioãnes de Capiſtrano ex Ordine Minorum, auctoritate apoſtolica prædìtus: *Nullus*, inquit, *Fratrum mea cura commiſſorum audeat, vel præſumat litteras aliquas deſtinare alicui moniali, uel aliquas ſibi deſtinatas recipere, niſi prius præſententur Vicario, & legantur ab eo præſentibus duobus*. Libuit verba referre, vt intelligat lector quantum vir ille zeli plenus & ſanctitatis metueret hoc litterarum commercium inter Fratres & moniales. Qui regulam ſcripſit monacharum, quę nomine S. Hieronymi eſt inſignis, ipſis monachabus prohibuit ſub anathemate & æternæ mortis pœna ſuſpectas litteras: & merito; quoniam ipſe Hieronymus, per litteras, quas ille cũ horrore ac mente conſternata legit, & ego referre ob turpitudinem non audeo, cognouit à Sabiniano, vt dixi, ad ſtuprum monialem eſſe perductam. Quòdſi dicat quiſpiam hos magiſtros cum Sancto Hieronymo, plurimum, inſectari blandas, dulces, amatorias, aut certe ſuſpectas litteras mulierum, & harum reciprocas ad mulieres, non autem prudentes, graues, ſerias: reſponderim, ſeuerius illos quidem ac vehementius, vt æquum erat, in id genus periculoſum ac pernicioſum inuehi; ſed tamen omnes vitari cupiunt, ſi fieri poteſt, etiam ad religioſas feminas ſcriptas, vt vidimus; cum ob productas rationes, tum vero maxime ob ſuſpicionem, quam gignunt in eorum animis, qui eas deferunt, vident, ſciunt. Hinc S. Hieronymus Nepotianum monens de minuenda mulierum familiaritate, ait: *Caueto omnes ſuſpiciones, & quidquid probabiliter fingi poteſt, ne fingatur, ante deuita.* Didici equidem alieno malo adoleſcens, quàm ſit Mundus, qui poſitus eſt in maligno, pronus ac facilis, ad Religioſorum litteras mulieribus ſcriptas

S. Hier. in reg. monachar. c. 20.

S. Hier. ep. 48. ad Sabin.

S. Hier. ep. 2. ad Nep.

ptas interpretatione ſiniſtra in deteriorem partē detorquendas. Legi S. Iſidori Peluſiotæ pluſquàm mille epiſtolas, nec animaduerti vllā mulieri ſcriptam. Quid hoc eſt? Verebatur, cauebat, vitabat ſuſpiciones. *Quanti* (inquit Sanctus Ambroſius in re ſimili) *non dederunt errori locum, dederunt ſuſpicioni?* Non nego Hieronymum, Chryſoſtomum & alios ſanctos viros ad feminas dediſſe litteras: at tu qualis quantusve es, vt te cum illis conferas & æques? Poteris vitare reprehenſiones, quas non vitauerunt illi viri ſanctiſſimi? Audi Hieronymum de ſeipſo: *Scio me à plerisq. reprehendi, quòd interdum ſcribam ad mulieres, &c.* Igitur numquam ad mulieres ſcribendum? Numquam ſine neceſsitate: raro cum vtilitate magna, ratione habita perſonarum, vt capite ſequenti dicetur.

S. Ambr. l. 1. off. c. 20.

S. Hier. ep. 140. ad Princip.

Infr. n. 41.

Monita, vt ſcriptio ſit rara, prudens ac religioſa. Cap. IV.

21 VT prudentiæ ſale, ac ſaccaro religioſitatis condita ſit epiſtolarum ſcriptio in Ordinibus religioſis nonnulla ſunt à Superioribus præſtanda, & plura ſunt à ſubditis obſeruanda.

Quæ ſint ſuperioribus obſeruanda.

VNIVERSE illud occurrit ſuggerendum Superioribus, vt animo concipiant, in hac epiſtolarum reciproca miſſione, magnum eſſe periculum multorum malorum, ſi legis ad eam pertinentis obſeruatio negligatur; multum conducere ad bonam gubernationem, & ſubditorū perfectionem, ſi pro rei grauitate in eam curam

aduigiletur. Præſertim in illis Ordinibus, vbi lex hæc, de qua diſſerimus, eſt conſtituta, quos fere omnes eſſe video. Nominatim hæc obſeruanda exiſtimo, quæ ſubijciam. Primum, legat ſuperior litteras omnes, tum ſcriptas, tum acceptas. Præcipiunt id decem congregationes, quarum decreta recenſui iam per varias occaſiones, quibus id mandatum continetur. Addo his canonicos regulares Sancti Saluatoris ſic ſtatuentes: *In litteris uero, ſiue mandatis, aut mittendis, aut recipiendis, eiuſmodi ordo ſeruetur, ut Prælatus primum uideat legatque litteras, & audiat mandatum. ut pro eius diſcretione, uel mittantur, ſeu recipiãtur, uel non.* Congregatio MontiſolIueti, quæ iubet litteras aduectas, ab abbate aperiri, putanda eſt iubere quoque legi, ne apertio fruſtra fiat. Secundum, Vt Superior omnes epiſtolas legere poſſit, vt par eſt, vigilare debet, ne clam ſcribantur, & furtiue recipiantur; dareque operam diligenter, vt vndecumque & à quibuſuis ad ſe afferantur, ſiue ianitor ſit, ſiue emptor, ſiue peregrinus, & hoſpes in cœnobium recens adueniens. Multæ Religiones id conſtitutione, ſeu regula ſanciuerunt: Canonicorũ regularium S. Saluatoris; Caſinenſium, Clericorum S. Pauli, Societas Ieſu & aliæ; quarum nonnullæ, vt Congregatio Caſinenſium, & Societas noſtra cauent, ne cum epiſtolæ domum illatæ ad Superiorem deferuntur id ſignificetur ijs, ad quos ſcribuntur; vt in ijs vitetur perturbatio, ſi forte Superior illis non reddendas iudicaret. Furtiuæ autẽ litteræ, ſolent eſſe, quæ ſigillo conſueto Religionis, obſignatæ non ſunt, quo conſignari, vbi approbatæ fuerint, multi Ordines iubent. Tertium: cum dicitur, omnes epiſtolas mittendas & receptas in monaſterium eſſe à Superiore aperiendas & legendas, id non intelligitur

Sup. n. 6. 7. 10. & 20.

Can. S. Saluat. conſt. c. 24. §. 6.

Mon. Mõtis. ol. p. 2. c. 54.

igitur de ijs, quas ſubditi ad cōmunes Superiores maiores ſcribūt, & ab ijſdem Superiorib⁹ ad ſubditos ſcribuntur. Etenim eæ clauſæ & prompte ſunt reddendæ ijs, quibus inſcribuntur, nec vllo modo retardandæ, aut impediendæ; vt libere quilibet ſubditus ad ſuos Superiores recurrere poſſit, & ſua tractare negotia, vel inſcio cęnobij Superiore, ſi oportuerit. In omnibus fere Ordinib. id cautum eſt: & in aliquot adduntur pœnæ grauiſſimæ violatoribus decreti. Obſeruaui vetitum hoc in Ordine Minorum de obſeruantia: in Religione Minimorū S. Frācisci de Paula: in congregatione monachorum Caſinenſium: in canonicorum regularium Sancti Saluatoris & Montisoliueti, in Ordine clericorum regularium, vt alias omittam recenſere. Violatio decreti huius maxime incommodat ſubditis, & religioſæ gubernationi, & iuribus aduerſatur. Proinde Clemens VIII. Pont. Max. in omnibus Ordinibus caſum reſeruatū conſtituit in hæc verba: *Malitioſū impedimentū, aut retardatio, aut apertio litterarum à Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores*. In Ordine noſtro præterea vetitum eſt, poſt monachos Montis Oliueti, ne ſubditi ſuperioribus immediatis oſtendant legendas, nec Superiores ſponte oblatas legant litteras, vel ſcriptas ad Superiores mediatos & communes, vel ab eis receptas.

Stat. gener Min. de obſer. c. 7. §. de intercept. litt. Correct. ordin. Min. c. 10. §. 106 Caſi. c. 54. reg. Can. S. Saluat. l. cit. Mon. Montis Ol. p. 2. c. 54. Cl. reg. p. 3 conſt. c. 9. Cle. VIII. in decr. de caſib. reſeruat. c. 11. Claud. Aqu. in c. 15 ordin. nu. 14. & in monit. n. 4 Mon. Montiſol. p. 2. c. 54.

22 Quartū monitū. Superiores in legēdis litteris ſubditorū, habeant rationē aliquā ſenū, grauiū, probatę virtutis, benemeritorū, cognitę prudētię, ne ſingulas ſyllabas enumerēt, & verba expēdāt, vt in epiſtolis iuniorū, q̃ rerū humanarū parū experti sūt, & Superiori nō bene cogniti, diligenter faciendū eſt. Iiſdē ſenioribus, quib. frequēs eſt neceſſaria ſcriptio ꝑpter ſpiritualia & vtilia negotia pōt remittere obligationem petēdæ facultatis ad

c. quod ali cui. de reg iur. l. 6. l. vtilitatē. ff. de confir. tut. Cic. l. 1. offic. Elias in or. 1. Naz. n. 62. Ar. l. 5. eth c. 10.

ſcribendum; quæ legis relaxatio non poteſt ab alijs iunioribus trahi in exemplum, quoniam ex cauſa id permittitur ex iure ob merita & neceſſitatem. Atque id ſi negaretur, à recta ratione videretur alienum: quia *ſummum ius, ſumma iniuria* reputaretur in hoc caſu, & in huiuſmodi perſonis, quibus cum recta ratio ſuadet eſſe vtendum ea virtute, quę dicitur à Grecis ἐπιείκεια, Latine *Aequitas*, & ab Elia Cretenſi definitur *Ius infractum*, quod ego interpretor, ius mitigatum ac remiſſum; congruenter Ariſtotelis ſententiæ, qui eam definit, legitimi iuris correctionem, ſeu legis vniuerſalis, qua parte deficit, emendationem. Quòd ſi cuius imprudens eſſet canities, is à Superioribus eo magis & iuuandus & coercendus eſſet, quo turpius ac pernicioſius laberetur; & ipſe Superiorum auxilium optare atque gratum habere deberet. Quintum monitum. Debet Superior, cui ex litteris, & extraneorum colloquio cogniti ſunt rerum humanarum euentus, vel non quærenti, ſuis ſubditis, tamquam pater filijs, ſignificare proſperos Chriſtianorum ſucceſſus aduerſus Infideles, & Catholicorum victorias de hæreticis, compoſitam inter Chriſtianos principes pacē electum Pontificem Max. & res ſimiles, quæ Religioſos ædificant & exhilarant. Nam his narrationibus mirum in modum reprimet ſolicitudinē huiuſmodi rerum expiſcandarum, quæ nonnullos impellit ad ſcribendum, & ad eas aucupandas per epiſtolarum ſcriptionem, vt docui pluribus in aſcetico commentario. Quo conſequetur, vt minuat mirum in modum litterarum crebritatem. Sextū ac poſtremum monitum. Cum Superior legit litteras, ſtrenue ſuum in earum lectione munus expleat: quod in tribus functionibus poſitum eſt; in animaduerſione, monitione, litura. Primum igitur

igitur aduertat animum ad res, quæ ſcribuntur; ne quid peccetur contra Deum, proximum, decorum, prudentiam, regulas. Conſideret quoq. modum ſcribendi, locutionem, phraſes, religioſitatem: & ea omnia, quorum gratia ſuperius diximus hanc legem ab antiſtitibus Religionum eſſe conſcriptam. Item ea, quæ paulo poſt monebo ſcriptores litterarum, vt obſeruent accurate. Inſuper quæ oculata prudentia Superiori dictabit inter legendum virgula cenſoria eſſe notanda. Deinde, ſi litteres mittendas eſſe putet, ſed aliquid eſſe corrigendum, & ſcriptori cauendum in poſterum; accerſat illum, & paterno affectu commonefaciat, vt hoc, aut illud deleat, mutet, corrigat, quòd ſit contra decorum, vel contra regulas Ordinis, vel lectorem offendere poſsit; aut ſi multa ſint emendanda, iterum epiſtolam ſcribat. Adoleſcentibus vtiliſsimæ ſunt huiuſmodi monitiones, quæ non tam reprehendant, quàm doceāt. Tertio ac poſtremo liturā adhibeat, vbi eſt opus, delens etiam totam epiſtolam flammis, ſi quemquam offenſura cenſeatur. Quod interdum ſcriptori ſignificandum eſt, ne miretur poſt aliquot dies ſibi non reſponderi. Cauſam addere nonnumquam expedit, cur cremata ſit epiſtola, vt æquiore animo rem ferat, & cautior in poſterum fiat. Alias prudentia iubebit Superiorem, vt reticeat incendium epiſtolę, ſi ſubditus nimium turbandus eſſe credatur. Pari modo ſe gerat in legendis litteris ad ſuos ſubditos ſcriptis, in quibus aliquādo reperiet nonnihil obliterandum, interdū exiſtimabit totam epiſtolam eſſe comprimendam, quòd aliquid narret, vnde turbatio, contentio, rumor, offenſio in clauſtro exoriatur.

Sup. n. 11.

Monita

Monita ſubditorum.

23 VENIO tandem ad monita ſubditorum, à quorum calamo requiro tria, raritatem epiſtolarum; atque in epiſtolis prudentiam, ac religioſitatem. Quòd attinet ad primum, ſit primũ monitum. Infrequens erit in ſcribendo Religioſus, qui non feratur impetu quodam parum conſiderato ad ſcribendum, ſed ſecum ipſe accurate, & vero etiam coram Deo, pręmiſſa petitione luminis diuini, conſideret, nũ neceſſitate vrgeatur, aut certe magna vtilitate moueatur ad eam ſcriptionem, quæ illi venerat in mentem. Deferueſcit ſæpe primus ardor deſiderij cuiuſcũq; cũ expenditur corã Deo, qui rore ſuæ gratiæ feruorē inconſideratũ cupiditatum vel refrigerat, vel reſtinguit. Porro ſecluſa neceſſitate atq. vtilitate, otioſa erit ſcriptio, proinde peccatum ſaltem veniale: quoniam factum otioſum illud eſt, *quod ratione iuſta neceſſitatis, aut intentione pia vtilitatiis caret;* vti verbũ otioſum cum S. Gregorio, Thoma & alijs Theologis in tractatu de cura minimorum definiui. Secundum monitum. Idem Religioſus, vbi ſcribendi prurigine ſe ſtimulari sētit, coram eodem Deo conſideret damna & pericula, quæ ſuperius docui exiſtere à multa ſcriptione; & ſi ſapiet, amabit paucitatem litterarum. Quis enim prudens ſine neceſſitate, aut vtilitate, damna ſponte quærat, & pericula prouocet? *Qui amat periculum in illo peribit,* clamat & denuntiat ſapiens Eccleſiaſticus. Tertium monitum. Statuat apud ſe conſtantiſſima firmitate animi ſeruare legem ſuæ Religionis de petenda facultate ſcribendi à Superiore, antequam calamus attingatur: & ſi qua ſit alia conſtitutio, quæ videtur oneroſa ſcriptionemque remoretur.

Tr. de cura minim. n. 43.

Supra n. 16. & ſeq.

Eccl. 3. 27.

Quartum

Quartum monitum. Det operam Religioſus cupidus perfectionis mortificandis illis affectibus & vitijs, quæ impellunt ad ſcribendas litteras ſuperuacaneas, & ſentiet in ſe breui repreſſam cupiditatem immoderatam ſcribendi. Nam eliſa radice arboris, rami ſua ſponte areſcunt. Compreſſis impulſibus ad ſcribendum, digiti conquieſcent, & frequentia litterarum ceſſabit. Aliquot ex his recenſeo, reliquos lector ſtudioſus adinueniet. Primus eſt curioſitas, quæ eſt *libido ſciendi non neceſſaria* Gulielmo Pariſienſi: quæque curioſum extimulat ad res nouas cognoſcendas, quæ in Mundo, in patria, in vniuerſa Religione ſubinde eueniunt. Hoc affectu ſolicitatus animus, manum & calamum vrget ad ſcribendum & reſcribendum ijs, qui eum de multis poſſunt ac ſolent viciſſim facere certiorem per litteras curioſitatis altrices, vt alibi docui. Quæ digna ſunt ſcitu, & ædificant Religioſos, ſignificabunt, vt dictum eſt, humani ſuperiores, & ſi non hac hebdomade cognoſcentur, ſequenti certe intelligentur ſine curioſitate; quoniam, vt quidam ſapiens huius Mundi dixit Athenis in cõcione ad populum, ſumma expectatione victoriæ pendentem; Quæ vera ſunt hodie, vera quoque cras erunt & perendie. Cito proſpera & aduerſa magni momenti nunciantur & vulgantur. Secundus impulſus compeſcendus eſt, immoderatus amor propinquorum & patriæ, qui cogit tepidum Religioſum ad reciprocam ſcriptionem cum parentibus & propinquis ſine neceſſitate fructuque ſpirituali continuandam, qua nutritur ille ignis naturaliter inſitus in pectoribus noſtris. Hoc extincto per ſalutare odium in Euangelio preſcriptum, aut certe per virtutem ad mediocritatem redacto, crebritas litterarum inter conſanguineos intermittetur.

Pariſ. l. de leg. c. 24.

Ad reg. 37. com. n. 11. Sup. n. 12.

mittetur. Tertius impulſus eſſe conſueuit peculiaris quædam amicitia olim cum aliquo ſodali, dum vna in eodem cœnobio viuerent, contracta per beneuolentiam non omnino ſpiritualem. Alere cupiunt abſentes per litterarum reciprocationem, qui ea ſunt irretiti, ſcientes intermiſſione conſuetudinis deſinere. Reuocetur hæc amicitia per charitatis fraternæ regulam ad communem ſanctamque beneuolentiam, qua omnes ſodales æque in Chriſto diliguntur, & calami vtriuſque conquieſcent. Quartus impulſus eſſe poteſt aulicíſmus, quo vitiatus Religioſus aucupatur gratiam principum ac prælatorum Eccleſiæ, atque in eorum amicitiã ſeſe per litteras officioſas inſinuat ſcribens quoque ad aulicos principibus gratioſos, vt eorum interceſſu id conſequatur, quod ambitioſo artificio litterarum aſſequi ſtudet. Euellat hic de pectore ſuo fallaciſſimam ambitionem aulæ, atque eam in amorem cellæ & religioſi clauſtri commutet, & nullæ, aut certe pauciſſimę litteræ ad principes prælatoſue dandæ erunt. Quintus impulſus eſſe poteſt familiaritas mulierum piarum, quas de peccatis confitentes alias audiuerat. In aliam vrbem ad habitandum & fructificandum in Domini vinea miſſus à moderatoribus Ordinis, ob nimiam fortaſſe cum illis familiaritatem, qua nonnulli offendebantur; cupit abſens promouere illas ad maiorem perfectionẽ per litteras frequẽtatas. Deponat hanc cogitationẽ: ſinat hanc prouinciã illi ſacerdoti, cui vel ipſe, vel ſuperior eas cõmendauerat: negligat illã familiaritatẽ parũ vtilẽ, multis ſuſpectã, ac litteris nullis erit opus. Sextus impulſus in nõnullis eſt vitiũ quoddam, quod appellant magiſtri ſpirituales, *Effuſionem ad exteriora*: per quod fiunt nimis actuoſi Religioſi, ſiue per zelum immoderatum, negotia

Clau. Aqu. l. induſtr. c. 5.

tia

tia pia multa ſuſcipientes; ſiue per naturæ propenſionem ad agendum, negotia quoque ſęcularia cōplectentes, quos Ardeliones indigitaret Martialis. Qui ſic affecti ſunt, ne dicam vitio contaminati, non modo ſtare loco neſciunt, & quotidie foras egredi, circumcurſare per vrbem à mane vſque ad veſperam, ſed etiam huc atque illuc ſcriptitare coguntur, vt amicis ſeruiant, vt expediant negotia, quibus non ſunt pares extricandis. Reſipiſcant ij nonnihil, in ſe ipſos reuertantur, cultū interiorem ament, à negotijs quidem ſæcularibus prorſus abſtineant, pijs vero Maiorum ſuorum audito conſilio moderentur, & neceſſitas tot epiſtolarum ſcribendarum euaneſcet. Mart. l. 2. ep. 1. gr. 7.

De prudentia litterarum.

24 POSITVM ſit paucitatem litterarum decere Religioſum. In illis paucis, quæ ſcribuntur, non modo religioſitas ineſſe debet, de qua poſtea; ſed etiam prudentia, de qua nunc eſt breuiter differendum. Feruor quidam ſine diſcretione, hoc eſt ſine prudentia, Religioſum ſpiritualem interdum præcipitem agit; quia non frenatur ac regitur in curſu perfectionis, & in cultu dominici agri ab ea virtute, cuius officium eſt, omnibus actionibus humanis præſcribere modū. Itaque neceſſarius eſt prudentiæ ductus etiam in ſcriptione ſpiritualium litterarum, Laudatam accepimus à Macedonio Africæ vicario S. Auguſtini prudentiam in litteris. Et quamuis exquiſita Supr. n. 18. illa & oculata prudentia, quæ numquam erret, numquam fallat, ſit partim à naturę bonitate, partim à Deo (& multo magis in negotijs ſpiritualibus) exoptanda & expetenda; tamen iuuari poteſt ac fulciri monitis, quæ viri experientes tradunt,

dunt, & ego ad rem præſentem affero, non ex meo ſenſu, ſed è magiſtrorum expertorum armarijs deprompta. Primum monitum: Nihil de Principibus, eorumque dictis, factis, controuerſijs, iuribus, bellis, quod tantillum eos offendere poſſit, mandandum eſt epiſtolis. Habent enim
Ad reg. 30. comm. n. 23. longas non modo manus, ſed etiam aures & oculos, vt alibi probaui. Monitum eſt Cartuſianorum
Cartuſ. p. 2 ſtat. c. 25. n. 9. monachorum, qui ſtatutum habent in hæc verba: *Nullus ſcienter, vel opinanter per ſe, vel per alium præſumat litteras recipere, portare, vel mittere, aut nuntiationes verbo tenus facere; quæ directè, vel indirectè eſſe poſſent contra bonum pacis, & principes, vel quoſcumq. alios magnates, aut prælatos ad indignationem prouocare.* Et quoniam principes ægre ferũt agi de ſuis rebus, conſilijs, iuribus ab ijs, qui veras & occultas cauſas ignorant, auctorſum Religioſis, vt prorſus abſtineant à ſcribendo de ipſorum rebus & actionibus. Nam euenire poteſt, vt ipſi offendantur in eo, quod ſcriptor epiſtolæ nullā offenſionē parere poſſe putauit. Proinde conſulte Claudius Aquauiua præpoſitus quintus Ordi-
Ad reg. 30 com. n. 30. dinis noſtri, monuit ſuos reſcripto, ne de rebus principum agerent in litteris, concionibus, priuatiſue colloquijs. Adde quod ſcripta vere atque accurate, vt offenſio vitaretur, aulicus aliquis Religioni infenſus, & ſui principis aſſentator, in malam partem interpretabitur verba tua, bona fide, ac prudenter ſcripta, & animum principis abalienabit à religioſa familia, quam antea diligebat. Confirmatur hoc monitum auctoritate ma-
Io. Capiſtr c. 10. ordinat. gni viri illius Ioannis de Capiſtrano, qui inter ea, quæ ſcribi vetat, non ædificatiua, ſed offenſiua,
Fr. Sacch. l. 1. hiſt. Soc. n. 38. recenſet bella inter principes Chriſtianos. Hinc religioſe admodum per Laconiſmum Ioannes Polancus noſter ad amici magnæ auctoritatis litte-

ras

ras è Belgio multa de bello nuntiantes & ſimilia exigentes reſpondit: *De diſſidijs inter Chriſtianos principes, Societatis noſtræ, nec moris eſt litteras dare, nec gratum accipere. Sapienti pauca. Vale.* Nec dicat inexpertus, quomodo ſcietur, quod obſignatis litteris cõmiſi? Intercipiuntur, vt iam dixi, ab ijs, qui longas habent manus; reſignantur, expenduntur: excidunt caſu: produntur ab ijs, qui acceperunt, & gratiã principum alienis periculis aucupantur. Si voces noſtras remotis arbitris pronuntiatas, *Aues cæli* portant in aures magnatum ac regum, vt ſcripſit Salomon; quid ni litteras noſtras homines in eorumdem oculis ponant? Quamobrem quod effari non licet, nec tutum eſt; id nec credere periculoſis chartis oportet. Supr. n. 17. Eccl. 10. 20 Ad reg. 30 comm. n. 21.

25 Tertium monitum ad prudentiam ſpectãs. Raro ſcribendum feminis definiuimus: ſed ſi quãdo ſcribendum eſt, habeatur ratio perſonarum, quibus ſcribitur, ne ſint mulieres adoleſcentulæ, zelotypis maritis nuptæ, aut quòd non bonæ famæ, aliaue de cauſa ſuſpectæ: præſertim ſi ſcriptor non ſit grauis annis, & qui ſuſpicionem omnem integritate vitæ repellat. Didici hoc monitum à Sancto Fulgentio; qui, vt vitæ auctor tradit, *Viduis virginibuſque direxit epiſtolas, non quibuſuis, ſed quarum fama laudabilis habebatur.* S. Chryſoſtomus ad Olympiadem ſcribens, S. Hieronymus ad Paulam, & Euſtochiũ, & ad alias eiuſdem ſpectatę probitatis, & alij viri ſancti ad alias, idem monitum ſeruaſſe vidẽtur. Nec fugit id Maiores noſtros, qui Superioribus mãdarunt, ne permittant ſuis ſubditis ad mulieres ſcribere, niſi in neceſſitate, aut cum ſpe magni fructus, nec niſi viris valde probatis & prudentibus. Probitas ſcribẽtis auertit peccatum & ſuſpicionem; prudentia periculũ deprauãtis interpretationis præcauet: ne- Sup. n. 10. Vita S. Fulgen. c. 28. Reg. prep. 72. Reg. rect. 70.

ceſſitas ſcribendi, quæ non eſt frequens, tollit frequentiam litterarum: ſpes magna vtilitatis facit epiſtolas vere ſpirituales. Quartum monitum. Adhibenda eſt in ſcribendo potiſſimum ad feminas, illa prudentiæ comes; quæ, quia reſpicit omnes circumſtantias, circumſpectio merito vocitatur, & à me luculenter deſcripta eſt in aſcetico commentario, vbi de prudentia loquendi diſſerebam, qua multo magis in ſcribendo vti debemus, quādo in ſcriptione verba, vt ſignificaui, non in euaneſcente aere, ſed in permanente diu papyro, imprimuntur: non præſentibus tantum, ſed etiam abſentibus & poſteris mandantur. Tria vero in primis accuratiſſime caueri oportet. Primum ne nimis feminæ videamur vel eſſe, vel fuiſſe familiares. Deinde ne blandis, aut dulcibus verbis vtamur, à quibus S. Hieronymus abſtinendum monet; quoniam eiuſmodi verba ſuſpicionem creant affectus à diuina charitate declinantis. Tertio, vt nihil prorſus dicatur, quod peculiarem affectum beneuolentiæ, ne remote quidē, innuat, etiam ſi ſpiritualis eſſe aperte dicatur. Nam, vt ſuperius in ſimili occaſione monui, ſæculares homines ſpiritu Dei vacui, propenſiſſimi ſunt, non modo ad male de Religioſis ſuſpicandum, ſed etiam ad eorum facta dictaque ſimplicia in prauum ſenſum detorquenda. Sanctus Bernardus id obſeruauerat: propterea ſcriptum reliquit: *Proni ſunt ſenſus hominis, & cogitationes ad malum potius ſuſpicandum, quàm ad bonum credendum.* Procliuitatis huius hominum vitioſorum rationem tulit in duabus orationibus S. Gregorius Nazianzenus dicens, Eiuſmodi homines metiri probos diſtorta ſuæ deprauatæ conſcientię menſura; proinde tales alios exiſtimare, quales ſe ipſos ſentiunt. Poſt Gregorium, Sanctus Iſidorus Peluſiota militi cuidam

Ad reg. 38. comm. n. 15. & ſeq.

Sup. n. 17. 23.

S. Hier. ep. 2. ad Nep.

Sup. n. 20.

S. Ber. ſer. 39. in Cāt.

S. Greg. Naz. or. 21 n. 19. & or. 28. n. 27

ſcribens

ſcribens impudico, mirifice in rem preſentem ait: [S. Iſid. Pel. luſ. l. 3. ep. 307. ad Eſaiam. ...] *Quemadmodum ſinceri atque ardentes pudicitiæ amatores, ex ſua caſtitate de alijs etiam, quamuis minime tales ſint, puras ſententias ferunt; nec impudicum quemquam eſſe arbitrantur: eodem modo, qui libidinis œſtro, tanquam rabie quadam agitantur, ex petulanti ſua libidine, alios etiam, qui non ſunt, tales eſſe iudicant. Vtrique enim ex ſuis moribus de aliorum quoque moribus calculum ferunt.* Ambobus his doctoribus magiſter fuit Salomon in Eccleſiaſte [Eccl. 10. 3.] de ſtulto loquens: *Cum ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat.* In eum locum Sanctus Hieronymus: [S. Hier. Eccl. 10.] *Stultus vt ipſe pecccat, ſperat omnes peccare ſimiliter: atque ex ſuo ingenio vniuerſos iudicat.* Idem pronuntiaſſe L. Senecam, Caſſianum, Climacum tradit Dionyſius Cartuſianus: [Cartuſ. in c. 10. Eccl.] atque in horum ſtultorum numero ſcribit ex Suetonio Martinus [Sue. in Nerone. c. 29.] Delrio noſter fuiſſe Neronem, qui quia mortaliũ omnium impuriſſimus erat, perſuaſiſſimum habebat, [Mart. Delr. p. 2. adag. n. 322.] neminem hominum eſſe pudicum. Ijſdem adnumerat ob eandem cauſam Sanctus Athanaſius Magos & philoſophos Græcos; [S. Athan. tr. de cruce &c.] & Sanctus Hieronymus epiſcopos quoſdam Vigilantij ſectatores. Quamobrem conſultiſſimum eſt anteuertere iſta falſa iudicia ſublatis omnibus occaſionibus. [S. Hier. l. adu. Vigilantium.] Qua in parte prudētiæ mihi videtur excelluiſſe Ioãnes Auila in parte poſteriore litterarum ſpiritualium quas ad mulieres reſpondens dedit. Quintum monitum ad prudentiã pertinens continet breuitatē, accurationē & perſpicuitatē in ſcribēdis epiſtolis. Breuitatē dico: quia breuis accuratius ſcribitur; & anguſtior eſt peccandi campus, qui latus eſt in longa: iuxta illud iam productum: *In multiloquio non deerit peccatum.* [Pro. 10. 19.] Adde legentibus moleſtas eſſe litteras longiores, quoniam in omni ſtudij genere verum eſt vetus, prouerbium à Petro Cluniacenſi [Petr. Clun. l. 3. ep. 24. ad Cartuſ.]

relatum, his fere verbis, *Gaudent breuitate moderni*. Nec ſumendum eſt exemplum ab Hieronymo, & alijs priſcis patribus, quorum epiſtolę tractatus iuſtos continebant, & diſputationes ſub nomine epiſtolarum. Quamquam ſi neceſſitas exigat longam epiſtolam, pareatur neceſſitati, & audiatur Sanctus Gregorins Nazianzenus de hac moderatione: *Neque longiores*, inquit, *ſcribendæ ſunt, vbi multa non ſunt negotia: neque ieiunius conſcribendæ, vbi multa res ſuppetunt*. Et concludit, neque funiculo Perſico, neque puerilibus cubitis eſſe metiendas. Accurationem item requiro, quæ celeritatem in ſcribendo excludit, amat tarditatem. Qui ſemper raptim, curſim, incitato calamo exarant chartas, quo modo poſſunt expendere lance prudentiæ, quæ ſcribunt? Sanctus Ambroſius cum alias ob cauſas ſua, quàm aliena manu ſcribebat libentius epiſtolas: tum vero, quia quæ dictantur impetu quodam proruunt, & profluo curſu feruntur, nec tam accurate, vt oportet conſiderantur. *Ipſi nobis*, inquit, *Conſcij ſine vllo arbitro, non ſolum auribus, ſed etiam oculis ea ponderemus, quæ ſcribimus. Velocior eſt enim lingua, quàm manus*. Eadem obſeruatio fuit Quintiliani, & Sancti Hieronymi duobus in locis; in quorum altero ſe purgat Ruffino, quòd oratio non ſolito curſu flueret; quoniam ob infirmitatem corpuſculi epiſtolam dictauerat: *Nec eodem lepore*, inquit, *dictamus, quo ſcribimus*, In altero vero ait notarios ægre ferre dilationem dictantis in cogitando, vt melius aliquid proferat; proinde dictari quidquid venerit in buccã, ne illi frontem corrugent, contrahent manum, & toto geſtu corporis ſe fruſtra adeſſe conteſtentur. Itaque ſcriptor epiſtolæ ſit potius fluuius, quàm torrens, qui ſemper propter impetum curſumq. concitatum, eſt turbidus & impurus: mentem ſæpe

S. Gre. Nazia. ep. 209 ad Nicob.

S. Ambr. lib. ep. 65.

Quin. l. 10. c. 3.

S. Hier. ep. 131. ad Ruff. & præf. l. 3. in ep. ad Galat.

ſæpe conſideratione reflectat ad ea quæ, vel ſcripſit, vel ſcribit: & ſi ſit opus, ſtylum vertat, vt loquitur idem Hieronymus, hoc eſt obliteret quę ſcripſit indigna legi, digna iterum ſcripturus. De perſpicuitate ſufficiat, quod de ea S. Gregorius Nazianzenus præcepit: qui ſuam diſſertationem colligens hæc ait: *Vt ſummatim loquar, hæc optima et pulcherrime ſcripta epiſtola eſt, quæ & indocto perſuadet, & erudito: atq; illi quidem, vt ad vulgi conſuetudinem accommodata; huic autem, vt vulgi indolem & captum ſuperans; item quæ ex ſe quam primum cognita perſpectaque eſt. Nam æque importunum eſt, & griphum intelligere, & epiſtolam interpretari.* S. Naz. ep. 109. ad Nicobul.

De Religioſitate Epiſtolarum.

26 TErtia perfectio in epiſtolis Religioſorum requiſita, eſt religioſitas, ſeu pietas; per quam dignæ fiunt ſcriptore Religioſo, ac per eam intelligantur à religioſa manu ſpiritualis auctoris venire. Decet enim noſtras litteras longo interuallo differre ab epiſtolis Platonis, Ciceronis, Senecæ, Plinij, Libanij, qui neque Chriſtiani, neque Religioſi fuerunt, quamuis prudenter atq. erudite ſcriptis. Different autem, ſi ſimiles erunt epiſtolis, non modo ſanctorum patrum Cypriani, Hieronymi, Auguſtini, Paulini, Baſilij, Chryſoſtomi, Nazianzeni, Iſidori, Damiani, Bernardi, & aliorum eiuſdem claſſis; ſed etiam recentium quorumdam magiſtrorum ſpiritualium proximi ſæculi, qui hac laude floruerunt. In quorum numero ſunt, Ioannes Auila concionator Hiſpanus, quem commemoraui; Beatus Franciſcus Xauerius, cuius epiſtolæ ex India ſcriptæ ſanctitatem afflant: Baltaſſar Aluarez, cuius epiſtolarum ſpiritualium pręclarum ſpecimē exhibuit Lud. Pont. in vita. Edm. Cap c. 11.

 nobis

nobis in eius vita Ludouicus Pontanus: Edmundus Campianus ob fidei Catholicæ defenſionem in Anglia interemptus; de cuius ſpirituali ratione ſcribendi nos docuit Paulus Bombinus in ipſius vita. Porro tribus in rebus hęc religioſitas elucere debet; in obedientia, in materia, in forma. Splendeat primum in obedientia; hoc eſt in obſeruatione legis proprii Ordinis. Non enim religioſe ſcripta videretur, quæ clam Superiore ſcripta, quę furtim miſſa Ordinis regulas violaſſet. Quãobrem ſubditus, qui lege hac non eſt ſolutus nominatim, petat facultatem antequam manum ad moueat ad calamum. Franciſcus Ribera ille in ſacra Scriptura explananda laudatiſſimus, vt tradit Ludouicus Pontanus ſcriptor accuratiſſimus, & facultatem poſtulabat ante ſcriptionem vir adeo doctus ac bene meritus, & præterea *euenit aliquoties*, inquit auctor, *vt poſtquam oſtendiſſet, aliquid addendum occurreret; nec tunc literas claudere volebat niſi prius, quod addidiſſet oſtenderet.* Deinde ſcriptas ferat Superiori probandas & obſignandas in tempore, vt legi poſſint. Nam ſi tum illi exhibeas, cum faſciculus colligandus eſt, cum tabellarius diſceſſurus, non bona fide videris exhibere, quaſi cogens eum, vt non inſpectas claudat ob temporis anguſtias, & te præſente non mittere erubeſcat. Si ſermo ſit de litteris, quæ ad te ſcribuntur, illa ſeruare debes ex lege: vt ſi peruenerint in manus tuas, fideliter clauſas ad Superiorem perferas, vel per ianitorem, aut alium mittas, & ſi ipſe tradas abiens des illi tempus legẽdi. Præterea legendę ſunt omnino litteræ, quæ nobis à Superioribus ſcribũtur. Id nominatim moneo, quoniam video non leuib. pœnis à quibuſdam Ordinibus conſtitutum. Suſpicor legem latam propter aliquos Religioſos contumaces, qui quia pręceptum, quod diſpliceret, in

Paul. Bõb. in vita Edm. Camp. cap. 11.

Lud. Põt. ca. 31. vitæ Ouit. Alu.

ijs

ijs metuebant, legere recuſabant, vt dicere poſſēt ad ſe præceptum illud nequaquam perueniſſe; quod inane perfugium eſt, & contra iura, cum ſit ignorantia manifeſto quęſita & affectata. Venīt in mentem ex horum numero Minores de obſeruantia familiæ Ciſmontanæ, qui grauibus pœnis ſubijciunt eos, qui ſuperiorum *litteras ſibi ipſis miſſas legere, aut aperire malitioſe diſtulerint*. Poſtremo pertinet eodem, vt Religioſus ęquo ſedatoq; animo ferat, ſi peruenerit ad ſuas aures à Superiore laceratas, combuſtas ve litteras, quas vel ipſe ſcripſerat, vel alij ad ipſum dederant. Primum enim ſcit nullam ſibi fieri iniuriā, cum ſuperior vtatur iure ſuo, ac poteſtate per leges Ordinis impertita, quę, vt videre licet in traſcriptis conſtitutionibus aliquot Ordinum, nominatim ſanciūt, vt reddere poſſit ac non reddere pro voluntate; quę tamen debet eſſe rationi conſentanea: ne detur occaſio querelarum; quaſi ſit illi pro ratione voluntas. Quamquam de ea iudicare ſubditi non eſt, qui debet in re dubia, vel incerta, vt iura pręcipiunt, Superiorem excuſare à culpa. Ceterum vtentem iure ſuo nemini iniuriam irrogare, definitum eſt lege communi Chriſtianorum. Deinde, vt ſignificatum eſt, volenti & conſentienti nō fit iniuria. Quilibet Religioſus in probatione intellexit hāc legē eſſe in Religione, quā ingrediebatur: voluit Religionem, quę principale, neceſſaria conſecutione cōſenſit in regulas, omnes & ſtatuta, quę ſunt quodammodo acceſſoria. Tertio, renuntiamus ſi non expreſſe, ſaltem tacitè huic poteſtati ſcribendi ac libertati, quā habebamus communem cū omnibus gentibus. Et quid mirum? Oēs, qui tria vota ſubſtātialia ſpondent in approbata Religione, cedunt iuri dominij per votum paupertatis; iuri contra-

Min. obſeruan. fam. Ciſm. c. 7. ſtat. gener. §. de inter. litteras.

L. nullus de reg. iuris. Supra num. 10.

L 3 hendi

hendi matrimonij per caſtitatem: libertati per obedientiam, cùm in multis æquentur ſeruis Religioſi. Sunt qui carnis vſui & eſui, etiam in articulo mortis renuntiarunt: qui iuri appellãdi; qui rebus alijs ceſſerunt. Igitur non mirum eſt Religioſos fere omnes carere quoque hac libertate ſcribendi pro arbitratu; & coactos ferre patienter, cum ſuæ litteræ non redduntur, nec mittuntur: quoniam in rebus maioris momenti libertatem & dominium ſuarum actionũ perdiderunt. Qua in æquitate animi exercere poteſt humilitatem magni meriti virtutem, ſubijciendo iudiciũ propriũ iudicio ſuperioris, vt debet: & quaſi quoddam ſacrificium facit Deo, ſi ſenſum illũ ſuũ, ſi quis contrarius exiſtat, eidem religioſe offert. Quarta ratio ferendi huius oneris & incommodi eſt, quia leuantur & compẽſantur quibuſdam commodis. Non inſumitur tempus, ſi negatur facultas ſcribendi: liberatur obligatione reſpondendi; ſi non redduntur illi litteræ ad eum aliunde ſcriptæ; eximitur à perturbatione, ſi litteræ ſuppreſſæ res moleſtas nuntiabant: tutus redditur à periculo offenſionis, ſi litterę ſcriptæ & non miſſæ, aut certe miſſæ, ſed emendatę, erant quempiam offenſurę: Leuãtur labore, ſi litteræ non redditæ mandata laborioſa continebant. Quòd ſi comprimuntur tuæ litteræ, quia mordaces, otioſę, plenę curioſitatis, rumorum incertorum nuntiæ, blandæ nimis ad feminas ſcriptæ, atque horum ſimilibus vitiatæ maculis: tibi imputa, qui cauſam dediſti ſuppreſſioni rationalem. Nemo enim ex ſuo delicto cõmodum accipere debet. Quinetiam gratias age Deo, & Superiori, qui malum tuum in herba ſecuerunt, nec peiores fructus ac ſemina procreare ſiuerunt. Denique ſi ſæculares magiſtratus, con-

L. non fraudatur. ff. de reg. iur.

ſilia-

ſiliarij, militum ductores, & huiuſmodi homines in quibuſdam Rebuſp. nec dare litteras ad principes, nec ab iiſdem acceptas reſignare ac legere poſſunt, niſi perlectas ab ijs, quibus hæc cura & cenſura commiſſa eſt; & legi ſine tergiuerſatione parent: quidni Religioſus ſuam regulam æquo animo ferat, & diligentiam ſuperiorum in cenſendis litteris publico bono vtiliſſimam æqui boniq. faciat? Feret ac faciet, qui Religionem ſuam amat, & conſeruatā ac florētem cupit.

27 Iam de religioſitate in materia dicendum eſt. Si epiſtola eſt de rebus neceſſarijs, cuiuſmodi eſt, quæ reſponſa continet ad amicorum & ſodalium conſulta, religioſitas erit in modo ac formæ de qua mox dicam: & ſpiritualis fiet ratione finis, quia quamuis materia ſit forſitan indifferēs, vt reſponſa ad quæſita de rebus philoſophicis, aut hiſtoricis; tamen finis ſpectat Dei gloriam, & charitatem fraternam propter Deum. Si epiſtola ſcribatur ob aliquam vtilitatem, neceſſario erit parænetica & ſpiritualis non modo ratione finis, ſed etiam materiæ, quæ tractatur in ea. Si denique texatur ad alendam fraternam charitatem, vt do- Sup. n. 15. cui faciendum eſſe interdum, ſanctorum virorū hortatu & exemplo, duo argumenti capita indico. Alterum ſuggeritur nobis à Sancto Ambroſio iucundum & ſalutare admodum; vſurpatum ab Hieronymo, Auguſtino, Iſidoro Peluſiota & alijs priſcis patribus eiuſdem optimæ notæ: nimirum explicatio loci alicuius è Scriptura ſacra. *Pulchre*, inquit Sanctus Ambroſius *Iuſto* reſpondens, *Admones Frater, vt epiſtolares fabulas, & ſermones abſentium, ad interpretationem conferamus oraculi cæleſtis, &c.* Tum quæſtionem de didrachmo Hebræorum ſoluit. Quinetiam ſcribens ad Simplicianum, qui difficultatem de quadam effu- S. Amb. ep. 1. ad Iuſt.

Ed. ep. 1. ad Simplic.

ſione ſanguinis in ſacrificio veteris teſtamenti ſibi enodari cupiebat, attingit vtilitatem huiuſmodi ſcriptionis, & collationis per epiſtolam, explicatque comparatione pecuniæ, quæ cum lucro hinc inde datur & accipitur. *Collatio ſermonis*, inquit, *vt pecunia, magno eſt vſui; atque ea maximus in commune emolumentum negotiationis profectus paratur.* Idem fuit de iucunditate ſenſus S. Damaſi Papæ; qui prouocans S. Hieronymum ad ſcribendum & ſoluendas quęſtiones de ſcriptura Sacra: *Neque vero vllam*, inquit, *puto digniorem diſputationis noſtræ confabulationem fore, quàm ſi de ſcripturis ſermocinemur inter nos: id eſt vt ego interrogem, tu reſpondeas. Qua vita nihil puto in hac luce iucundius: quo animæ pabulo omnia mella ſuperantur.* Alterum argumenti caput eſt earum rerum, quæ geſtæ ſunt & gerũtur ad ædificationem fideĩ ac pietatis, tum in Ordine proprio, tum extra Ordinem. Huius generis argumentum continent epiſtolæ B. Franciſci Xauerij & aliorum Religioſorum, qui ex India ſcribũt ad Europęos Gentium cõuerſiones ad Chriſtianam religionem; carceres & martyria, tum prędicatorũ, tum nouorum Chriſtianorum, quibus ædificatur fides: expectantes, vt viciſſim paria ſibi reddantur ex Europa; reuocationes Hæreticorum ad catholicam fidem, victoriæ de hoſtibus Eccleſiæ, templorum extructiones, Ordinis proprij dilatatio; ſociorum numerus auctus, fructus ſpiritualis è concionibus collectus; perſecutiones magno animo toleratæ ac ſedatæ. Quæ omnia pietatem nutriunt, & conſolationem alacritatemque excitant in animis eorum, qui litteras legerint huiuſ modi narrationum plenas. Verùm quacumque ex cauſa ſcribatur epiſtola, monent magiſtri ſpirituales cauendam in primis eſſe quamcumque offenſionẽ ſiue illius, cui ſcribitur, ſiue illorum, de quibus ſcri-

Damaſ. apud Hie. ep. 124.

ſcribitur. Arcent mendaciuncula, iocos minus religioſos, affectatas aſſentationes, inania officia, negotia ſæcularia, leues nugas, blanditias, incertos rumores, detractiones, otioſa verba; deniq. quidquid alienum eſt ab ore Religioſi, ab eo calamum quoq. eiuſdem abſtinere præcipiunt. Nō enim valet hic illud, *Epiſtola non erubeſcit.* Plus erubeſcere debet epiſtola, quæ diuturnior erit, atque in multorũ manus venire poteſt, ſapientũq. oculos ſubire, ſi ea ſecũ ferat, quæ dedecẽt Religioſũ, abhorrent à ſenſibus piorũ hominũ, diſcrepant à ſpirituali prudẽtia; quàm frons facieſque loquentis, cuius voces, vt prolatæ ſunt, diſpereunt.

Io. Capiſt. c. 10. ordinat. S. Bon. p. 3 ſpec. c. 3. Monita generalia n. 4.

Cic. l. 5. ep. ad famil. ep. 12.

28 Poſtremo in forma ſcribendi ſplendeat religioſitas: quæ quatuor rebus cõſtat: charactere dicendi; ſalutatione, quæ præmittitur; clauſula, qua finitur epiſtola; & nominis ſubſcriptione. Quod attinet ad primũ: Locutio in epiſtolis Religioſorum debet eſſe in genere dicẽdi medio, ſeu tẽperato, nõ extremo: ſimplex, nõ fucata: in tota dictione bene morata. Locutione tẽperata ſermonẽ quendam infimũ plebeium atq. humi ſerpẽtem excludo. Nam in litteris ſerijs, quales eſſe oportet Religioſorũ, is locum non habet. Dominetur in epiſtolis iocoſis, ludicris, ſcurrilibus ſæculariũ, qui pfectioni minime ſtudẽt. In quorũ numero erat M. Tullius cũ ſcribebat, nõ ad Cæſarẽ & Pompeiũ viros graues de rebus maximi momẽti, ſed ad Papiriũ Pætũ de nugis: quocũ agere ſe plebeio ſermone confitetur. Ceterũ nec in alterũ extremũ, id eſt ſublime gen⁹ ſeſe efferat; quia decorũ haudquaquã ſeruaretur. Prudenter in hoc idẽ Cicero: *Quid*, inquit, *ſimile habet epiſtola, aut iudicio, aut cõcioni?* Granditas dictionis in orationib. iudicialibus & concionibus regnare ſolet. Id ſignificat Symmachus, cum ait: *Vt in veſtitu hominũ ceteroq. vitæ cultu, loco ac tẽpori*

Cic. l. 9. ad famil. ep. 21.

Symm. l. 4. ep. 9. ad fil

apta ſumuntur: ita ingeniorum varietas in familiaribus ſcriptis negligentiam quandam debet imitari; in forenſibus vero quatere arma facundiæ. Supra mediocritatem attollere ſeſe ſtilum in epiſtolis permetum licebit, cum materiæ grauitas expoſcit; quod factitaſſe interdum Sanctum Hieronymū, Auguſtinum, Leonem, Baſilium, Ambroſium, obſeruabit eorum operum ſtudioſus. Secundo loco ſimplicem eſſe optarim dictionem; quæ proprietatis amans, nihil affectatum habet in verbis, nihil fucatum in ornamentis; audaces translationes, exaggerationes, & phaleras repudiat. Innuit id M. Tullius, vbi ait: *Epiſtola vero quotidianis verbis texere ſolemus.* Quid iuuat vocabula exquiſita, obſoleta, inuſitata, neſcio vnde eruta, in epiſtolam familiarem transferre? Venit in hanc ſententiam L. Seneca; qui amico conquerenti minus accuratas epiſtolas à ſe mitti, reſpondet per hæc verba: *Quis enim accurate loquitur, niſi qui vult putide loqui?* Non reijcit hic accurationem, quæ pars eſt prudentiæ, quæque pertinet ad emēdationem proprietatemque ſermonis, ſed illam arcet, quæ locutionem affectatam facit, & ſimplicitatem euertit. Idcirco ſubdit: *Qualis ſermo meus eſſet, ſi vna ſederemus, aut ambularemus, illaboratus ac facilis; tales eſſe epiſtolas meas volo; quæ nihil habeant arceſſitum, nec fictum. Si fieri poſſet, quid ſentiam oſtendere, quàm loqui mallem.* Ennodius è claſſe Chriſtianorum, ſcribens ad Olybriū, multus eſt in hac poſitione probanda. Inter cetera hæc ait: *Vt tradit quadam eloquentia perſona ſublimis; lex eſt in epiſtolis negligentia.* Innuit Symmachum, cuius verba retuli. Negligentia, quam requirunt, non negligit duas commemoratas virtutes locutionis, per quas efficitur emendata & propria; ſed prætermittit phaleras & fucum; & in

Cic. l. 9. famil. ep. 1.

L. Sen. ep. 75.

Ennod. l. 1 ep. 13. ad Olybr.

in verbis priſcis, metaphoriſque inſolentibus captandis eſt indiligens. Hoc eiuſdem Ennodij ſequentia verba declarant: *Epiſtolaris communio, ſi quando affectatum decorem fugit, obtinuit.* Conſonat prædictis grauiſſima Sancti Gregorij ſententia de gratia epiſtolarum ſcribentis ad Nicobulũ; & pręcipientis ſophiſtarum vitari characterem: *Figuras*, inquit, *admittemus, ſed & has quoque perpaucas, & non inuerecundas: oppoſita vero, alluſiones, & paria membra ſophiſtis proijciemus. Quod ſi alicubi etiam adhibeamus, hoc vt ludentes potius faciemus, quàm ſerio agentes.* Illuſtrat ſuam ſententiam apologo, quem accepit ab erudito viro dicẽte: *Quando aues de regno diſceptabant atque aliæ aliter ſe exornaſſent, Aquilę pulcherrimum fuiſſe, quòd non putaretur eſſe pulchra:* Inde infert vir ſanctus concluſionem: *Hoc etiam in epiſtolis potiſſimum obſeruandum eſt, quod incomptum eſt, & proxime ad naturam accedit.* Denique quod idem Seneca ſentiebat de dictione docentis in ſchola philoſophię moralis; idem ego cenſeo de locutione ſcribentis epiſtolas religioſas: *Non ieiuna*, inquit, *eſſe & arida volo, quæ de rebus tã magnis dicentur: neque enim philoſophia ingenio renuntiat: multum tatum tamen operæ impendi verbis non oportet.* Hunc characterem & mediocrem & ſimplicem amplexi ſunt ſancti viri, qui multas epiſtolas ſcripſerunt, Gregorius Nazianzenus, Iſidorus Peluſiota, Gregorius Papa, Petrus Damiani, Bernardus, & alij ſcriptores epiſtolarnm religioſarum. Veteres illos imitati ſunt recentiores, vt Ioannes Auila ſæpe memoratus; Beatus Franciſcus Xauerius & Gonzalus Silueria in regno Monopotapę, ob fidei Chriſtianæ prædicationem occiſus: cuius ſimplicitatem in epiſtolis commendat nominatim vitæ ſcriptor. Multo magis in horum omnium epiſtolis

S. Greg. Naz. ep. 209. ad Nicol.

L. Sen. ep. 75.

Nic. Codign. l. 1. vitæ. c. 7.

lis floret morata locutio (quam poſtremo loco re-quirebam) quoniam ſanctitate morum & ipſi florebant. Moratã appello, in qua ſplendeſcunt religioſi mores; & in primis modeſtia, ſubmiſſio, pietas, ſinceri animi cãdor, ſimplicitas, & charitas nõ ſimulata, ſed vera. Lõgũ eſſet diſſerere de ſingulis. Talis ſit epiſtolæ ſermo, qualem dixi eſſe oportere ſermonẽ Religioſorum, cum regulam quadrageſimã ſecundam communium explanarem. Pari gradu calamus & lingua procedant, vt vtriuſq. partus ſit æque ſpiritualis. Atq. vt ex habitu cultuque corporis agnoſcitur religioſa profeſſio, ſic è ſtilo quoq. eadẽ cognoſcatur, vt vere lector epiſtolę dicere queat: *Loquela tua manifeſtum te facit*. Non pellucebunt præſcriptæ virtutes, ac mores religioſi, niſi ablegentur ex epiſtolis noſtris formæ quædam ſcribendi, figurę, locutioneſq. ſęcularem & aulicam conſuetudinem redolentes, quæ religioſitatem inobſcurant. Monent id magiſtri ſpirituales, ſed eas non referunt, quoniam colligere difficillimum eſt. Merito vetant; quia religioſa vita longo interuallo diſtat ab aulica: mores à moribus differunt: & væ nobis Religioſis, ſi cum aulicis conueniamus in moribus: quoniam illorum verba & epiſtolæ (bonos exceptos volo, qui non deſunt) reſperſæ ſolent eſſe adulationibus, aſſentationibus, inanibus officijs, ſimulatis promiſſionibus, iocis ſæcularibus, dicterijs, quæ clam pungunt. Et quia vnaquæque Religio ſuos habet bonos mores, tum in loquẽdo, tum in ſcribendo, retineat eos, & non commutet in aulicos.

Ad reg. 42. comm.

Matt. 26. 73.

29 Quod attinet ad ſalutationẽ, dico præmiſſã ſalutationem aliquã epiſtolis ab omnibus nationibus, quæ barbariem exuiſſent, bonum aliquod precantem ijs, quibus ſcribebant. Græci veteres preponebant χαίρειν καὶ εὐπραττεῖν, hoc eſt, *Gaudere, & bene*

bene agere: quorum poſterius verbũ Plato videtur prim⁹ vſurpaſſe, vt ipſe ſignificat. Diſcipuli Pythagoræ magiſtrũ ſecuti præſcribebant ὑγιαίνειν, hoc eſt *Valere*, ſeu *Sanũ eſſe*, quòd verbũ hoc putarẽt animo & corpori accommodatum. Vſi ſunt etiam εὐδιάγειν, id eſt *Feliciter degere*. Latini, qui adhibuerunt ſalutẽ, videntur approbaſſe Pythagoreorũ morẽ. Iudæi *Pacem* præponebant, vt tradit Tertullianus, cũ ait: *Nam & hodie Iudæi in Pacis nomine appellant, & retro in ſcripturis ſic ſalutabnat. At Paulus non vtique ſalutem præſcribit iis, quibus ſcribit, ſed gratiã & pacẽ.* Obſeruat quoq. præferri gratiam paci, vt à Iudaico recedat more. Quæ poſtrema Tertulliani coniectura, non mihi eſt adeo probabilis, vt propterea Pacem Chriſti primo loco in epiſtolis vitare debeamus, cum Saluator poſt reſurrectionem, ſolam Pacem ſuis diſcipulis in ſalutando precatus ſit. Probabilius loquitur Sanctus Hieronymus; qui pacem ex gratia naſci exiſtimãs, gratiam præpoſuit, cum ait: *Et omnes epiſtolæ eius, Pauli, in ſalutationis principio, non prius pacem habẽt, & ſic gratiam: ſed ante gratiam, & ſic pacem, vt donatis nobis peccatis noſtris, pacem Domini conſequamur.* In vniuerſum Apoſtoli nos docuerunt præſcribere ſalutationem epiſtolis, quæ donũ aliquod ſupernaturale ac diuinũ nobis à Deo precetur, vt obſeruat S. Auguſtinus. Itaq. Petrus Gratiam & pacem optat. Paulus gratiæ & paci nonnumquã interpoſuit miſericordiam, quod & fecit S. Ioannes. Miſericordiam, pacem, & charitatem præſcripſit S. Iudas. Cum Iacobus precatus eſt ſalutẽ, intellexit animæ ſalutem, non corporis; quemadmodum & Apoſtoli in epiſtola Synodica ad Gentes. Hos ſequuntur Romani pontifices eodem ſenſu, auctore Cleto, cum in ſuis litteris precantur nobis *Salutem & apoſtolicam benedictionem*.

Plato ep. 3 ad Dion.

Lucian. de lapſu in ſalut.

Tertull. l. 5 adu. Marc. c. 5.

S. Hier. ep. 139. ad Cyprian.

S. Aug. l vn. in ep. ad Rom.

1. Petr. 1. 2
1. Tim. 1. 2.
2. Io. ep. 3.
Iud. ep. 1. 2.
Act. 15. 23.

Breuiar. in vita Cleti. 26. Apr.

San-

S. Chryſ. hom. 9. in ep. Coloſſ. 3.

S. Chryſoſtomus interpretans ea verba Pauli, vbi ſuadet omnia fieri in nomine Domini, cum dixiſſet id eſſe, in omnibus Deum adiutorem inuocare, ſubdit: *In omnibus eum orans prius, rem aggredere. Vis aliquid loqui? hoc præpone: & ideo nos quoque in epiſtolis nomen Domini præponimus. Vbi fuerit nomen Domini, omnia ſunt fauſta & felicia.* Hæc Chryſoſtomus; vnde habes Chriſtianos cõſueuiſſe præfigere epiſtolis nomen Domini; quod me puero adhuc factitabant vel ipſi mercatores. Conſuetudinem præfigendi ſignum crucis, tum epiſtolis, tum ſubſcriptionibus epiſtolarum, tam à regibus & laicis, quàm ab Eccleſiaſticis, vetuſtam eſſe, multis probat Iacobus Gretſerus noſter; eratque in vſu S. Franciſco, teſte Sancto Bonauentura in eius vita. Piam Apoſtolorum conſuetudinem ſecuti viri ſancti, & præcipue Religioſi, præfixerunt epiſtolis aliquam ſalutationem, qua donum ſpirituale optarent ei, cui ſcribebant, nomine Dei vel Chriſti etiam implicito. Sidonius Apollinaris ſignificat interdum vſitatum *Aue* pro ſalutatione epiſtolari, vt obſeruat Iacobus Sirmondus noſter. Quæ ſalutatio nobiliſſima & ſanctiſſima eſt, quoniam ea Mariam Gabriel ſalutauit. Et quamuis reſpondeat Græco verbo χαῖρε, ex Beato Hieronymo, & ex interprete vulgato, tamen alio ſenſu à Chriſtianis vſurpabatur, quàm à Græcis priſcis χαίρειν. Gaudium enim ſpirituale precabãtur Chriſtiani diuerſum à gaudio Ethnicorũ, quod corpus ſpectabat potius, quàm animam. Pacem & dilectionem in Chriſto præpoſuit Iuo Carnotenſis epiſcopus. Benedictionem Dei, vitæ ſanctitatem, æternam felicitatem Sanctus Anſelmus. Spiritum compunctionis, regnum cælorum Sanctus Bernardus. Salutem & veram in Domino dilectionem, ſalutem æternam, gratiam & be-

Iac. Gretſ. t. 1. de Cruce l. 1. c. 19. S. Bon. c. 4 vitæ S. Fr.

Sidon. l. 9. ep. 9.

Iac. Sirm. in not. ad Sidon. l. 1.

S. Hier. l. 1. 1a c. 10. Matt.

& benedictionem, Venerabilis Petrus Cluniacẽſis. Iubilum cordis, fraternæ charitatis affectum Petrus Damiani. Exempli gratia hæ ſalutationes epiſtolares referuntur: nam ijdem alias, & alij ſcriptores illorum temporum itidem alias ſimiles habent; quas fere tempori, & perſonæ, & argumento epiſtolæ accommodant; quod maxime videre licet apud Sanctum Bernardum. Poſterioribus ſæculis Monachi Cæleſtini præſcripſerũt ſuis, vt pro ſalute, ſubditis Superiores benedictionem in Domino precarentur. Beatus Ignatius noſter in aurea epiſtola de obedientiæ virtute, & in altera de perfectione, ſocijs exoptat Gratiam & amorem Chriſti ſempiternum. Similem ſalutationem habet epiſtola ad Gulielmum IV. Bauarię ducem, quam refert Matthæus Raderus noſter in vita Petri Caniſij: ſimilem in epiſtola ad Ioannem Moronum Cardinalem, cuius autographum legi. Matt. Rad l. 1. vitæ Caniſ. c. 10

Vnde habemus vſum virum beatum hac ſalutatione, etiam cum ſcriberet ad extraneos, tum laicos, tum Eccleſiaſticos, vel in magna dignitate conſtitutos. Non deflexit Beatus Franciſcus Xauerius à Magiſtri via, qui gratiam & charitatem adhibet litteris ſuis. Non deflexerunt alij omnes, qui nos præceſſerunt, docti iuxta ac pij viri, qui in epiſtolis etiam ad ſæculares datis, Pacem Chriſti precabantur in initio. Ex hac longiori diſſertatione colligo, quæ ad religioſitatem epiſtolarum ſpectãt. Primũ à Religioſis ſignũ crucis epiſtolarũ initio permittendum eſſe; quod à Laicis, qui ſcintillam aliquam Chriſtianæ pietatis conſeruant, non omittitur. Deinde aliqua ratione Deum eſſe inuocandum, ſiue in nomine, ſiue in ſalutatione: quod Chriſtianos vel laicos feciſſe diu, probatum eſt. Atque in hoc, quilibet Ordo ſuas leges, ac mores ſeruet, quos non dubito, quin pij ſint in

Ordinis

Ordinis initijs introducti. Noſtra Societas ſuum vt ſpero, morem retinebit in perpetuum, vt Pax Chriſti &c. pro inuocatione Dei, & ſalutatione ſpirituali ad quoſcumque ſcribat, vtatur.

30 Sequitur de clauſula epiſtolæ dicendum: quæ ab aulicorum officioſis formulis longe abeſſe debet, vt religioſa dici queat. Certa regula tradi non poteſt; prudentia religioſa diſcernat. Sanctus Paulus in epiſtolarum fine Gratiam exoptabat, vt videre licet in omnibus fere epiſtolis, & hanc vocat ſignum ſuum in poſteriore ad Theſſalonicens. Verba ſunt hæc: *Gratia Domini noſtri Ieſu Chiſti ſit cum omnibus vobis. Amen.* Vbi Sanctus Chryſoſtomus ſubindicat ſalutationem illorum ſanctorum eſſe precationem quandam, non ſolum amicitiæ ſymbolum, ſed etiam afferentem lucrum ſpirituale. Sanctus Petrus quoque in fine ſuarum epiſtolarum gratiam & gratiæ incrementum Chriſtianis, ad quos ſcribit, precatur. Quem imitatus eſt Sanctus Ignatius martyr, vt teſtatur Sanctus Gregorius Papa vtriuſque imitator in epiſtola ad Anaſtaſium Antiochenum epiſcopum. Vidi viros pios, ſeniores iunioribus, ſuperiores ſubditis ſæpe cæleſtia dona in epiſtolarum calce precari. Inter ceteras religioſas clauſulas, eæ ſunt frequentes apud ſanctos patres & magiſtros perfectionis, quibus preces, ſacrificiaque, vel offerimus, vel pollicemur, vel fieri ſignificamus ijs & pro ijs, quibus ſcribimus: aut eorumdem orationes expoſcimus varijs modis, quos facile annotabit, qui Baſilij, Nazianzeni, Gregorij, Alchuuini, Bernardi, & his ſimilium attente leget epiſtolas. In epiſtola ſacerdotum Iudæorum, qui Reip. prçerant tempore Machabæorum, hæc habentur, quæ imitentur Religioſi: *Nos ergo in omni tempore, ſine intermiſſione, in diebus ſolemnibus & ce-*

2. Theſſ. 3. 17. 18.

S. Chryſ. orat. 5. in 2. Theſſ.

S. Greg. l. 4 reg. c. 81. ep. 37.

1. Machab 12. 11.

& ceteris, quibus oportet, memores ſumus veſtri, in ſacrificijs, quæ offerimus, &c. Hunc morem petendarum orationum in fine epiſtolarum, apoſtolicũ fuiſſe, monet Sanctus Auguſtinus: cuius vehementem petitionem placet hoc loco in exemplum proferre, cum ad laicum hominem ſcriberet. *Cum autem ibi me inueneris* (in libris confeſſionũ) *ora pro me, ne deficiã, ſed proficiã, ora fili mi, ora. Sentio quid dicam; ſcio quid petam; non tibi videatur indignum, & quaſi vltra merita tua. Fraudabis me magno adiutorio, ſi non feceris, non ſolum tu, ſed etiam omnes, qui ex ore tuo dilexerint. Orate pro me. Hoc eis me petiuiſſe indica; vt ſi multum nobis tribuitis, iuſſiſſe nos exiſtimate, quod petimus; & tamen date petentibus, vel obtemperate iubentibus. Orate pro nobis*, & alia in eandem ſententiam. Vſitatius eſt ab Eccleſiaſticis poſtulare preces. Gregorius ab epiſcopis Alexandrino & Antiocheno petit his verbis: *Pro me autem, ſicut veſtram cariſſimam beatitudinem decet, orate, vt hoc quod vobis loqui audeo, operibus oſtendam.* S. Aug. ep. 264. ad Dar. com. S. Greg. l. 4 reg. c. 10. ep. 36.

31 Poſtrema nota religioſitatis erit in ſubſcriptione ꝓprij nominis, ꝗ hoc ſæculo finit epiſtolã, vt antiquiſſimis tẽporibus inchoabat: qui mos in epiſtolis à pontificibus retinetur. Antiquiſſimis dixi; quoniam ætate S. Chryſoſtomi, noſtri ſæculi mos inualuiſſe videtur. Expendens enim Apoſtoli verba in fine poſterioris epiſtolæ ad Theſſalonicẽſes ſcripta: *Salutatio, mea manu Pauli; quod eſt ſignũ in omni epiſtola. Ita ſcribo. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cũ omnibus vobis. Amen*: Ait S. Doctor: *Non ideo dicit, quid iſtud ſit ſignum. Potuiſſent enim illud & alij imitari, ſed quoniam ſalutem meam, inquit mea manu adſcribo, quemadmodum & apud nos iam fieri ſolet*: Ne Theſſalonicenſes deciperentur ſuppoſititijs litteris (quod eueniſſe ſignificat per il- S. Chryſ. ſer. 1. in 2. Theſſ. 2. Theſſ. 3. 17. 2. Theſſ. 2. 2.

la verba: *Neque per epiſtolam tamquam per nos miſſam*) adhibendum aliquid manu ſua cenſuit Paulus in fine litterarum: vnde viri prudentes exiſtimant, hunc noſtrum morem ſubſcribendi nominis deueniſſe, atque Apoſtolo initia huius optimæ conſuetudinis deberi. Nomini proprio cognomē addendum eſt, vt ſcriptor cognoſcatur, ab ijs præſertim, quib. nō ſit ſcriptor familiaris. Cum cognomen dico, illud intelligo, quod in vnaquaque Religione vſitatum eſt. Antiquiores Ordines abiecto nomine familiæ ſeu gentis, iubent ſuos vti nomine patriæ pro cognomine, vt hic dicatur Ægidius de Roma, ille Gregorius de Arimino. Suas habuerunt laudabiles rationes. Aut enim, cum mos introductus eſt, non erat vſus gentilitiorum cognominum æui noſtri: aut voluerunt eos paternæ domus obliuiſci: aut qui nobili genere nati erant ex humilitate reliquerunt claræ familiæ vocabulum; & hos ceteri ſecuti ſunt. Recentiores Ordines clericorum regularium cognomina gentilitia cuique retinere permittunt, nec ſine ratione. Nam viderunt patriæ vocabulo non poſſe omnes diſtingui, ſi quando accidat plures eiuſdem nominis ex eadem ciuitate in Religionem veniſſe. Multi enim Ioannes de Mediolano reperiuntur, multi Franciſci de Neapoli. Quo ſit, vt tandem ad gentis cognomina ſit redeundum. Deinde noluerunt patriæ vocem vſurpari à ſuis Religioſis, vt patriæ obliuiſcerentur. Adde quòd humilitas exercetur etiam ab ijs, qui obſcuris natalibus nati ſunt. Eſt autem ſubſcriptio hęc iungenda cum humilitatis ac reuerentiæ ſignificatione; quia id inter laicos ipſos, ac principes & Cardinales vſitatum eſt. Quanto id magis Religioſis conuenit? Venit in mentem Franciſco Borgiæ, qui ex Duce Gandiæ factus noſtræ Societatis religioſus, obijt

Præ-

Præpoſitus totius Ordinis, ad vitandum ſplendorem cognominis, ſcribere ſe Franciſcum peccatorem; imitatione, vt opinor, quorumdam ſanctorum virorum, qui id fecerunt, vt B. Petri Damiani, quod in eius epiſtolis legitur; vt S. Iſidori, quod aſſerit Andreas Schotus noſter: vt Petri, qui fuit ſucceſſor Ioannis de Deo in cura hoſpitalium. Verum ab ea conſuetudine reuocatus fuit per B. Ignatium parentem Societatis tunc viuum, tamquam à modo ſingulari, & qui alioqui omnibus mortalibus conuenire poteſt. Humilitas declarabitur ſi ſeruos nos dicamus eius, cui ſcribimus, vt fecit Seuerus ſcribens S. Paulino; quod ex huius ad illum epiſtola prima colligimus: quamquam humilitas Paulini non id approbaſſet. Maior virtutis huius ſignificatio erit, ſi humiles, ſi indignos, ſi obedientes dicamus; ſi ſuperlatiuis vtamur, habita ratione dignitatis perſonæ, cui ſcribitur. Dixi nomen & cognomen eſſe ſcribendum; quia nomen ſolum non gigit cognitionem, ſcribentis, & mos regum eſt. Cognomen ſolum habet eãdem obſcuritatem; præſertim ſi ſint in eadem Religione plures eiuſdem gentis & familiæ. Pręterea hic vſus videtur olere neſcio quid arrogantiæ ſæcularis; & tum maxime, cum cognomen eſt nobilitate ſpecioſum. Omittere vtrumque non expedit, & litteræ incertæ atque otioſæ redduntur ſine vtroque. Incertæ quidem: quoniam teſte S. Chryſoſtomo, *Ex ſubſcriptione certæ & notæ redduntur mittentium litteræ.* Otioſæ vero, quòd ijs nulla fides haberi debet ex vtroq. iure; cuius teſtimonia collegit Emmanuel Rodericus in quęſtionib. regulariũ. Proinde merito propoſitis pœnis Caſinẽſes eas vetuerunt, quia fraudis alicuius videntur eſſe ſuſpectæ. Poſtremo religioſam ſeruitutem ſignificabimus, ſi ſermo addamus *in Domino*, aut *in Chriſto*; quẽadmodũ eos,

And. Schot. l. 4. vitę Borg. c. 1.

Fran. Caſtro. c. 24. vitæ Io. de Deo.

Rib. l. 4. vitę Borg. c. 1.

S. Paulin. ep. 1. ad Seuer.

S. Chryſ. ſer. 1. in 2. Theſſ.

Em. Rodé. t. 2. q. 6. ar. 10.

Caſin. p. 1. conſt. c. 44

Sidon. l.9. ep. 14. & 16. ad quos ſcribimus, *Patres, Dominos, fratres in Chriſto* dicere cõſueuimus, ſi nõ ſint natura parentes &
Ennod. l.6 ep. 36. l.7. ep. 25. fratres. Hunc morem apud veteres doctos pioſq. viros reperi. Leges apud Sidonium, *Patrone in Chriſto*: apud eumdem atque apud Ennodium,
S. Hier. ep. 31. 37. 40. 46. *Vale*, ſeu *Valete in Chriſto*: quomodo item locutus eſt S.Hieronymus, qui & *Filiam in Chriſto* ſcripſit. Quamobrem & nos, quos Dominos, & patres in Chriſto diximus initio litterarum, iiſdem in fine ſcribamus nos eſſe ſeruos & filios in Domino, ſeu Chriſto: hoc eſt per Chriſtum, & propter Chriſtum, cum vere non ſimus eorum filij natura, aut adoptione; neque ciuili, aut bellico iure ſerui.

Finis ſecundi Tractatus.

DE

DE PECVLIARIBVS PAVCORVM AMICITIIS E QVOLIBET COENOBIO

Et præcipue Religioſorum exterminandis.

TRACTATVS ASCETICVS III.

1 IN cœtibus multorum vna viuentium; ſiue ſint adoleſcentiuin cœnobia laudabili Pythagoræ exemplo inſtituta; ſiue clericorum ſeminaria concilij Tridentini ſapientiſſimo iuſſu facta; ſiue domicilia Religioſorum doctore Chriſto erecta; interdum exiſtunt quædam paucorum, non tam amicitiæ, quàm furtiui conuentus, priuatæ ſeceſſiones, & clandeſtinę

Agell. l. 1. c 9. Laert. l. 8. in Pythag. Iuſt. l. 20. hiſt. Conc. Trid. ſeſſ. 23. de reform. c. 18.

Digitized by Google

ſodalitates: quæ vel iucundioris familiaritatis; vel alicuius voluptatis & commodi, vel etiam nouandarum rerum gratia; cum offenſione fraternitatis, extinctione ſpiritus, euerſione domeſticæ diſciplinæ, ac nonnumquam cum magno familiæ totius damno contrahuntur. Dæmonis manifeſta fraus eſt; qui cum non poteſt aperto prælio ſtudentium virtuti collegia, & religioſos Ordines euertere; per cuniculos inſidioſe clanculum oppugnas, hoc eſt per ſimulationem fraternæ charitatis; vt tandem aliquando factis rimis ſubruantur, & proprijs ruinis ſepeliantur. Has inſidias eſt animus patefacere, tum gubernatoribus huiuſmodi congregationum; quorum eſt præmunire ſibi creditas cœnobiorum arces, ad omnes impetus hoſtis; tum ſubiectis cuiuſcumque generis, laicis, clericis, Religioſis, qui ſuæ ſaluti perfectioniq. conſulentes, præcauere debent hos inſultus, occultos quidem, ſed maxime pernicioſos.
Cognitus fuit hic peſtilens morbus priſcis monachorum magiſtris Pachomio, Baſilio, Ephræmo, Caſſiano, Caſſiodoro, Dorotheo, Climaco: non ignotus recentioribus Bernardo, Bonauenturæ, Vincentio, Laurentio: perſpectus plane recentiſſimis magiſtris vitæ ſpiritualis & Religioſorum moderatoribus: quorum omnium grauiſſimas ſététias, ad huius vitij deteſtationem, in decurſu tractatus, ipſorum verbis producam. Ab ijſdem me didiciſſe profiteor omnia fere, quæcumque in hac diſputatione dixi, monui, præcaui; fraudes Dæmonis primarij magiſtri, dolos, aſtus, arcana, conſilia, deſtinata, fallacias eorum, qui temquam Dæmonis ſatellites incautos ſimpliceſque illaqueant: errores, ineptias, angores, damna eorum, qui fucatis hiſce amicitijs irretiuntur.
In nouem capita tractatum partiar. Primum de-

ſcribet

ſcribet generatim, quid ſit amicitia, quam damnant magiſtri virtutis. Secundum dabit ſpecies huius amicitię, cum fine, atque effectu cuiuſque ſpeciei. Tertio capite demonſtrabitur, quàm multis nominibus ea ſit vniuerſæ communitati pernicioſa & deteſtanda. Quartum oſtendet eam illis ipſis, qui ſe in illam implicuerint, eſſe damnoſam. Quintum reſpondebit ad obiecta, vel excuſationes, quæ opponuntur. Sextum producet indicia, ſiue argumenta deprehendendæ priuatæ amicitiæ: vel ad extirpationem pro Superioribus: vel ad fugam pro ſubditis, ne irretiantur. Septimo proponentur remedia Superioribus ac moderatoribus cuiuſcumque generis cōgregationum, & magiſtris vitæ religioſæ, vt præcaueantur, atq. ablegentur à communitate quacumque. Octauo dabuntur ſubditis, tum cautiones, quibus laqueos huiuſmodi vitent, antequam capiantur; tum monita, ſiue adminicula, per quæ, qui iam illaqueati ſunt his amicitijs, facilius extricentur. Nonum ac poſtremum caput docebit, qualis & quatenus amicitia ſit in omnibus conuentibus, & præcipue religioſis, laudabilis ac ferenda.

†

CAP. I. *Quid ſit amicitia damnata.*

1 NVſquam legi definitam generatim hanc amicitiam, quam omnium calculis damnatam video. Fingam ipſe deſcriptionem, quæ dicatur eſſe ***Sodalitas paucorum, vel ab affectu, vel à praua voluntate, Dæmonis aſtu, per coniurationem clandeſtinam conflata, ad moliendum aliquid, quod ſit contra leges.*** Ariſtoteles in rhetoricis multas amicitiæ ſpecies eſſe indicat: ſed tres tantum exempli gratia memorat. Græce ab eo dicuntur Ἑταιρία, ὁμοιότης, συγγένεια. Latine redduntur à M. Antonio Maioragio, *Sodalitas, neceſſitudo, cognatio*: qui exiſtimat ſodalitatem eſſe amicitiam eorum, qui sūt eiuſdem collegij in leuioribus rebus: neceſſitudinem, arctiorem amicitiam, quæ contrahitur ex aſſidua conſuetudine ac familiaritate: cognationē uero illorum amicitiam eſſe putat, qui ſunt eiuſdem gentis ac familiæ. Ad hanc equidem reuoco illam conſpirationem, quæ nonnumquam deprehenditur inter eos, qui ſunt eiuſdem ſanguinis & nationis. Ὁμοιότης, ſeu neceſſitudo mihi videtur potius ſodalitatis effectus, quā amicitia; quia, qui ſodalitatem contraxerunt, frequenter inter ſe conuerſantur, & aſſidua familiaritate gaudent ac fruuntur. Itaque reſtat Hetæria: quæ, quia ſolet eorum eſſe, qui ſunt eiuſdem collegij, atque in rebus leuioribus, cuiuſmodi ſunt apud Maioragium, ludi, ioci, conuiuia reperitur, ſimillima eſſe mihi videtur amicitiæ reprehenſibilis, de qua diſputamus: proinde conſtituitur tamquam genus in deſcriptione, quam adumbraui, *Sodalitas.* Neque vero propterea quòd ſub ſodalitate vitupe rabilem hanc amicitiam colloco, quiſquiam exiſtimet eſſe veram amicitiam. Primum enim Ariſtoteles

Ar. l. 2. rhe. c. 9.

Maiorag. l. 2. rhet. c. 9.

ſtoteles in rhetoricis, vt obſeruant interpretes, diſputans de amicitia, non accuratiſſime loquitur, ſed ad Vulgi ſenſum: proinde hæc hetæria, ſi ad Lydium lapidem doctrinæ moralis in libris ethicorum, cum amicia vera componatur, ex facili cognoſcetur, quantum ab amicitia perfecta deficiat. Ipſemet Philoſphus pronuntiat in ethicis, omnes amicitiæ ſpecies, præter illam veram, quæ proborum eſt, omneſque ſodalitates, amicitias quidem nominari poſſe, quod ita Vulgus nominet; ſed nõ niſi per ſimilitudinem quandam amicitias eſſe; ſodaleſque earum, non amicos abſolute, ſed ex accidenti. Quemadmodum, inquit Euſtratius, homo dicitur tantum abſolute ac vere medicus: inſtrumenta vero, & medicamenta per ſimilitudinẽ ac minus proprie medica vocitãtur. Deinde huic damnatæ ſodalitati deſunt ea, quæ faciunt amicitiam veram; fundamentũ probitatis; finis honeſtus; beneuolentia & amor amici gratia; non amãtis; & alia, quæ philoſophi morales tribuunt amicitiæ veræ. In quibuſdam autem peccat per exceſſum, trahens ſodales ad conuerſandum plus quã oportet, in locis ac temporibus, quibus minime oportet, detinétque eos in iocis, ludis, actionibus, quæ non decent. Quapropter imitatione Ioannis Caſſiani, qui ſodalitatem quorumdam improborũ inter amicitiarũ genera vtcũq. numerauit, amicitiam falſam putabo, amicitiam per catachreſim dici poſſe permittam. Quemadmodum etiam Sanctus Auguſtinus: qui negat amicitiæ nomen illi, *quam facit mala conſcientia. Paucorum* dixi prauam hanc ſodalitatem eſſe; quia duo, vel tres, vel paulo plures eſſe ſolent. Non multi conſpirant: quoniam facillime multorum conſociatio, quam cupiunt eſſe occultam, patefit: quod

Ar. l. 8. eth c. 4.

Euſtr. l. 8. eth. c. 4.

Caſſ. coll. 16. c. 2.

S. Auguſt. hom. 38. c. 2. inter L.

quòd inter multos ſit ſemper aliquis rimarum plenus, & incautus cuſtos arcanorum. In his magiſtrum habeo S.Baſilium,qui τῆς ἑταιρίας,hoc eſt ſodalitatis nomine, deſignat has falſas amicitias, & docet eſſe ſolere paucorum. Verba S.Patris hæc ſunt in conſtitutionibus: *Charitatem quidem habere inter ſe mutuam fratres debent; non ita tamen, vt duo treſue ſeorſum à ceteris ſodalitatẽ inter ſe coeant.Quandoquidem hoc,non charitas eſt,ſed ſeditio & diuiſio;et eorum, qui ſic coeunt, improbitatis indicium.* Et paulo poſt repetit ſodalitatis & ſocietatis vocem: *Quocirca danda ſtudioſe opera eſt, ne vllus omnino in conuentibus,ſodalitatibus iſtiuſmodi locus detur:ne violata charitatis obſeruatione,ſocietatem quis cum Fratre aliquo iungat,qui improbe agere,& communis diſciplinæ iura velit peruertere.*

S.Baſil.c. 30.conſtit. mon.

3 Effectricem cauſam huiuſcemodi amicitiæ conſtitui, vel affectum, vel prauam voluntatem. Hæc voluntas illarum ſodalitatum mater eſt, quę inter ſeniores contrahuntur ad res nouas moliendas,aut ſuperiorem oppugnandum,de quibus poſtea.Ille affectus parens eſt earum, quæ finem habent iucunditatem voluptatemque aliquam; & inter iuniores potiſſimum conciliantur. Caſſidorus in libro de amicitia, qui paucis ab hinc annis prodijt,præclare definit affectum(quòd attinet ad præſentem diſputationem de amicitia)cuius referre verba laboris pretium eſt. *Affectus*, inquit, *eſt erga aliquem, quædam animi ſpontanea, dulciſque, ac ſuauis inflexio*. Partitur poſtea hunc affectum in quinque ſpecies; in ſpiritualem, rationalem,officialem,naturalem,carnalem. Primum,qui ſpiritualis eſt, immitti docet à Deo. Rationalem ait ex auditu naſci, & excitari per virtutis alienæ conſiderationem. Officialem, eum eſſe cenſet,qui conciliatur

Infr. n.11.

Caſſiod. l. de amic.§. de motu ad defid.

liatur obſequio & officijs. Naturalem agnoſcit in coniugatis, parentibus, conſanguineis. Poſtremo carnalem affectum pronuntiat, affinem eſſe maximè affectui naturali; diuiditque rurſus in duos; alterum manifeſto peſtiferum, *Qui animam hominis ad deſiderium noxiæ voluptatis emollit*; & Dauidem patrem, Salomonemque filium abſorbuit. Alterum vero carnalem, ſi non manifeſte noxium, certe periculoſum, his verbis nobis ob oculos ponit: *Frequenter alicuius hominis, non virtus penſatur, aut vitium, ſed quædam hominis exterioris habitudo, vel motus ad diligendum aliquem intuentis animum impellit: uerbi cauſa, ſi forma elegantior, ſi ſermo urbanior fuerit, ſi competentior habitus, ſi maturus inceſſus.* Moyſes elegantis formæ infans ab hoc affectu in filia Pharaonis excitato, cum aquis expoſitus eſſet, ſeruatus eſt. Spiritualis affectus ac rationalis locum non habent in amicitia vituperata, ſed in vera atque honeſta. Reliqui dominantur in illa. Nam officialis conciliat plurimum amicitiam illam, quæ contrahitur inter iuniorem & ſeniorē. Quamquam poteſt eſſe ſequeſter ſodalitatis quoque iuniorum inter ſe, nec non ſeniorum inter ſe pariter conciliator. Naturalis contrahit illam, quæ inter contubernales & cœnobitas eiuſdem nationis, vrbis & ſanguinis eſt. Adoleſcentium amicitias conflat affectus carnalis: primum quidē ille periculoſus: deinde vero, niſi diligentiſſime caueatur, alter pernicioſus ſeſe ingerit, atque eas peſtifera contagione voluptatis flagitioſæ corrumpit. Amor ſequitur affectum, vt idem Caſſiodorus docet, quoniam affectus radices ſunt & origines amoris. *Non eſt*, inquit, *affectus amor, ſed origo.* Dixerim ego formalem effectum horum affectuum, eſſe amorem talis naturæ, qua-

lis

lis eſt affectus. Itaque ſodalitas adoleſcentium, quam conſociauit affectus carnalis, amore neſcio quo ſodales atque amiculos connectit, qui carnalis dici debet, ab affectu productus, qui conflauit amicitiam, vt copioſius poſtea probabitur.

n. 4 Hic igitur periculoſus amor, quo ſe ſodales harum amicitiarum amant, tribus facibus ac nutrimentis in adoleſcentium animis creſcit in flammam, niſi rore Spiritus ſancti temperetur. Prima fax eſt ſimilitudo. Ecleſiaſticus: *Omne animal diligit ſimile ſibi: ſic & omnis homo proximũ ſibi. Omnis caro ad ſimilẽ ſibi coniũgetur, et omnis homo ſimili ſui ſociabitur.* Hinc diſcimus nõ homines modo, ſed etiam animantes rationis expertes ſimilitudine ſociari, & amicitiam quandam ſodalitatemque contrahere. Philoſophi quoque luminis naturalis ductu (quibus aſſentitur Sanctus Auguſtinus) obſeruarunt ſimilitudine amorem conciliari, tum inter homines, tum inter belluas; atque id varijs prouerbijs expreſſerunt; quæ à Platone, Ariſtotele, Cicerone referuntur: cuiuſmodi ſunt hæc: *Similitudo eſt mater amoris. Simile amicum ſimili. Pares cum paribus facillime congregantur. Semper graculus, cum graculo. Aequalis æqualem delectat.* Porro inter adoleſcentes eiuſdem contubernij, ſeminarij, cœnobij, magna ſolet eſſe ſimilitudo ętatis, ingenij, morum, ſtudiorum. Cum hęc omnia in duobus inter ſe conſentiunt, confeſtim vtriuſque animus ſuapte natura beneuolentia inflectitur atque afficitur aduerſus alterũ, oriturq. illa *συμπάθεια*, hoc eſt interprete M. Tullio, *Conſenſus*, qui conglutinat animos atque implicat amore. Secunda fax ex Ariſtotele, frequens conſuetudo eſt, mutuus vſus, & quotidiana familiaritas. Dixit aliquando ſapiens quidam ſeculi.

Eccl. 13. 19

S. Aug. ho. 38. ex quinquag. c. 2.

Plato in ſymp.

Ar. l. 1. rhe c. 38. l. 8. eth. c. 12.

Cic. de amic. & ſeneſt.

Ar. l. 8. eth c. 5. 12.

Luc. l. 4.

Conſuetudo concinnat amorem.

Qui viuunt in eodem domicilio, vbi vigeat ordo ad bonam educationem directus, ſtatis quibuſdã horis conueniunt in vnum locum & colloquuntur, animi gratia relaxandi à contentione ſtudiorum. Si negligatur ordo, & laxata ſit diſciplina domeſtica, multo frequentius in colloquium veniunt à iucunditate inuitati & tracti, quæ maxima eſt in conſuetudine ęqualium amicorum. Ex crebris colloquijs & congreſſibus creſcit familiaritas; ex familiaritate amor ille iam ex affectu & ſimilitudine genitus augeſcit. Tertia fax eſt natura, mos & procliuitas adoleſcentium & iuniorum, quos magnus Philoſophus ſumme propenſos ad amicitias, atque in appetitionibus acutos ac vehemẽtes eſſe deprehendit. Tranſcribo verba ex octauo libro moralium: *Iuuenes etiam amatorij ſunt: quippe cum ex perturbationis affectu & voluptate multa illa amatoriæ affectionis vis oriatur.* Atq. hæc ideo refero, vt educator multæ ſimul congregatæ iuuentutis, & magiſter morum atque ſpiritus intelligat, iuniores, tum dignos eſſe commiſeratione, ſi quid in hoc genere pecccarint, in quod tam multis machinis impelluntur: tum ſingulari vigilantia cuſtodiendos eſſe ac præmuniendos monitis, præceptis, occaſionibus remouendis, ne in eiuſmodi pedicas ac laqueos incurrant.

Ar.l.1. rhe c.38. & l.8 eth. c.3.

Id.l.2. rhe. c.30. l.8. eth. c.3.5

5 Alteram cauſam efficientem intrinſecam eſſe dixi prauam voluntatem. Harum enim ſodalitatum & amicitiarum, quas non creat affectus, eſt artifex electio deliberatæ voluntatis, ac per malum finem deprauatæ. Qui conſulto ſodalitatem contrahunt, aut conciliant, vel alicuius voluptatis gratia, quam ſuppeditet cibus & potus; vel ſeditionis aduerſus Superiorem, aut Odinem ipſum

vni-

vniuerſum; vel ad altiora conſcendendi cauſa; vel ad obtinenda commoda & obſequia: proculdubio malis his finibus voluntatem deprauant ante, quàm ad ſodalitatem conflandam, ſuam cõuertant induſtriam. Atq. hi minus excuſabiles ſunt, quàm illi, qui ducti ab affectu vehementi ſodalitates ineunt; nihil, aut parum cogitantes de malis, quæ ſubſequi poſſent. Eorum, qui ſponte conſiderateque ſe in amicitias innectunt, eo grauior eſt culpa, quo id maiore cum deliberatione ac proniore voluntate præſtant. Propterea merito Sanctus Baſilius pœnas grauiſſimas, quæ tandem eiectionem è cœnobio contineant, præſcribit ei, *Qui firmatam iam vetuſtate diſciplinam labefactare in animo habeat, ac alios etiam de Fratribus ſecum comites trahat*. Quæ verba deſcribunt eum (vt clarius ex præcedentibus patet) qui ſodalitatem animo ſeditioſo comparat, vt ſanctam ſalutaremque cœnobij diſciplinam euertat. Addideram in deſcriptione, *Dæmonis aſtu*, vt cauſam extrinſecam indicarem. Nihil fere mali fit in nobis, cuius Dæmon non ſit aliquo modo particeps, quà ſuggerendo, quà ſuadendo, quàm ſubminiſtrandis occaſionibus. Proponit obiecta: concitat affectus: refricat memoriam: exſuſcitat phantaſiam; inſtigat per ſegniores ſodales; & quod Itali ſumpto à ſcorpionibus prouerbio dicunt, caudam venenatã in oẽs noſtræ vitæ partes, & actiones immittit.

S. Baſ. c. 30 conſt. mon

Itaque non ſine hoc impoſtore pernicioſas amicitias conglutinari veriſimile eſt. Audiatur S. Ephræm magnus ac vetus vitę ſpiritualis magiſter, qui nobis in hac re fraudes aperit hoſtis acerrimi, modumque decipiendi. *Caute*, inquit, *age Frater, & attende tibi ipſi: multa enim ſunt inſidiæ Inimici. Si enim Fratrem ſobrietati ac vigilijs deditum conſpe-*

S. Ephr. t. 2 in var. doctr. c. 92.

ſpexerit Inimicus, alium ex ſegnioribus aduerſum eum excitat, vt ſæpe etiam manus inter ſe conſerant. Deinde conciliata amicitia, eandem confidenter inter illos auget fraudulentus: non quidem virtutis gratia; ſed vt eiuſmodi amicitia, turbatis illorum mentibus, voluptates inter eos admiſceat, fiatque ingens malum.

6 Adiunxi deſcriptioni, *Per conſpirationem clãdeſtinam conflata*: vt declararem quandam quaſi formam ſodales inter ſe colligantem, & tanquam gluten tantiſper eos connectens, dum commodis ac voluptatibus è ſodalitate quæſitis perfruuntur. Sine conſpiratione aliqua ſtare non poſſent tales ſodalitates; in quibus, quòd abſit diuina charitas, & ſincerus amor amicitiæ verę, oportet eſſe aliquod vinculũ, quod ſodales in vnum adſtringat. Præſertim vbi non eſt ille amor ex affectu, qui verę beneuolentiæ vices gerit ad aliquod tempus in iuniorum amicitijs. Placuit nuncupare conſpirationem: tum quia hæc vſitata Caſſiano eſt in his amicitijs: tum quia coniurationibus ſimiles has furtiuas video. Quorumdam inſania nonnumquam eo procurrit, vt eas firment iuramento (vt quondam Scythę:) ſiue illud ſit de non diſſoluenda ſocietate contracta: ſiue de non prodendis ſocijs: ſiue de non patefaciendis arcanis: ſiue de non fugiendis cõuentibus clandeſtinis: quę omnia peſſima ſunt, periculoſiſſima, & contra diuina humanaque iura, vt poſtea demonſtrabitur, vbi coniuratos huiuſmodi iuriſiurandi religione ſoluam. Ac ne temere, deque meo ſenſu id aſſerere videar, quod de iuramento dixi, producam teſtes priſcos, à quibus didici quod mando litteris. Sanctus Ephrę̃m: *Si quis ad te acceſſerit ſecreto dicens, Conueniamus inter nos, ac ſimul fędus & amitiam*

Caſſ. coll. 16. c. 28.

Lucian. dial. de amic.

Infr. n. 59.

S. Ephr. t. 1 tr. de vitt. c. 7.

citiam ineamus: vt ſi quid dixero tibi, me ſine contradictione audias. Deinde etiam poſt iuſiurandum, ſi te in peccatum inclinare ac ſubuertere voluerit, ne morem geras illi, quamuis magnifica protulerit, ſeq. ipſum humi proſtrauerit ſupplicans, vt violes Dei præceptum. Ioſeph abbas apud Caſſianum: *Illud quoque multis experimentis eſt ſæpiſſime comprobatum, nullo modo eos, qui amicitiarum fœdus coniurationis iniere principio, indiruptam potuiſſe ſeruare concordiam; ſiue quòd eam, non pro deſiderio perfectionis, nec pro Apoſtolicæ charitatis imperio; ſed pro amore terreno, & per neceſſitatem ac vinculum pacti retinere conati ſunt: ſiue quòd illis callidiſſimus Inimicus; vt eos præuaricatores ſui faciat ſacramenti, celerius ad irrumpenda amicitiarum vincla præcipitat.* Hæc Ioſeph: qui quāuis non ita perſpicue, vt Ephræm, iuſiurandum in amicitia conſtituat: tamen illæ voces, *Fœdus, coniuratio, pactum, vinculum, ſacramentum*, ſatis ſuperque legentibus indicant illam vituperabilem conſpirationem, quæ diuturna eſſe non poteſt, ſine vinculo iuramenti minime conſtare potuiſſe. Quamquam coniuratio, vt nomen ſonat, ſine iuramento non fit, quo coniurati obligantur, vt factum eſt in coniuratione Catilinæ: ſacramentumque eſſe iuramentum militare, notū eſt ex Vegetio. Quamobrē huic amicitiæ per Caſſianū dānatæ interpoſitū erat iuramentū. Narrat quoque in Prato ſpirituali Stephanus Abbas Moabita de duobus monachis in cœnobio abbatis Theodoſij, *Qui ſibi inuicem iurauerant, quòd neque in vita, neque in morte ab inuicem ſepararentur.* Alter alterum abeuntem in ſęculum ad fornicandum, cum retinere non poſſet, ſecutus eſt, vt a peccato & à ſęculo reuocaret, exiſtimans ad id ſe cogi iuramento. Precibus tandem ac patientia ſodalis reuerſionem ad monaſterium obtinuit: ſed

Caſſ. coll. 16. c. 18.

Sall. in coniur. Catil. Veget. l. 2. de re milit. c. 5.

Lait. in prato ſpir. c. 97.

ſed ea ſequela periculoſa fuit, atq; inter eas actio- nes referenda, quæ non imitatione, ſed admiratio ne ſunt dignæ. Iuramentum quoque in ſconſpira- tionibus deprehenderunt Eremitani & Carmeli tæ, vt poſtea dicetur. Infra nu. 11.

7 Coniurationi *clandeſtinam* adnexui: quia maxime proprium eſt coniuratorum, animi deſtinata, conſilia conſiliorumque rationes, ſumma fide diligentiaque ad exitum vſque rei deſti- natæ contegere. Similiter horum ſodalium & paucorum amiculorum ſumma cura in hoc poſita fixaque eſt, vt ſua ipſorum amicitia conſpiratio- que lateat ceteros cœnobij ſodales; atque in pri- mis tum Superiores ac moderatores diſciplinæ, tum eos, qui putantur obſeruantiores regularum, & proinde rem ad gubernatores exiſtimantur de- laturi. B. Laurentius inter alia multa ſuis referen- da locis, attingit horum morem his verbis: *Sem- per huiuſmodi diſcurrunt: ſemper ſimilium ſibi con- ſortia quæritant: in angulis, in latibulis, ſilentij tem- pore, vt plurimum confabulari appetunt.* In hoc latendi ſtudio ſacerdotes idololatras in ſacris Eleu ſinijs æmulari videntur, qui lege inuiolabili ſu- perſtitioſa illa myſteria vulgari vetabant; ac ſi- lentio magno taciturnitateque venerationem illis conciliabant, vt poſt Tertullianum & Cle- mentem Alexandrinum, alij patres Græci Lati- nique prodiderunt. Ad occurrendum clandeſti- nis horum coniuratorum congreſſionibus, quas notat B. Laurētius, arbitror à priſcis patribus, per leges & pœnas cautum, ne in tenebris ac noctu quiſpiam alteri loquatur: quos patres eorumq. ver ba retuli, cum de ſilentio religioſo diſſererem. Eo- dem ſpectare arbitror omniū Ordinum ardēs ſtu dium & decretum, vt lampas in dormitorio tota nocte luceat: quam B. Petrus Cluniacenſis, ſi pau-

B. Laur. I. de diſcipl. &c. c. 22.

Tert. apol. c. 7. l. adm. Valent. c. 1 Cl. Alex. orat. ad Gētes.

Ad reg. 16 com. n. 19. Petr. Cluniac. in ſtat. nu. 49.

pertas obſtet, iubet ex Eccleſia, (quod miror) in dormitorium transferri. Metuebant latebras potiſſimum nocturnas; ſciebantque nocturnas tenebras male agentibus, qui lucem oderunt, opportuniores videri ad colloquendum & comeſſandũ. Quam ob cauſam S. Baſilius gaſtrimargia corruptos, qui latere percupiunt, & eſſe ſolent è claſſe coniuratorum, Tenebriores, hoc eſt tenebrarum amatores appellat. Poſtremo in deſcriptione finis generatim indicatur harum ſodalitatum, per illa poſtrema verba: *Ad aliquid moliendum, quod ſit contra leges.* Etſi non animo intento ac deliberato ſpectãt violationem legum, ij præſertim, qui ad amicitias priuatas ab affectu trahuntur; moliuntur tamen aliquid, quo leges violantur, ſiue diuinæ ſint, ſiue humanę: atque hę ſiue à pontificibus, ſiue ab Ordinis antiſtitibus latæ. Rem exempla declarant. Qui iucunditatem è conuerſatione frequenti, familiariq. colloquio captant amiculorum, ij violant regulam omnibus Ordinibus communem de ſilentio certis locis temporibuſque ſeruando: transgrediuntur naturalem legem de verbis otioſis non dicendis, à quibus in illiuſmodi colloquijs non abſtinent. Qui voluptatem quærunt ex clandeſtina comeſſatione ac compotatione, quod eſt vituperabilius, ij multarum legum ſunt violatores, vt probatum eſt in commẽtario aſcetico regularum; & confirmabitur inferius, vbi de dãnis agetur, quæ ſibi ipſi ſuis ex amicitijs coniurati ſodales accipiunt. Qui deniq. machinantur aliquid aduerſus Maiores ſuos, & proprij Ordinis regulam atque inſtitutum; ij tot leges diuinas & humanas peruertunt, quot legibus Ordinis ratio & regula conſtabilita fuit. Hæc ſatis de primo capite.

S. Baſ. ſer. de abdic. rerum.

Reg. 16. comm. n. 14. & ſeq. Infr. n. 21.

CAP.

CAP. II. *Amicitiæ huius ſpecies, finis, effectus.*

8 ENVCLEATA deſcriptione amicitiæ damnatæ, recenſendæ ſunt in ſecundo capite ſpecies eiuſdem, cum fine atque effectibus cuiuſque. Quinque obſeruatas in cęnobijs eſſe comperio: primam conſanguineorum; ſecundam conterraneorum; tertiam ſeditioſorum; quartam ætate inæqualium; quintam ac poſtremam iuniorum interſe fœderatorum.

I. *Species conſanguineorum.*

PRIMA ſpecies (quam omnium minime malignam, ſed cauendam prorſus atque eijciendam è Religioſorum cœtibus, ſeu diſſoluendam puto) illa eſt, quæ dicitur ab Ariſtotele in rhetoricis συγγένεια, cuius quoque meminit in ethicis: nos cognationem appellare poſſumus. Ligat beneuolentia naturalis ſanguine coniunctos: qui, vt philoſophatur Ariſtoteles in ethicis, ideo ſe diligunt, quia ſunt participes ſanguinis eiuſdem; ab eadem radice, vel patris, vel aui, vel proaui prodeunt, & ſunt quodam modo idem quiddam in corporibus diſtinctis. Quo propiores ſunt radici, eo ſe plus diligunt; vt fratres cum patruelibus comparati. Fratrum vero mutuus amor ex conuictu, conſuetudine, ſtudiorum & aliarum rerum æqualitate creſcit; atque ob has cauſas, eſt amori ſociali ſimillimus. Amorem hunc ab affectu naturali, quem communio ſanguinis gignit, exardeſcere notiſſimum eſt, vt à Caſſiodoro didicimus: cui Caſſianus accedit, varias colligens amicitiæ ſodalitatiſque ſpecies. *Eſt etiam*, inquit,

Ar. l. 2. rhe c. 9. l. 8. eth c. 12.

Sup. nu. 3. Caſſ. coll. 16. c. 2.

aliud dilectionis genus, quod naturæ inſtinctu ipſius, & conſanguinitatis lege connectitur, quo vel contribules, vel coniuges, vel parentes, ſeu fratres ac filij naturaliter cæteris præferuntur: quod non ſolum humano generi, verum etiam omnibus alitibus atque animantibus ineſſe deprehenditur. Inuenitur etiam inter Religioſos hæc conſanguinitas. Accidit ſæpe fratrem natu minorem, veſtigia ſequi maioris, qui iam nomen dederat in hanc militiam ſpiritualem. Ex Ordine meo conijcio quid in alijs eueniat. Cognitus mihi fuit pater, qui filium; & filius, qui patrem in Religionem ſecutus erat. Numerati ſunt aliquando in aliqua prouincia fratrum germanorum paria viginti. Compertum eſt non modo binos fratres, ſed ternos, quaternos, & vero etiam quinos alicubi militaſſe in religioſis caſtris. Scio defunctum in Sicilia patrem, qui quaternos liberos in noſtram Societatem ſecum adduxerat. Mitto patruos cum filijs fratrum; patrueles & conſobrinos, quorum ingẽs eſt numerus. Cum igitur conſanguinei, qui degunt in aliquo Ordine, cœnobio, naturalem affectum ita moderantur ex præſcripto regularũ cuiuſque Ordinis, vt nihil minus ceteros ſodales amare videantur; ac prudentia religioſa magiſtra continent ſeſe à nimia familiaritate, mutuis laudationibus, ſuorum propinquorum, atque ab alijs actionibus, quæ amorem immoderatum arguãt, nõ modo viciſſim à reliquis ſodalibus diliguntur, ſed etiam efficiunt, vt eorum cognatio nullo modo poſſit inter amicitias damnatas numerari.

S. Ennod. epiſt. in vita S. Ant. mon.

Talis fuit monachus quidam patruus & magiſter ſpiritualis S. Antonij pariter monachi, cuius vitã ſcripſit S. Ennodius epiſcopus Ticinenſis, *Sed numquam*, inquit S. Ennodius, *ille magiſterij rigorẽ, conſanguinitatis lege molliuit: nec fecit ſecurum de neceſ-*

ceſſitudine diſcipulum non timere; cui gratiā doctoris niſi cenſura non præſtitit. Quòd ſi religioſa falcula non putauerint affectum naturalem, quo ſe, plus ceteris, mutuo diligunt; ex facili fiet, vt ab alijs cœnobitis ſecedant; inter ſe maiori familiaritate conuerſentur; offendant illos, qui charitatem fraternam per huiuſmodi ſeceſſiones atque immoderatam familiaritatem merito lædi arbitrantur; & denique cognatio veniat in numerum earum ſocietatum vitioſarum, quæ paſſim à magiſtris reprehenduntur. Sanctus Baſilius olfecit hanc reprehenſibilem cognatorum coitionem & amorem, & pœnis propoſitis à ſuis monaſterijs exegit. *Quod ſi quis inuentus fuerit*, inquit, *qui maiore quadam animi propenſione, monachum fratrem, vel propinquum, vel alium quemuis, quauis de cauſa videatur diligere, hūc caſtigare oportebit, vt iniurium publicæ charitati*. Eumdem ſenſum habebat Claudius Aquauiua noſtri Ordinis quondam præpoſitus, cum præcludens aditum huic ſodalitatis ſpeciei, ne inter nos irreperat, ſcribebat: *Quiſquis afficitur peculiariter ad aliquem, quòd frater ſit, aut conſanguineus, aut conuerſatione iucundior, ſeipſum imminutæ charitatis accuſat*.

S. Baſ. ſer. 1 de inſt. mon.

Cl. Aquau ep. 1.

9 Iam videamus, quibus actionibus cognatorum conſociatio ſit alijs religioſis ſodalibus moleſta & odioſa: ex quibus lector intelliget vitiatæ cognationis finem atque ſcopum, nimirum conſanguinei promotionem ad altiora, ſtudia, munera, gradus, dignitates. Prima actio eſt familiaritas nimia, quę primarius effectus eſt omnium ſodalitatū. Hæc autē eo maior eſt inter cognatos, quo dulcior ob ſanguinis cōmunionē: eo magis intima, quo fideliores in ſecretis continendis exiſtimantur, ob amorē mutuum, quo ſe diligunt, & redamari ſciunt. Ex immoderata familiaritate,

Infr. n. 14. & ſeq. Lod. Bloſ. in dictis patr. c. 16. mala illa prodeunt, quæ poſtea recenſebo, vbi diſſeram de damnis eius: vt merito monuerit Ioannes Taulerus apud Ludouicum Bloſium, vitandam eſſe minus ordinatam amicitiam etiam conſanguineorum & affinium: *Id enim*, inquit, *malum exitum ſortiri, & inquietudines, curas, grauamina, aut etiam impuritatem cordis adducere ſolet.* Secunda vel actio, vel effectus reprehenſibilis eſt nimia laudatio, qua ſe germani fratres, qui non temperarunt virtute naturalem affectum, viciſſim commendant: ingenium, doctrinam, probitatem, in rebus agendis dexteritatem extollũt ad nauſeam vſque ſodalium audientium. Qui cum vident virtutes non reſpondere laudibus, aut rident laudantium errorem, aut miſerantur intemperantiam affectus, aut laudes inſulſas ſtomachantur. Tertius effectus eſt erratorum, ſiue ingenij, ſiue linguæ, ſiue vitæ accuratiſſima excuſatio, atque acerrima defenſio. Non ferunt, qui parum caſtigarunt affectum cognationis, conſanguineorum ſuorum errata obſeruari, reprehendiuè: taciturnitas ipſa, cum de ipſorum virtutibus, aut naturalibus, aut moralibus ſermo incidit, vel certe parca moderataque laudatio, pro vituperatione capitur. Quapropter nonnullis intolerabiles fiunt, cum ſuos ita defendunt, vt eos ſemper innocentes videri velint; nocentes alios, qui nihilo ſunt illis, omnium ſententia, deteriores. Quartus effectus eſt conatus, vt ad altiora conſanguinei prouehantur. Hoc morbo infecti Religioſi, vt accepi, ſatagunt, vt fratres ſui germani, reliquis ſocijs præferantur, in honorificis muneribus, & dignitatibus; vt eximantur ab oneribus; vt animi corporiſq. relaxationibus inſolitis ac frequẽtibus reficiantur. Commendant confidenter Superioribus: conqueruntur interdum cum diſcre-

tis, conſiliarijs, ſenioribus, à quibus promoueri poſſe arbitrantur, quòd deprimantur. In electionibus, in quibus ipſi iure interſunt, fratribus ſiue aptis, ſiue ineptis calculo ſuffragantur, alioſq. illis artificioſum in modum comparant ſuffragatores. Grauis adeo res eſt, & Ordinibus pernicioſa hæc iniuſta ſuffragatio, vt periti rerum aſceticarum eam adnumerarint cauſis, quæ religioſos Ordines peſſundant. Seruatius Ordinis Præmonſtratenſis in optica, vbi regulam Sancti Auguſtini explanat, ex ſententia Ricardini commentatoris eiuſdem regulæ, refert vndecim cauſas ruinæ monaſticorum Ordinum, inter quas ſexto loco hæc numeratur: *Inutilium perſonarum & conſanguineorum promotio*. Quod ſane intelligo ſi ſint ad eos gradus, ad quos prouehuntur, inepti. Spectat eodem cautio multorum, qui monialium cœnobia gubernant, cum vetant plures, quàm duas ſorores in monaſterium admitti, ſi reliquæ paucę ſint: permittunt adſcribi tres, ſi numeroſior ſit cętus, in quem recipiuntur. Do in exemplum & probationem, decretum primæ ſynodi prouincialis Mediolanenſis ſub Sancto Carolo Cardinali; quod his verbis continetur. *In ijs monaſterijs, in quibus moniales pauciores ſint quinquaginta, duæ tantū germanæ ſorores, aut tres, quæ ſint vnius generis ac familiæ recipi poſſint. Vbi vero plures ſint quinquaginta monialibus, ibi tres tantummodo ſorores, aut quatuor eiuſdem familiæ recipi liceat: ſi ita monialiū capitulo videatur*. Didicerat ſanctus Archiepiſcopus experimento, multas ſorores germanas in eodem monaſterio poſſe facere ſeceſſionem, & quandā muliebrem in alias exercere tyrānidē, & monaſterij, dominatū modo quodā occupare, per vices vnam ex ſororibus gubernationi, ceteriſque muneribus præficiendo. Eaſdem fere cauſas puto

Seruat. opt. ſpec. 21. in ſt. 11.

Conc. 1. prou. Med p. 1. §. Cū primum.

N 4 fuiſſe

fuiſſe conſtitutionis monachorum Cæleſtinorũ; qui vetant duos germanos fratres, aut conſanguineos, in eodem monaſterio commorari. Quamuis autẽ non videatur acceptio perſonarũ naturali iure damnata, ſi conſanguineus par meritis, & æque ac ceteri ſodales idoneus muneri gerendo reliquis præferatur; magna tamen perfectio eſt, ſi data paritate meritorum, probitatis, induſtriæ, cognatus alijs poſthabeatur. Aſtipulatur huic dicto S. Baſilius; qui cum monachos, quos inſtituebat, multis eſſet cohortatus ad amandos omnes æqualiter, hæc ait: *Quocirca æqualis ſimilisq. ab omnibus tenenda aduerſus cunctos charitas eſt; vnicuique autem ſeparatim pro cuiuſque decoro honos habendus. In his autem quos hoc modo charitas inter ipſos coniunxerit ac copularit, ad maioris amoris cumulum conciliandum, nihilo plus momenti afferet naturalis ſanguinis neceſſitudo; neque ſi aliquis quidem frater alicuius germanus ſit, filiuſuè, aut filia, huic maiorem charitatem, quam ceteris, conſanguinitatis vinculum conciliabit. Qui enim in rebus huiuſmodi naturam ſequitur, is plane declarat ſeipſum nondum ex toto à naturali defeciſſe affectu, ſed adhuc regi carnis imperio.* Hactenus Baſilius; à quo diſcis proprium medicamentum morbi huius eſſe caſtigationem & compreſſionem affectus naturalis; nec non ipſius loco, vſum diuinæ charitatis.

S. Baſ. ſer. 2. de inſt. mon.

II. Species conterraneorum.

10 SEcunda ſpecies damnoſæ amicitiæ finitima primæ contrahi poteſt ab ijs, qui ſunt in cœnobio conterranei, ſi, vt dictum eſt de amore ſanguinis, amor patriæ (quem patrialem vocat Sanctus Antoninus, & opinatur in quibuſdã eſſe vehementiorem affectu erga parentes) non ſit cohibitus intra mediocritatis gyrum. Is enim has conglutinat ſodalitates, quoniam extenditur ad amandos eos, qui ſunt partes & membra, hoc eſt ciues eiuſdem communis patriæ, ſiue illa vrbs ſit, ſiue prouincia, ſiue regnum, ſiue natio. Quamuis originem habeat à natura, vt Ariſtoteles docuit, & ex eo M. Tullius, hæc inter homines eiuſdem nationis qualiſcumque amicitia; prauitate tamen mortalium interdum a recto degenerat, & ſeceſſionem facit violans charitatem. Porro id in duobus locis contingere poteſt ac ſolet. Primum quidem in propria patria, ſi vel in cœnobio, vel in tota prouincia conſpirent multi ad excludendos alienigenas ſodales ſuos, vt ipſi ſoli quodam modo dominentur, ſoli negotia tractent, ſoli regnent in cathedris, in pulpitis, in dignitatibus. Irrepſit aliquando morbus hic in Ordinem Minorum, vt colligitur ex ordinationibus Guillelmi Farinerij miniſtri generalis editis anno 1354. in capitulo generali; vbi vocantur hi coniurati, *Appropriatores locorum*; & condemnantur expelliq. iubentur de locis, *Qui alios non de ſuis locis natiuos, ſeu quos extraneos reputant, ſubditos, vel prælatos ſecum nolunt habere, vel etiam pacifice ſuſtinere*. Meminiſſe debent hi, Religioſis, qui patriam ex amore Dei deſeruerunt omnem terram, & nullam terrã patriam eſſe, vt dicebat Sanctus Gre-

S. Anton. p.1.tit.6.c. 2.§.quintus.

Ar.l.8.eth c.1. Cic.l. 1.off.

Guill. Farin.c.6. conſt.§. diſtricte.

S. Naz. or. 28. n. 35. Gregorius Nazianzenus, Proinde, vel eſſe omnes coſmopolitas, hoc eſt incolas & ciues Mundi totius, vt Diogenes, Socrates & Seneca ſe eſſe profitebantur; & cuiuſmodi fuit Adamus, & ſunt omnes viri probi ex ſententia Philonis: quo fit vt nemo dici queat exterus, alienigena, peregrinus. Vel certe ſi nulla terra patria eſt Religioſis, omnes erimus externi, peregrini, exules. *Mundus omnis philoſophantibus exilium eſt*, inquit Hugo Victorinus: aduenas & peregrinos, nos vocat apoſtolorum princeps. Quapropter maxime diligendi ſunt Religioſi, qui putantur eſſe peregrini. Ait enim Deus, qui *amat peregrinum, & dat ei victum & veſtitum*, ait inquam: *Et vos ergò amate peregrinos, quia & ipſi fuiſtis aduenæ in terra Aegypti*. Ex hoc Dei monito, ſeu præcepto veri ſimillima fit doctrina Platonis lumine naturali eruditi; peculiari curæ Deo peregrinos eſſe, fierique vltorem iniuriarum, quæ in peregrinos ab indigenis inferuntur. In dialogo quinto de legibus eam ſcripſit his verbis: *Ad peregrinos ſanctiſſima eſſe fœdera quiſque cogitet. Ferme enim omnia peregrinorũ, & cõtra peregrinos à ciuibus peccata vltori Deo magis curæ sũt. Nã cũ peregrinus amicis cognatiſq. careat; maiorẽ & apud Deos, & apud homines meretur miſericordiã. Quare qui magis vlciſci põt, is ad ferẽdũ auxiliũ eſt paratior.* Meminerint quoq; Religioſum quemque Ordinem è varijs diuerſiſq. nationibus compactum, eſſe tamquam corpus quoddam, vt obſeruauit Sanctus Dorotheus: cuius anima charitas eſt; partes, membra & ſenſus ſunt ipſi Religioſi, non æqualibus naturæ aut gratiæ donis ditati; non ijſdem muneribus idonei; non ijdem officijs addicti, ſed varijs ac diuerſis, pro varietate donorum, vt ſimiliter videmus in corpore. Quis vnquam animaduertere potuit vnum mem-

[Marginal notes: comment. aſcet. reg. 30. comm. n. 15. — Philo l. de opif. & de vita Moſis — Hugo l. 3. didaſc. erud c. 20. — 1. Petr. 2. 11. — Deut. 10. 18. 19. — Plato. dial 5. de legib — S. Dor. ſer. 6.]

membrum alterum odiſſe, au t tamquam non neceſſarium à ſe abieciſſe? Mira dicũt ſancti patres de naturali beneuolentia membrorum in corpore, de ſym phathia, de mutuis auxilijs, vbi explicant Pauli verba de hac re ſcripta iu capite 12. epiſtolæ prioris ad Corinthios. Sit nobis hic ſatis S. Hilarij teſtimonium, loquentis quidem de toto cœtu Chriſtianorum; ſed quod vnicuique Religioni maxime conuenit. *Populo Dei congruit ſub vno patre fratres, & ſub vno capite vnius corporis membra eſſe. Non enim oculus aurem odit, nec nares os execrantur, nec manus pedẽ ſpernit. Hæc enim, vt officijs mutuis ſibi, ita & amore diſtricta ſunt. Hoc iucundum & bonum habitare fratres in vnum, in eodẽ eſſe, idem eſſe, nec congregatione fieri, nec amore diuerſos*. Hæc Hilarius. Non igitur amans ſpernit, aut reijcit amatum. Hinc Paulus verſans hãc corporis & Eccleſiæ Chriſtianæ ſimilitudinem: *Non poteſt*, inquit, *oculus dicere manui; opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus; non eſtis mihi neceſſarij*. Quod amor naturalis facit in corpore, & vnumquodque membrum, quodcumque aliud ſibi neceſſarium putet; vnuſquiſque ſenſus, alium quemcunque diligat, ſaluum velit, & à ſe minime remotum & abſtractum: idem efficiat Religioſus, natione quidem non amore diuerſus, erga fratres ſuos patria, donis, functionibus non congregatione, non charitate diſtinctos: amet, ſoletur, oculis æquis aſpiciat, caros habeat in patria ſua; gaudeat ab ijs colligi fructus & offerri Deo, etiã in ea regione atque vrbe, in qua ille alienigenã eſt, ipſe indigena & ciuis. Alter locus in quo ſeceſſio contingere ſolet Religioſorum eiuſdẽ nationis eſt in aliena regione ac patria, cum in cœnobio alienigenæ, pauci ſunt, indigenæ multi. Nam exteri tum ex affectu, de quo dictum eſt, facile

S. Aug. in pſ. 130. S. Chryſ. hom. 31. in 1. Corint.

S. Hilar. in pſ. 132.

1. Cor. 12. 21.

cile

cile inter ſe conueniunt ſæpiſſime, de patria, quæ cuique dulcis eſt, ſuauiſſime colloquuntur: tum ad abigendum mœrorem, cum ſuis conterraneis frequentiſſime congregantur, quem contraxerũt ex recordatione, quòd extra patriam in aliena regione verſentur. Augetur interdum mœſtitia ſuſpicionibus falſis. Contemni enim, morderi, decipi, non amari ſe ſuſpicantur. Creſcit ſuſpicio, ſi linguam regionis, in qua degunt, minime callent, aut intelligunt. Creſcit mœror, ſi ſuã patriam ac nationem dicterijs pungi audiunt; ſi ſe vident nonnumquam ex indigenarum circulis per artificium excludi: ſi nulla honorifica functione occupantur. Ad ſummum venit, ſi ſubodorantur ad exteros inde amandandos conſpirationem aliquam coaluiſſe. Quæ incommoda infert Ordinibus amicitia peculiaris cognatorũ, eadem parit hæc conterraneorum; & eo plura, maioraque, quo numeroſior eſt. Præter ea remedia, quæ communia omnibus amicitiarum generibus tradentur in hoc tractatu, opportuniſſima erunt multa, quæ præſcribuntur, tum in commentario meo aſcetico regulæ trigeſimæ communium, vbi agitur de nationibus externis ſingulatiter amandis: tum in medico religioſo Caroli Scribani noſtri, vbi facit medicinam illi morbo, qui Religioſos impellit, vt plus æquo in vnam aliquam nationem affectu propendeant. *Sunt* autem huiuſmodi remedia: mortificatio affectus erga patriam; quo moderato quiſque totum Mundum patriam exiſtimabit; mortaleſque omnes, atque in primis ſodales ſuos religioſos, cuiuſcumque nationis ſint, æque dilget ac ciues ſuos, quoniam agnoſcet eos incolas ciuitatis eiuſdem. Depoſitio ſuſpicionum, quarum multæ falſæ ſolent eſſe, ac mœrore complent homines alienigenas

Ad 30. cõ. n. 32. & ſequen.
Car. Scrib. l. 3. med. relig. c. 16.

genas

genas ſuſpicioſos; qui vt eas conferant inter ſe, crebro nimis congregantur in vnum, cum indigenarum offenſione. Vitatio dictorum factorumque omnium, quę vel minimam alienæ nationis contemptionem, aut auerſionem, aut tepidiorem charitatem ſignificent. Liberalis exhibitio ſignorum omnium, & officiorum beneuolentiæ charitatiſque ſingularis tum data, tum accepta & quæſita occaſione, ijs, qui ſunt alienę nationis, vt intelligant ab indigenis ſe ſingulariter amari, & omnes ſuſpiciones euaneſcant.

III. *Species amicitiæ prauæ Seditioſorum.*

11 TERTIA ſpecies amicitiæ prauæ obſeruata & explicata diligenter ab Alfonſo Roderico noſtro eſt, cum aliquot (qui prouectiores ætate ſolent eſſe) conueniunt in vnum conſpirantes ad mutandum Religionis ſtatum atque inſtituta Maiorum. Sanctus Francicus Aſſiſias in Ordine ſuo conſpirationem hanc ſeditioſam expertus eſt. Cum enim ſecundam regulam ſcripſiſſet in monte Carnerio Reatinæ vrbi proximo, & eam Eliæ vicario generali cuſtodiendam tradidiſſet, vt poſtea confirmaretur ab Honorio Pontifice; Elias, vt aliam pro ſuo arbitratu conſcriberet, illam deperdi permiſit. Redijt Sanctus Franciſcus in eumdem montem, vt iterum Dei voluntatum exploraret per ieiunium ac preces, cognitamque ſequeretur. At Elias commouit miniſtrorum prouincialium animos ad repugnandum regulæ, quam arctiorem exiſtimabant; & facta manu Franciſcum conuenerunt, proteſtantes ſe regulæ ſtrictiori parere nolle.

Alf. Rode. p. 1. tr. 4. c. 20.

Sed

Chro. Minor. p. 1. l. 2. c. 7.

Sed vir ſanctus magno animo reſtitit ipſorum conſpirationi, & ab Honorio per reſcriptum regulæ illius confirmationem impetrauit. Hæc narrantur in chronicis Minorum. Refero ipſe ad hanc ſpeciem eorum conſpirationem, qui coniurant ad Superiorem aliquem deprimendum, aut deponendum ab officio. Paſſus eſt Ordo præſtantiſſimus Prædicatorum huiuſmodi conſpiratione͂, vt narrat Felix Caſtelfranco in compendio chronicornm; cum quidam curarunt à Pio II. Pontifice abſolui à gubernatione Ordinis Martialem Auribellum vndetrigeſimum magiſtrum generalem, poſteaquam nouem annis prudenter Ordinem rexerat; cuius prudentiæ ac probitatis argumentum fuit, quòd Pauli II. tempore iterum magno conſenſu in eandem magiſterij ſedem reſtitutos eſt. Pertinent ad hanc tertiam *ſpeciem* conſpirationes laicorum, qui ad altiorem gra dū aſcendere nituntur, vel ad ſacerdotium, vel ad habitum monachorum, vel ad aliquid aliud, quod non ſit in Ordine permiſſum: quod contigit in Ordine Camaldulenſium tempore Bonifacij IX. vt refertur in eorum hiſtoria; in Ordine Præmonſtratenſi, vt tradit Seruatius in Optica; & in Ordine Grandimontenſi, vt ſcripſit Iacobus à Vitriaco Cardinalis in hiſtoria Occidentali; quæ omnes tum auctoritate Apoſtolica, tum forti prudentia moderatorum compreſſæ fuerunt. Deniq. huc pariter ſpectant eorum conatus, tacita vel expreſſa conſenſione, ſeu coniuratione firmati, obſiſtentes Viſitatoribus & alijs Superioribus, ne quid noui oneris, neue inſolitus labor introducatur in cœnobium, ne collapſa in re aliqua diſcipli na regularis in integrum reſtituatur: ne ue obſeruantiæ vigor ad primęuum Ordinis ſtatum ac perfectionem reducatur. Nullus fere Ordo eſt, qui hu-

Fel. Caſtel fr. compēd chron.

Camald. hiſt. p. 2. l. 3. c. 17.

Seruat. in Optica in fine indicis.

Card. Vitr hiſt. Occi. c. 19.

huiuſmodi ſeditioſas conſpirationes in ſe ſubnaſcentes non ſentiat, quamuis optime ſit conſtitutus,& ſalutaribus legib. tẽperatus. Nã ex S. Auguſtini ꝓbatiſſima ſentẽtia, *In omni cõgregatione multitudinis, neceſſe eſt vt inueniãtur mali*: quos alibi ꝓbat inductione, vel in ſanctis congregationibus inueniri. Confirmat Sanctus Bonauentura; docens pręterea, non eſſe laudabilem Religionem, in qua nullum malum ſuboriatur, quia nulla huiuſmodi eſſe poteſt in hoc ſæculo; ſed eam, in qua nullum malum impunitum relinquatur, peccatis aditus diligenter præcludantur,& vnde homines incorrigibiles ac pernicioſi expellantur. Quorum Sanctorum doctrina mirifice ſolatur Ordinum bene conſtitutorum zelotas moderatores: & refellit calumnias ſæcularium ex hoc capite ſanctiſſimos Ordines iniuria criminantium.

S. Aug. in pſ. 54. Id. ep. 137. ad cler. & pop. Hip.

S. Bon l. de ſex alis ſeraph. c. 3.

12 Vt in viam redeamus: finis harum conſpirationum eſt laxitas diſciplinæ ac libertas acquirenda, ſi vigor conſeruetur; conſeruanda, ſi ſit remiſſus: quamuis interdum pęr ſimulationem melioris boni,& conſolationis internæ afflictorum, mutationes conſtitutionum quęrantur,& reformationes impediantur. Ambitio quoque dominandi concitat conſpirationes aduerſus Superiores. Itaque deprauata voluntas ſolet artifex eſſe harum coniurationum; quam præceſſit iudicium errore aliquo deceptum, aut perturbatione quapiam obcęcatum; ſiue vt indicaui, ea ſit libido dominandi, ſiue odium regularis diſciplinę, ſiue amor libertatis. Cognita fuit Sancto Baſilio hęc vitioſa ſpecies amicitię; qui, vt dictum eſt, nuncupauit eam *ſeditionem & diuiſionem & improbitatis indicium*. Addidit eos, qui ita ſocientur, *Improbe agere, & communis diſciplinæ iura velle peruertere*. Confirmat eadem alijs grauiſſimis

Supr. n. 2.

ver-

Chro. Minor. p.1.l.2.c.7.

Sed vir ſanctus magno animo reſtitit ipſorum conſpirationi, & ab Honorio per reſcriptum regulæ illius confirmationem impetrauit. Hæc narrantur in chronicis Minorum. Refero ipſe ad hanc ſpeciem eorum conſpirationem, qui coniurant ad Superiorem aliquem deprimendum, aut deponendum ab officio. Paſſus eſt Ordo præſtantiſſimus Prædicatorum huiuſmodi conſpirationẽ, vt narrat Felix Caſtelfranco in compendio chronicornm; cum quidam curarunt à Pio II. Pontifice abſolui à gubernatione Ordinis Martialem Auribellum vndetrigeſimum magiſtrum generalem, poſteaquam nouem annis prudenter Ordinem rexerat; cuius prudentiæ ac probitatis argumentum fuit, quòd Pauli II. tempore iterum magno conſenſu in eandem magiſterij ſedem reſtitutos eſt. Pertinent ad hanc tertiam ſpeciem conſpirationes laicorum, qui ad altiorem gradũ aſcendere nituntur, vel ad ſacerdotium, vel ad habitum monachorum, vel ad aliquid aliud, quod non ſit in Ordine permiſſum: quod contigit in Ordine Camaldulenſium tempore Bonifacij IX, vt refertur in eorum hiſtoria; in Ordine Præmonſtratenſi, vt tradit Seruatius in Optica; & in Ordine Grandimontenſi, vt ſcripſit Iacobus à Vitriaco Cardinalis in hiſtoria Occidentali; quæ omnes tum auctoritate Apoſtolica, tum forti prudentia moderatorum compreſſæ fuerunt. Deniq. huc pariter ſpectant eorum conatus, tacita vel expreſſa conſenſione, ſeu coniuratione firmati, obſiſtentes Viſitatoribus & alijs Superioribus, ne quid noui oneris, neue inſolitus labor introducatur in cœnobium, ne collapſa in re aliqua diſciplina regularis in integrum reſtituatur: ne ue obſeruantiæ vigor ad primęuum Ordinis ſtatum ac perfectionem reducatur. Nullus fere Ordo eſt, qui hu-

Fel. Caſtel fr. compẽd chron.

Camald. hiſt. p.2. l. 3. c. 17.

Seruat. in Optica in fine indicis.

Card. Vitr hiſt. Occi. c. 19.

huiuſmodi ſeditioſas conſpirationes in ſe ſubnaſcentes non ſentiat, quamuis optime ſit conſtitutus,& ſalutaribus legib. tẽperatus. Nã ex S. Augu ſtini ꝓbatiſſima ſentẽtia, *In omni cõgregatione mul-* S. Aug. in
titudinis, neceſſe eſt vt inueniãtur mali: quos alibi ꝓ- pſ. 54.
bat inductione, vel in ſanctis congregationibus Id. ep. 137. ad cler. &
inueniri. Confirmat Sanctus Bonauentura; do- pop. Hip.
cens pręterea, non eſſe laudabilem Religionem,
in qua nullum malum ſuboriatur, quia nulla hu- S. Bon. l. de
iuſmodi eſſe poteſt in hoc ſæculo; ſed eam, in qua ſex alis ſe-
nullum malum impunitum relinquatur, peccatis raph. c. 3.
aditus diligenter præcludantur,& vnde homines incorrigibiles ac pernicioſi expellantur. Quorum Sanctorum doctrina mirifice ſolatur Ordinum bene conſtitutorum zelotas moderatores: & refellit calumnias ſæcularium ex hoc capite ſanctiſſimos Ordines iniuria criminantium.

12 Vt in viam redeamus: finis harum conſpirationum eſt laxitas diſciplinæ ac libertas acquirenda, ſi vigor conſeruetur; conſeruanda, ſi ſit remiſſus: quamuis interdum pęr ſimulationem melioris boni,& conſolationis internæ afflictorum, mutationes conſtitutionum quęrantur,& reformationes impediantur. Ambitio quoque dominandi concitat conſpirationes aduerſus Superiores. Itaque deprauata voluntas ſolet artifex eſſe harum coniurationum; quam præceſſit iudicium errore aliquo deceptum, aut perturbatione quapiam obcęcatum; ſiue vt indicaui, ea ſit libido dominandi, ſiue odium regularis diſciplinę, ſiue amor libertatis. Cognita fuit Sancto Baſilio hęc vitioſa ſpecies amicitię; qui, vt dictum eſt, Supr. n. 2.
nuncupauit eam *ſeditionem & diuiſionem & improbitatis indicium*. Addidit eos, qui ita ſociantur, *Improbe agere, & communis diſciplinæ iura velle peruertere*. Confirmat eadem alijs grauiſſimis ver-

S.Baſ.c.30 conſt.mon verbis: *Si vero ipſi à reliquis ſua ſpõte diſiũctis in cętu cętum efficiant, vitioſa huiuſmodi amicitiæ conciliatio eſt; & diuerſam quandam à communibus inſtitutis rem eſſe oportet, quæ hos inter ipſos conciliet. Atque hoc profectò non eſt aliud, quàm contra veterem diſciplinæ ſtabilitatem innouatio.* Poſtrema hæc verba ſatis aperte declarant, finem harum cõſpirationum eſſe, mutationem inſtitutorum ſtabilitorũ à Maioribus in res nouas; vnde prouenit euerſio veteris diſciplinæ. Paulo poſt hos rerũ nouarũ cupidos coniuratos, primum admoneri; deinde puniri iubet his verbis: *Quod ſi firmatam quis iam vetuſtate diſciplinam labefactare in animo habeat; atque alios etiam de Fratribus ſecum comites trahat; hic primum ab eo, qui ſanus eſt, ſecreto admoneri tamquam parum ſanus debet. Sin ſecreto curari noluerit, adhibendi etiam erunt Fratres alijs intelligentiores, vt eſt in ſacro Euangelio.* & alia ſubdit, per quæ tandem aliquando, ſi non reſipuerit, tamquam ouis morbida ſegregetur & expellatur ab ouili. Iure parum ſanos vocitat eos, qui hæc attentant: quia pugnant amentes & ingrati filij contrà matrem, quæ illos peperit, cum adſcripſit in Ordinem, lacte ſpiritualis doctrinæ aluit in tirocinio; ſolido cibo ſcientiarum ablactatos & ereptos è gremio nutricis, pauit in ſcholis: iam adultos ac viros perfectos poſuit cuſtodes vinearum Domini, in cathedris, in pulpitis, alijſque honorificis miniſterijs. Conuenit illis illud Canticorum: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me*, cum querimonia Sancti Bernardi dicentis: *Sed profectò id expreſſius plangit, quod & ſentit differentius, quodque vigilantius nobis cauendum exiſtimat. Quidnam hoc? Malum vtique inteſtinum atque domeſticum. Hoc tibi manifeſtè in Euangelio, ore ipſius Saluatoris exprimitur, cum dicit: Et inimici hominis*

Cant. 1.6. S. Ber. ſer. 39. in Cat. Matt. 10. 36. Mich. 7.6.

minis domeſtici eius : & alia in eandem ſententiã. Paulo poſt hortatur Religioſos, vt à ſuis conuentibus exterminent hanc peſtem: *Longe quaſo*, inquit, *à uobis facite ſuper hoc tã abominabile & deteſtabile malum, vos qui experti eſtis, & quotidie experimini, quàm bonum ſit, & quàm iucundum habitare fratres in vnum, ſi tamen in vnum, & non in ſcandalum:* &c. Porro conſpirationes in Superiores adeo auerſantur omnes familiæ Religioſorum, vt mirum dictu ſit. Guillelmus Farinerius miniſter generalis Ordinis Minorum præſtantiſſimi, anno 1554. in generalibus comitijs, hoc edidit decretum: *Qui per malitioſam concordiam, ſeu per conſpirationem aduerſus aliquem, & maxime aduerſus Superiorem ſe erexerit; omnibus officiis Ordinis, & omni actu legitimo ſit priuatus*. Legi à quibuſdam Ordinibus inter caſus reſeruatos numerari ſeditionem in Superiores. Obſeruaui ab alijs collocari inter culpas grauiores. Id fit à Carmelitis mitigatis: ab Eremitanis Sancti Auguſtini, à Canonicis Sancti Saluatoris. A multis grauiſſimę imponuntur pœnæ; vt à Minoribus ciſmontanis de obſeruantia, & à Canonicis Sãcti Georgij in Alga, necnon ab alijs paulo ante commemoratis. Vt zelum nobiliſſimorum Ordinum intelligat lector, placet huc tranſcribere, quæ Carmelitæ atque Eremitani verbis ijſdem de tanto ſcelere ſanxerint, quàm graues pœnas conſtituerint. *Præcipimus, & in virtute S. Obedientiæ mandamus. quod nulli Fratres iuramento, aut fide præſtita colligationem, ſeu confœderationem faciant, quòd ſibi mutuo non deficiant in ſuis defenſionibus, ſuſtentationibus & huiuſmodi, quæ notam conſpirationis oſtendunt: nec de facto contra aliquem prælatum, vel ſubditum malitioſe: conſpirent, ſub*

Guil. Fari. ordin. c. 7. pag. 138.

Carm. p. 3. conſt. c. 4. § 1.

Eremit. p. 6. c. 11.

Can. S. Sal. c. 25. n. 13.

Min. Ciſm p. 7. ſtat. 5. de comp.

Can. in Alga. conſt. 77.

pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda. Poſtea ſi præceptum violauerint, conſtituunt præter excommunicationem pœnas grauiſſimæ culpæ præſcriptas, per multos menſes carcerem, amiſſioné vocis vtriuſque, & alias eiuſmodi: irrita faciunt omnia illa iuramenta, & iubent conſpirationum duces & capita, vel à prouincia, vel ab Ordine expelli. Alfonſus Rodericus facit optimam huic morbo medicinam.

IIII. *Species amicitiæ inæqualium ætate.*

13 QVARTA ſpecies amicitiarum reprobatarum optimo expreſſam penicillo ab Alfonſo Roderico, eſt inter diſpares ætate: cum adoleſcens aliquis ac iunior cum ſeniore, beneuolentia peculiari & officijs colligatur. Valde diuerſi ſunt affectus & fines, quoniam ætas diuerſa: proinde, vt amicitiæ huius natura penitus cognoſcatur, quemadmodam numiſmata, ex vtraque parte ſpectanda eſt. Atque vt ordiar à iuniore ſtudioſo litterarũ & doctrinarum: hic è tirocinio translatus in cœnobium, vbi daturus eſt operam diſciplinis addiſcendis, ſi tepefactus in rerum ſpiritualium ſtudio fuerit, & ſuperbiæ aditum patefecerit, pluris æſtimare incipit ingenij cultum & linguæ, ſcientiam & eloquentiam; vnde laus, honor, & apud homines exiſtimatio ſplendeſcit, quàm ornamenta ſpiritus, ſui contemptum, virtutes ſolidas tantopere illi à magiſtro nouitiorum commendatas. Exinde fautores ſibi parat ac patronos, quorum adminiculis ad altiora conſcendat, & per honorificentiora miniſteria Mundo reddatur illuſtrior. Beneuolentiam magiſtri, Regentis, ſeu præſidis ſtudiorum

Alf. Rode. p. 1. tr. 4. c. 19.

-rum, diſcreti aut conſultoris alicuius, aut ſenioris, qui plurimum auctoritate polleat, ſuperioris, aut eius, qui apud Superiorem poſſe exiſtimetur, ſibi ſtrenue aucupatur; colit officijs, ore laudat, ei miniſtrat obſequijs, blanditur, & vero etiam interdum adulatur; exhibet atque ingerit ſe promptum eius imperio; refert res nouas hinc inde aure curioſa perceptas, & quidquid alij domeſtici de illo dixerint: omnem denique mouet funem ac lapidem, quod prouerbio dicitur, vt eius gratiam ineat ſenioris, per quem poſſit anteferri condiſcipulis, & in altiſſimo gradu probitatis, ingenij, doctrinæ in opinione Superiorum collocari. Speciatim curat per hos patronos quã diligentiſſime, vt quamprimum ab humanioribus ſtudijs ad philoſophica transferatur; vt in examine philoſophico Theologiæ integræ audiendæ iudicetur idoneus; vt decurſa philoſophia eximatur à tradendis inferioribus diſciplinis; vt ſacerdotium ne differatur; & ſi minus ſpiritualis, & parum ſtudioſus Theologiæ moralis apparet; vt in examine Theologico calculis omnium in doctrina conſpicuus cenſeatur, tum vt publice theſes defendere queat, tum ne difficultas ad ſummos Ordinis gradus conſequendos vlla remaneat: denique vt Sacerdos ad Theologicas cathedras, conciones in maximis templis, aliaſque honorificas functiones; vitatis laborioſis ac minus ſplendidis officijs promoueatur. Ex his perſpicuum eſt, iuniorem, qui hac via diſtorta graditur, ambitionis ſpiritu, deprauataque voluntate per ſuperbiã, quæ *Aſcendit ſemper*, duci; pro fine ſibi ſuam exaltationem atque excellentiam propoſuiſſe, in hac amicitia ſeniorum comparanda, quibus ſe tam officioſum & obſequioſum exhibet ſine permiſſu Maiorum. Senior autem, quamuis ad amicitias ineundas

Luc. in Pſeu domonte.

S. Baſ. l. de vtil. cap. è lib. Ethni.

Pſ. 23. 73

Ar.l.8.eth c.5. eundas, parum propenſus natura ſit, vt obſeruauit Ariſtoteles, tot tamen officijs cultus ac
Sup.n.3. prouocatus, ducitur ab affectu, quem cum Caſſiodoro nominauimus *Officialem*, ad rependendam aliquam iuniori beneuolentiam. Incitatur fructu commodorum præſentium, ac ſpe futurorum. Fruitur ſenior præſentibus commodis, cum iunior prompte comitatur egredientem; cum è bibliotheca libros in cubiculum affert: cum illi lucubrationes & conciones aliquas, aut dictanti ſcribit, aut iam ſcriptas deſcribit: cum denique in alijs neceſſitatibus laborioſam ad nutum exhibet ſeruitutem. Quæ futura commoda ſperat, ea ſunt officia & beneficia, quæ iam ætate confectus poteſt à iuniore recipere, cum vir factus gubernacula tractans cœnobiorum poterit ſenioribus prodeſſe. Quamobrem ſenior iuniorem apud Superiores patrocinio promouet, defendit, excuſat; concionaturum concionibus, diſputaturum argumẽtis ſubminiſtrandis iuuat; vt officijs officia compenſet. Quid quod interdum ſeniorem incautũ ad huiuſmodi amicitias & patrocinia trahit ille idem affectus, qui capit adoleſcentes, ſpectans in adoleſcente leporem, vrbanitatem, ingenium, indolem, formam potius, quàm virtutes? Maxime reprehenſibilis eſt, hæc amicitia peculiaris ætate diſparium, tum ratione iunioris, tum ſenioris. Adoleſcens huiuſmodi patrocinijs, aut certe ſpe patrocinij fretus, negligit virtutum verarum, ſpiritualiumque rerum ſtudium: remittit diligentiam in litteris & doctrinis addiſcẽdis, ſperans defectum omnem in vtroque ſtudio, auctoritate ſenioris patroni ſuppletum iri: deſpicit condiſcipulos ac ſodales, quibus ſe antelatum, aut præferendum putat: violat ſæpe domeſticã diſciplinam, & paruipendit iuſſa moderatorum, confidens

dens, ſe vitaturum pœnas, quòd defenſoré habét magnæ auctoritatis. Per has actiones à recto deflectentes, domeſticis fit inuidioſus, odioſus, & euadit multis etiam intolerabilis. Damnanda eſt quoque ex parte ſenioris hæc amicitia: tum quia iuniori nocet adeo patrocinio ſuo, vt vere cauſa ſit illi malorum, quæ recenſui: tum quia ſibi obeſt, minuens bonam famam, multorum annorum ſpectata virtute comparatam: quæ ſane læditur, quum peculiaris amicitia contracta cum adoleſcente, ac nimia familiaritas ex ea profecta deprehenditur. Quam ob cauſam maxime ſuſpecta ſemper fuit conuerſatio & familiaritas ſingularis ſeniorum cum iunioribus, vt docebo; & ab omninus fere Ordinibus interdicta; quemadmodum probatum eſt in commentario regulæ vigeſimæ ſeptimæ communium. Infr. n.24. Ad reg.27. com. n.10.

V. Species amicitiæ adoleſcentium paucorum.

14 QVinta ſpecies & poſtrema ſodalitatum noxiarum, eſt ſodalitas paucorum adoleſcentium. Hæc eos conſociat inter ſe beneuolentia quadam, quæ oritur ex affectu, quẽ in illa ætate plurimum valere diximus; vbi etiam docui, quot & quibus facibus accendatur. Præcipuus effectus ſodalitatis huius eſt otioſa conuerſatio. Notus fuit Ariſtoteli, cui vbi docuiſſet, ad amãdum iuuenes eſſe propenſos, atque ab affectu voluptateq. duci, ſubdit: *Ideo fit, vt & ament, & cito deſiſtant: ſæpe eodem die ſententiam mutantes, ſimulq. toto die verſari & conuiuere velint. Ita enim id, quod ex amicitia requirunt, ipſis euenit.* Alio in loco docet idem Philoſophus ſenes non admodum aptos, aut propenſos ad amicitias eſſe: *Propterea quòd non ſimul diem traducunt, neque mutuo conſuetudine de* Sup. n.4. Ar.l.8.eth c.3. Id.l.8.c.5.

lectantur, quæ ad amicitiam pertinere maxime videretur. At iuuenum contraria prorſus ratio eſt. Et quoniam eſt frequens atque aſsidua hæc mutua iuniorum conſuetudo (propterea quòd in eodem domicilio viuunt, & ſibi inuicem præſentes ſunt) dicitur nimia familiaritas; & ſub hoc nomine damnatur à multis ſpiritualibus magiſtris. Præterea maxime omnium eſt cognita, quòd reliquarum frequentiſſima ſit in cœnobijs, ſeminarijs, contubernijs, vbi ſtudioſi iuuenes educantur. Otioſam dixi horum ſodalium conuerſationem eſſe; quia cum non ſit amicitia vera, quæ ſine virtute non eſt, ſed veram æmuletur, non eſt conuerſatio fructuoſa & virtutis ſtudio quæſita, ſed iucunditatis & voluptatis illius, quę naſcitur ex iocis iucundiſque ſermonibus. Itaque finis amicitiæ huius eſt Voluptas ex conuerſatione. *Proinde* horum amiculorum conuerſatio ſine retinaculis vllis effundit omnes iocos, dicteria, facetias, vrbanitates, dicacitates, ridicula, ſcurrilitates, è quibus captatur plenis buccis riſus, & dilatato pectore voluptas. Diligentiſsimus ſcrutator naturæ iuuenilis Ariſtoteles obſeruauit ad hęc iuuenes eſſe propenſos: *Et riſu*, inquit, *delectantur, itaq. faceti*. Beatus Laurentius horum iuuenum, qui ſunt in cœnobijs huiuſce generis amicitijs irretiti; conuerſationem otioſam, & voluptatis riſuſque cupidam expingit his coloribus verborum: *Solent in conuerſationibus familiaribus nimiumque aſſiduis, niſi caute agantur, intermiſceri vaniloquia, ſcurrilitates, detractiones, & effrenati riſus*. Non ſemper in hoc gradu ſubſiſtit hæc quinta ſpecies amicitiæ; ſed interdum ad deteriora delabitur; cuiuſmodi ſunt comeſſationes compotationeſque furtiuæ; perſecutio alicuius, qui ſtudent ſanctitati diligentius. Quæ deprauatio tunc fit, cum aliquis

Ar. l. 2. rhe c. 30.

B. Laur. c. 21. de diſc. & perf. mon. conuerſ.

aliquis grandior natu, ſe ſodalem adiungit, vel potius chori ducẽ; & tamquam aſtutiſſimus delphin thynnos, ſimpliciores adoleſcentes in retia hæc amicitiarum inextricabilia trahit ac detinet. Exemplum huiuſmodi conſpirationis habetur in vita S. Odonis, dum in monaſterio Sancti Bernonis iuuenis commoraretur. Quidam enim ætate ac moribus iuuenes Vuidone quodam duce, illum ſerio perfectioni ſtudentem paſsim iniurijs afficiebant, & inſectabantur conuicijs: ipſe vero quaſi reus ad cuiuſq. pedes proſtratus veniam precabatur, vt humilitate ſua frangeret eorum improbitatem. Sed Deus ſancti viri vltus eſt iniurias. Nam ij, mortuo Bernone, deſerta vita religioſa, in ſæculo teterrimo exitu extincti ſunt. Hæc ſatis de ſpeciebus amicitiæ, ac de capite ſecundo. Vitæ S. Odon. l. 1. c. 16. apud Sur. 18. Nou. & in bibl. Clun

C A P. III. *Pernicioſæ ſunt hæ omnes amicitiæ communitati vniuerſæ, in qua tolerantur.*

15 AD tertium caput deuenimus, quo demonſtrabitur, quàm multis nominibns vniuerſę communitati cœnobij pernicioſæ ac deteſtandæ ſint, cum omnes enumeratæ amicitiarum ſpecies, tum potiſſimum quinta iuniorum ob frequentiam & pericula, non ab omnibus expenſa. Grauiter admodum Iacobus Aluarus noſter locutus eſt, cum eas euertere diſputatione aggrederetur, dicens: *Qua amicitia & familiaritas, ſi ad nimietatem declinet, non minus ipſiſmet Religioſis, ac ſanctæ Religionis domibus pernicioſa eſt, quam eſſent inimicitiæ ac manifeſta diſſidia: niſi quod iſta palam, & ſine vllo fuco bonum Religionis deſtruunt.* Sed quid Aluarum produco? Communis eſt ma- Iac. Alu. t. 1. l. 5. p. 2. c. 26.

giſtrorum ſpiritualium vox & ſententia. Veteres ac mediæ ætatis magiſtros obſeruet lector in decurſu diſputationis: recentiores nonnullos recenſebo, atque locos indicabo, vnde pluria, ſi velit, poſſit exhortator & inſtructor excerpere. Ioannes à Capiſtrano Ordinis Minorum de obſeruantia, vir magnæ probitatis & experientiæ, præcipiens vitari à ſuis ſuſpecta conſortia & familiaritatem cum mulieribus, addit hæc verba notatu dignissima: *Intelliguntur autem ſuſpecta conſortia, nõ ſolum de mulieribus, ſed etiam de ſuſpectis familiaritatibus quibuscumque, ſiue cum ſecularibus perſonis, ſiue etiam cum ipſis Fratribus noſtri Ordinis nouitijs, ſiue profeſſis. Et ideo tam Vicarij, quàm Guardiani ſint ſoliciti diligenter & attenti.* Bernardinus Schottus clericus regularis (qui mortuus eſt Cardinalis) functus officio præpoſiti, ſalutaribus documentis epiſtolam pleniſſimam ſcripſit ad Ordinem ſuum: quam dedit in lucem Antonius Caracciolus ex eadem Religione. In ea monens ſuos, ne laxari morum diſciplinam patiantur, inter cetera hæc habet: *Itaque qui relaxationem quærunt, primum ſibi ipſis, deinde alijs quãplurimis nocẽt. Hinc enim peculiares amicitiæ, & ſocietates quædam prohibitæ in congregationibus fiunt, quibus nihil eſſe poteſt pernicioſius. Hinc diſſenſiones & contentiones oriuntur; hic odia & ſuſurrationes, & conatus quidam occulti ad ſuadendum aptiſſimi eam vitam, quam ſibi delegerunt, videlicet laxiorem, dum alijs quoque pro regula tradere & approbare nituntur. &c.* Clerici regulares Sancti Pauli de nouitijs conſtituentes, in quibus propter ætatem maius eſt periculum, ſic magiſtro eorum præcipiunt: *Solutam quandam inter eos conſuetudinẽ, & libera colloquia ne permittat: præcipuas inter aliquos amicitias prudenter diſiungat;*

Io. Capiſt. c. 11. ordinat.

Bernard. Schot. Car apud Ant. Caracc. in not. ad cõſtit. p. 3. c. 2. n. 1.

Cler. reg. S. Pauli. l. 1 conſt. c. 4.

in familiaritatem profeſſorum venire prohibeat. Ioannes à Ieſu Maria Carmelita diſcalceatus, in inſtru ctione Magiſtri nouitiorum, inter maxime cauẽda illis, & ipſi obſeruanda in eorum educatione, locat ſingularem familiaritatem eorum, *Qui vel ob ingenij ſimilitudinem, vel aliam quamuis ob cauſam, non ſine aliorum nota, occaſionibus oblatis, vel quaſitis ſimul verſari aſſueſcunt*. Ioannes Trullus ex Ordine canonicorum regularium Sancti Auguſtini, reducit ad carnalem dilectionem, ab eo ſancto doctore merito damnatam, affectũ priuatũ erga paucos. Canonici Sancti Saluatoris ſub eodem vexillo militantes, conſtituunt, *Ne ſub ſpecie fraternæ charitatis, habeatur aliqua frequens conuerſatio ſingularis*. Seruatius Ordinis Præmonſtratenſis ſub eiuſdem Auguſtini regula, monet Prælatos, vt magno ſtudio & induſtria diſſocient eos, *qui conſpirant in malum, & concordant inter ſe*. Beatus Ignatius noſtræ familiæ architectus inſtituit quandam vtiliſſimam animæ apertionem, in qua quiſque Superiori ſuo tamquam patri ac magiſtro cor patefacit, & rationem conſcientiæ ſecreto reddit. In ea illud eſt in rem præſentem, vt ſubditus ſignificet, *An alicui plus ſit familiaris, quàm alijs*. Iam tunc vir ſanctus ac prudens obſtruere cœpit aditũ huiuſmodi peculiaribus amicitijs, ne in ſuum Ordinem irreperent. Præſtiterunt id alij poſtea. Iulius Fatius in libello Italice edito de mortificatione, ſuadens indifferentiam in conuerſando, diſſuaſit priuatas amicitias. Secutus eſt Lucas Pinellus in libro, quem Italice itẽ ſcripſit de religioſa perfectione, ad imitationẽ aurei libelli Thomæ Kempenſis de imitatione Chriſti, caput habet, quo Chriſtũ inducit Religioſos à nimia familiaritate paucorũ ſodaliũ reuocã-

Io. à Ieſu. inſtr. mag. nou. p. 3. c. 9. §. 5.

Io. Trull. l. 4. in reg. S. Aug. c. 21.

Congr. S. Salu. conſt c. 10. n. 14.

Seruat. opt ſpec. 39. in ſtr. 8.

Sum. cõſt. n. 40.

Iul. Fat. l. de mortif. c. 18.

Luc. Pinel. l. 4. de perf c. 5.

tem

Cl. Aqu. ep. 1. & l. induſtr. c. 8.

tem. Sub idem tempus Claudius Aquauiua, regens quinto loco Societatem uniuerſam, monuit primum ſuos, ne huic generi familiaritatum feneſtram vllam aperirent; deinde in libro induſtriarum ad curandos animi morbos, caput ſcripſit pro curanda inclinatione ad amicitias: tum ad gubernandos alios non eligebat eos, qui peculiares affectiones ad particulares perſonas in gubernatione cum aliorum offenſione retenturi viderentur. Bernardinus Roſignolius opere Latino de diſciplina Chriſtianæ perfectionis, monuit potiſſimum adoleſcentes Sancti Baſilij teſtimonij, vt priuatas ſodalitates amoremque ſingularem defugerent. Prodijt in Hiſpania Alfonſus Rodericus, qui prima parte ſuorum exercitiorũ de perfectione virtutibuſque Chriſtianis Hiſpanice primum ſcripta, deinde in alias linguas, etiã Latinam translata, collegit in tractatu quarto varias ſpecies huius pernicioſæ amicitiæ, quas optimis rationibus ſuadet ab Ordine quocumque religioſo quam longiſſime arceri oportere, atque ego proximo capite recenſui & explicaui. Caput integrum & amplius Iacobus Aluarus de Paz in tomo primo de vita ſpirituali eiuſque perfectione, impendit in deteſtationem nimiæ familiaritatis, quæ primarius partus eſt huius deteſtabilis amicitiæ. Ludouicus Pontanus in vita Balthaſſaris Aluarez viri valde ſpiritualis atque experti, refert illius ſẽſum de his amicitijs: qui dicebat ingens detrimentum inde prouenire, etiamſi alias bonæ videantur: Præterea in rebus valde fugiendis ob perniciem collocabat primo loco, *ſtrictam & particularem cum aliquo amicitiam, præcipue quã tota communitas notet.* Idem Pontanus ex ſuo ſenſu, diſputans de perfectione charitatis, docet eos, qui hac ratione amant, ex motiuis mundanis

Bern. Roſign. l. 4. de diſcipl. & c. c. 27.

Alf. Roder p. 1. exerc. tr. 4. c. 18. & ſeq.

Iac. Alu. t. 1. de vita ſpir. l. 3. p. 3. c. 10. & ſeq. l. 5. p. 2 c. 26.

Lud. Pon. vitę Aluar c. 11. §. 1. & c. 29. §. 2

Id. t. 3. de Chriſt. perf. tr. 7. c. 11. §. 1.

nis

his carnalibus, cuiuſmodi eſt vtilitas & voluptas, excedere limites communis amoris, cum non exiguis damnis, & inordinatione propriæ perfectionis ac profeſſionis, & impingere in vitium, quod in amore dicitur acceptio perſonarum. Ioannes Buſęus in Germania dedit in lucē πανάριον, hoc eſt Arcam medicam: in qua ſub nomine eiuſdem nimiæ familiaritatis, huic morbo facit medicinam, remedia multa præſcribens, è ſanctorum patrum deprompta narthecijs. E Belgio prodijt Medicus Religioſus Caroli Scribani, qui capite integro exagitat nimias cum vno alteroue familiaritates, & eidem morbo applicat medicamenta ſalutaria. Verum, vt methodo aliqua gradiamur; damna, quæ communitati afferuntur ab his amicitijs, ad quatuor capita reuoco; diminutionem charitatis: violationem iuſtitiæ: diſciplinæ regularis euerſionem: offenſionem & ſcandalum domeſticorum & extraneorum.

Io. Buſ. Arca med. ſi famil. nimia

Car. Scrib. l. 3. med. relig. c. 17.

16 Primum ergo nocet ſingularis hæc amicitia & familiaritas fraternę charitati, quę maximum bonum & ornamētum familiarum religioſarum eſſe fatentur omnes. Cum autem fraterna hęc charitas, ſit quędam ſpiritualis amicitia, & in omnium animis inſederit in amicitia vera, charitateq. fraterna omnia communia eſſe oportere; labores & commoda; perſuaſiſsimum quoque eſt, amorem, beneuolentiam, conuerſationem, communem eſſe debere in Religione, ſanguine propinquis & longinquis, indigenis & alienigenis, iunioribus & ſenioribus; clericis & laicis; iucundis & auſteris. Quamobrem, qui paucos diligit ſingulariter, non videtur alios diligere, aut certe non ęqualiter diligere. Qui cupit ſeſe amari, hanc opinionem habet, amore minui, cum voluntas vni ſe plus impendit amando,

do, quàm alijs: quemadmodum euenit in fluuio in multas foſſas æqualiter deriuato. Nam ſi plus aquæ vni riuo tribuitur, ſine dubio detrahitur alijs, quibus æque diuidebatur; vt in re ſimili docuit S. Gregorius Nyſſenus. At S. Baſilius grauiſſimis & ſententijs & verbis expreſſit non vno in loco damnum hoc læſę charitatis. *In communi contubernio*, inquit, *neutiquam patitur charitatis lex, aliquas coiri ſeorſum, aut amicitias, aut ſodalitates. Si quidem nullo modo fieri poteſt, quin affectiones iſtæ, quæ in hanc magis, quam in illam propendent partem, plurimum incommodent communi omnium concordiæ. Quare æqualiter inter ſe omnes diligere debent: idemque erga vniuerſum Fratrum cœtum charitatis tenendus eſt modus. Quòd ſi quis inuentus fuerit, qui maiore quadam animi propenſione monachum fratrem, vel propinquum, vel alium quauis de cauſa videatur diligere, hunc caſtigare oportet, vt iniurium publicæ charitati. Siquidem in eo, quòd quis aliquem plus diligit, facile indicat reliquos ſe in amore inferiores habere.* Hanc rationem tamquam firmiſſimam producit alio in loco, cum ait: *Qui enim vnum aliquem magis, quàm ceteros diligit, is quod non perfecte diligat ceteros, de ſe ipſo indicio eſt.* Subſcribit Baſilio S. Chryſoſtomus laudans mutuam charitatem Chriſtianorum Theſſalonicenſium in explanatione verborum illorum: *Et abundat charitas vniuſcuiuſque veſtrum in inuicem:* Ponit probandum dilectionem peculiarem, non eſſe dilectionem, ſed diſſidium. *Quando*, inquit, *bini, vel terni coniungimur; & duo quidem, vel tres, vel quatuor, vehementer colligantur; à reliquis vero nos ipſos auellimus, dū ad iſtos refugiū habemus, de iſtis omnia præſumimus, illud charitatis eſt diuiſio, nō charitas.* Illuſtrat ſuam poſitionē exēplo corporis, quod perderetur prorſus, ſi oculus omnē curā in manū

S. Greg. Nyſſ. l. de virgin. c. 7

S. Baſ. ſer. 1 de inſtit. mon.

Id. ſer. 2. de inſtit. mon.

2. Theſſ. 1. 3.

S. Chryſ. ſer. 2. in 2. Theſſ. c. 10

ſolā impenderet, neglectis reliquis mēbris. Ita & nos inquit, *ſi charitatē, quam in vniuerſam Eccleſiā* (dic tu lector, in omnem familiam, cœtū, cœnobiū) *extendere debemus, in vnum & alterum coarctauerimus, & nobis ipſis, & illis, totiq. Eccleſiæ perniciē inferemus*. Claudit probationem his verbis. *Iſta namque non ſunt charitatis, ſed diſſidij ſchiſmata nēpe, & hiulca ruptura*. Et paulo poſt: *Quid proderit, quid aliquē vehementer amas? Humana eſt iſta dilectio. Si vero non eſt humana, ſed propter Deū illū diligis, dilige omnes. Nā Deus ita præcepit, vt & inimicos quoq. diligamus. Si enim inimicos diligere præcepit, quanto magis eos, qui te non contriſtarūnt?* Hæc amoris inæqualitas in alijs ſocijs, qui ſunt extra hæc rētia, duos exſuſcitare conſueuit affectus (niſi ſint valde perfecti) maxime contrarios charitati. Prior eſt inuidiæ; vt etiā obſeruauit Ludouicus Pōtanus; nā facile inuidem? ſocio, quē ab alijs, plūs quā nōs videmus amari; præſertim ſi qui plus eum amāt, ſunt præceptores, præfecti, regentes ſtudiorum, diſcreti, conſultores, ſeniores, ipſiq. ſuperiores, qui plus quā ceteri poſſunt illi prodeſſe. Naſcitur ex inuidia mæror & aliæ perturbationes, quæ pacem internam auferunt inuidenti; atque ex eius ore verba quædam eliciunt, quæ tranquillitatē publicam cænobij non modice perturbant. Notum id eidem S. Baſilio, qui poſt verba nunc deſcripta, hæc ſubdit ex diuerſa translatione: *Quapropter ab omni ſocietate & congreſſu procul arceatur iſta ſingularis affectio, perinde ac pugna quadam indecens: nā vt hac manifeſtas producit inimicitias, ſic illa inuidiā & ſimultates generat*. Alter effectus, qui gignitur in alijs ſocijs minus perfectis, eſt odij, ſi tamen odium ſtare poteſt cum charitate fraterna. S. Baſilius perſpicue loquitur in eodem loco; vbi generari dixiſſet inuidiam: *Vbique enim æqualitatis de-*

Lud. Pont. t.2. de perf tr.3. c.14. n.2.

S. Baſil. ſer 2. cit.

Id ibid.

defraudatio, inuidiæ odijque materia ac ſeminarium exiſtit ijs, qui ea defraudantur. Et poſt exemplum diuinæ bonitatis, quæ ſolem ſuum oriri facit ſuper iuſtos & iniuſtos, ſubdit; *Quemadmodum igitur Deus promiſcue omnibus lucem impertitur, ſic imitatores Dei, charitatis ipſorum radium æqualiter communicare omnibus debent: quandoquidem vbi deliquium patitur charitas, eo prorſus eius loco odium ſuccedit*. Hęc Sanctus Baſilius; qui ſuis in monaſterijs, odium excitatum nouerat in animis eorum, qui ęgerrime vident iſtos amores ſingulares. Confirmat S. Baſilij doctrinam omnem ſacra Geneſis hiſtoria, vbi de amore maiori ac ſingulari, quo Iacob Ioſephum filium in ſenectute genitum ſine culpa, vt ego reor, proſequebatur, hæc leguntur. *Videntes fratres eius, quòd à patre plus cunctis filijs amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui*. Dixerim ego non odium proprie ſumptum habitare in pectoribus eorum, qui perfectionis cupidi ſunt; ſed feruorem charitatis intepeſcere, tamquam frigida ſuperfuſa in cordis aheno bullienti. Quis non intelligat his duobus affectibus tepefactam, minui ac debilitari fraternam charitatem?

Gen. 37. 4.

17 Secundum damnum eſt violatio iuſtitiæ. Ducit nos in hanc ſententiam idem peritiſsimus magiſter Baſilius his verbis: *Quoniam autem æquali prorſus inter ſe viciſſim charitate complecti omnes debent; iuſtitia violatur, quotieſcumque in communi conuentu priuatæ aliquæ coitionis reperiuntur, aut ſodalitates*. Dat lucem Baſilio Iacobus Aluarus, differens de eo, qui captus immoderato affectu erga aliquem, aut nimię familiaritati cuiuſpiam addictus, multoties eum ſupra meritum laudet, & alijs anteponat, *Ex hoc autem*, inquit, *quid in cõgregatione Religioſorum, niſi diſcordiæ & rixæ, & diſſen-*

S. Baſ. ſer. 2. de inſt. mon.

Iac. Aluar. t. 1. l. 9. p. 2 c. 26.

diſſenſiones ſperari poſſunt, dum quiſque ſuum familiarem intendit in potiori loco collocare, & ſupra alios efferre? Quid niſi iuſtitiæ & æquitatis violatio, dum dignus non amatus reijcitur, & indignus amatus extollitur? Quid niſi ipſius religioſæ familiæ pernicies, dum volumus ab indignis & immeritis, quia eos diligimus, gubernari? Dicuntur hęc vere, quibus cũ congruit Ludouici Pontani opinio commemorata ſentientis, his amicitijs inuolui vitium, qui vocatur *Acceptio perſonarum*. Quod confirmari poteſt ex doctrina S. Thomæ ac Ioannis Gerſonis docentium peccari contra iuſtitiam diſtributiuam per acceptionem perſonarum; *cum in perſona conſiderantur conditiones & proprietates, quæ non faciunt ad rem, vel ad cauſam:* hoc eſt non reddunt perſonam dignam eo munere. Hoc euenit in amicitia priuata, quę non facit ad rem, neque ad cauſam in electionibus perſonarum; & tamen conſideratur, mouet, eſtque cauſa electionis atque exaltationis amici ad officia, dignitates & gradus, ad quos minime idoneus eſt. Et quoniam ex alicuius iudicio, valere poteſt hæc ratio tantum ad abſterrendos eos, qui iam in gradu aliquo conſtituti, poſſunt peculiaribus amicis ſuis, vel in conſultationibus, vel in congregationibus, ſeu capitulis ſuffragari: produco Sancti Pauli ſententiam iniuſtitię condemnantem eos omnes, qui ſingularibus amoribus irretiti, veram charitatis beneuolentiam reliquis ſociis non ſingulariter dilectis nequaquam impendunt. Scribens Apoſtolus Romanis, iubet debitum omne perſolui, quod eſt iuſtitiæ, dicens: *Reddite ergo omnibus debita.* Declarat illico quę nam ea ſint, cum ait. *Cui tributũ, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* Poſt hęc adijcit: *Nemini quidquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis.*

Sup. n. 15.

S. Th. 2. 2. q. 63. ar. 1. & 2.

Gerſ. t. 7. tr. def. ter. Theol.

Rom. 13. 7 8.

His

S. Ber. ſer. 11. in pſ. 90. His verbis, vt obſeruat Sanctus Bernardus, non vult alia debita negari, quæ antea iuſſerat reddi; ſed & illa omnia perſolui; & inſuper debitum charitatis, vt omnis impleatur iuſtitia: quoniam ex S. Ambr. Rom. 13. Ambroſio dilectio refertur ad iuſtitiam. Eſt autem hoc diſcrimen inter debitum charitatis, & alia debita, verbi gratia pecuniarum, ex Sancti S. Aug. ep. 64. ad Cæleſt. Auguſtini obſeruatione; quòd hæc, vbi perſoluta ſunt, non amplius debentur; charitas vero, etiam cum perſoluitur: debetur: quia ſemper ita diligere debemus affectu, vt parati ſimus etiam effectu & opere ſoluere debitum, cum oportuerit, atque hac ratione numquam debere deſinimus. *Semper*, inquit, *debeo charitatem, quæ ſola etiam reddita, ſemper detinet debitorem. Redditur enim cum impenditur, debetur autem etiam ſi reddita fuerit, quia nullum eſt tempus, quando impendenda iam non ſit: nec eum redditur amittitur; ſed potius reddendo multiplicatur, habendo enim redditur, non carendo*. Videtur Sanctus Auguſtinus æmulatus dictum Cic. l. 4. de off. or. poſt red. ad Quir. & pro Planc. ſapientis illius, qui referente M. Tullio pluribus in locis dicebat, *Pecuniam, qui habeat, non reddidiſſe; & qui reddiderit, non habere: gratiam autem, & qui reddiderit, habere; & qui habeat, retuliſſe*. S. Fulg. ſer de chatit. Sanctus Fulgentius quoque pertractãs idem Pauli dictum aiebat: *In qua* (charitate) *ſic debemus, quandiu in hoc ſæculo viuimus, creſcere inuicem diligendo, ſicut eam iubemur ſemper debere reddendo. Beatus namque Apoſtolus Paulus, dum nos omnibus debitis præcepiſſet abſolui, ſolo nos mutuæ charitatis debito ſemper voluit detineri*. Et poſt nos hortans ad dilectionem mutuam ait: *Et inueniemus ſanctam charitatem, quam ſemper debendo reddamus, & reddendo ſalubriter debeamus*. Religioſus ergo debet fraternam charitatem omnibus ſocijs æqualem, habita ratione perſonarum, & recta ratione. Si

quem

quem ſingulariter amat, neceſſario reliquos, aut frigide, aut remiſſe, aut parum, aut nihil diligit; proinde non ſoluens debitum diligendo, iniuſtus eſt. Porro neceſſe eſt alios diligi minus ac tepidius ab eo, qui ſingulariter & ardenter quempiã amat, quoniam vehemens amor multos diligere non poteſt ſimul, ſed vel paucos, vel vnum. Infr.n.19.
Quod ſi dicas à te cunctos amore charitatis æqualiter diligi, conficitur ex hoc tuo dicto, quos ſingulariter amas amore peculiari, non eos charitate diligi, ſed alia dilectione, quæ non ſit charitas illa ſpiritualis & ſancta, qua iubemur fratres religioſos æquali amore complecti propter Deum. Itaque cum is non ſoluat debitum amoris ſpiritualis ceteris ſodalibus, violat iuſtitiam, vt ex S. Baſilio dicebatur.

18 Tertium damnum communitatis eſt, Euerſio diſciplinæ regularis & domeſticæ. In explanatione tituli regularũ, definiui diſciplinam hanc eſſe, *Obſeruantiã regularum ordinatã in cœtibus religioſis:* Tit. par.2 n.13.& ſeq intelligens in primis regulas illas, quas nos cõmunes vocitamus, conſtituentes diſciplinã exteriorem & œconomicam. Oſtendi propter vtilitatem, ac prope dixerim neceſſitatem, etiam ad interiorem diſciplinam conſeruandam, dici poſſe *Præcipuum decus atque ſtabilimentum religioſi ſtatus, & vinculum tenaciſſimum concordiæ*: quomodo fere locutus eſt Valerius Maximus de diſciplina militari. Val. Max. l. 2. c.2. Produxi multos patres ad confirmationem horũ; & inter eos S. Bonauenturã dicentẽ: *Tranſgreſſio eorum deformat Religionis decorũ, & profectũ ſpiritualem, & aliorũ ædificationẽ ſolet impedire.* S. Bon. l.de ſex alis Seraph.c.3. Poſt: *Cauenda eſt negligentia exterioris diſciplinæ, quæ pro decore Religionis, & habilitationis profectus ſpiritualis ſtatuta eſt: cuius deſertio ſignum eſt neglectæ conſcientiæ interioris leuitatis.* Validiſsimis argumen-

 tis

tis ſum cohortatus Superiores ad eam in cęnobijs ſtrenue retinendam. Hanc igitur regularem obſeruantiam, ſeu domeſticam diſciplinam, bonũ eximium religioſi Ordinis, amicitię peculiares euertunt atque exterminant è cœnobijs, vt à magiſtris vitæ perfectioris didici. Teſtis eſt in primis Beatus Laurentius exercitatus in hac vita magiſter, deſcribens cum ploratu mores eius Religioſi, qui ſodalem ſingulariter quidem, ſed non dilectione ſpirituali amet. *Patrum, inquit, obſeruationes frangit, monaſterij inſtitutiones non obſeruat, ſilentia paruipendit, orationem poſtponit, cellulæ ſecretam quietem negligit; & intus nihilominus ſtimulante & vrente conſcientia, velut amens, poſt ſuam totus trahitur concupiſcentiam.* Paucis multa complexus B. Laurentius: atque ea veriſſima intelliget, qui attente notauerit horum priuatorum amiculorum mores: regularum transgreſſionem, orationis neglectionem, odium cellę, ſilentij violationem, quæ fit in mutua & nimia conuerſatione, ac familiaritate. Ex qua oritur quoque Parrheſia, quam Agathon apud S. Dorotheum definit eſſe, *Cum quis præter neceſſitatem alium contrectat, manuſq. ſuas iocandi ridendique ſtudio in ſocium inſectat: cum impellit aliquem atque protrudit; cum violenter quidquam, aut furtim ab alio rapit.* Hanc ſequitur furtiuus in comeſſationibus eſus ac potus, vt equidem probabiliter colligo ex multis priſcis patribus, quos produxi alio in loco, condemnantes ſeueriſſimis pœnis id committentes, tamquam diſciplinæ violatores. Et quoniam ijdem amicitijs impliciti ſunt amatores vitę ac diſciplinæ laxioris, vt prudenter ſcripſit Cardinalis Schottus, ideo inferre poſſumus eoſdem eſſe ſolere, qui reſtitutioni diſciplinæ in integrum, & conſuetudinibus ſalutaribus introducendis facto agmine reſiſtunt,

B. Laur. c. 22. l. de diſcipl. & perf. mon. conu.

S. Dorot. ſer. 4.

Ad reg. 26 commun. n. 12. & ſeq.

Supr. n. 15.

ſtunt, dicentes ſe nolle reformationem. Sanctus Bernardus hanc amicitiam nuncupat, *Vnitatem facinoroſorum*, & Vnitati Sanctorum opponit, eam delineat his verbis: *Talis vnias, imo vero peruerſitas, ſolet eſſe aliquorum Fratrum tepide ac remiſſe conuerſantium: quibus ſi quid honeſtatis, aut inſigne cuiuſquam bonæ conſuetudinis perſuadere velis, promptiores ſunt maiori diſpendio, ac difficultate grauiore reſiſtere, quàm facili compendio aſſequi velle, quod rectum eſſe conſtiterit. Peruerſa & execranda talis vnitas.* S. Ber. ſer. 5. de Aſſū.

19 Quartum damnum communitatis, eſt offenſio ſcandalumve domeſticorum & extraneorum per malum exemplum. Pronuntiatum eſt B. Laurentij: *Interdicenda eſt*, inquit, *aſſidua & priuata conuerſatio in collegijs ſeruorum Chriſti: quæ quã quam in nullo alio reprehenſibilis ſit, ſine proximorum tamen ſcandalo fieri nequit.* Et infra: *Solent in conuerſationibus familiaribus, nimiumque aſſiduis, niſi caute agantur, intermiſceri vaniloquia, ſcurrilitates, detractiones, & effrenati riſus: per quæ mẽs diſtrahitur, compunctio diſſoluitur, gratia ſubtrahitur, proximus male ædificatur.* Ante Beatum Laurentium Sanctus Bonauentura locauit *ſuſpectam familiaritatem* inter ea vitia, *Quæ* (vt eius verbis vtar) *odorem famæ Religioſorum, quo alij Fideles debent ab eis ædificari, & ab eis diſcere, quid canere debeant & facere, fetere faciunt, vt magis per eos inficiantur ſcandalo, quàm reficiantur virtutis exemplo.* Hæc offenſio ex dictis oritur. Primum ex ſingularitate ipſa, quæ ſuapte natura, in quouis genere rerum moleſta & odioſa eſt. Sanctus Auguſtinus: *Turpis omnis pars eſt, ſuo vniuerſo non congruens.* Singularis Religioſus, eſt quidem pars communitatis, ſed non congruens cum vniuerſa communitate, quæ facit, quod ille non facit, cum

B. Laur. l. de diſc. & perf. &c. c. 22.

S. Bon. l. de ſex alis Seraph. c. 3.

S. Aug. l. 3. confeſſ. c. 8.

ſingularis a communibus moribus recedat. Hinc
Pet. Bleſ. ſer. 50. Petrus Bleſenſis vitium ſingularitatis, curioſitati,
vt grauius anteponit. *Veruntamen deteſtabilius iſto,*
inquit, *eſt vitium ſingularitatis. Qui ſingularis eſt*
aſpernatur ceteros, & ſe ſolum religioſe viuere proteſta
tur: ſuſurro in fratribus; fomitem odij, & ſeminaria
diſcordiæ miniſtrans; quibuſdam latenter detrahit, quo
rumdam benefacta patenter decolorat: manus eius con-
tra omnes, & manus omnium contra eum. Timendum
eſt, ne exterminet eum aper de ſilua, & ſingularis fe-
Pſ. 79. 14. *rus deuoret ſingularem.* Quòd ſi auctor hic adeo de-
teſtatur ſingularitatem eorum, qui ſe religioſius
viuere arbitrantur, quàm vehementius inueheretur in ſingulares, qui ſingularitatem in vitio conſectantur? Itaque ſingularitas in amando vitioſe,
ſubit eandem reprehenſionem, & magnam creat
offenſionem. Nam ex eodem Petro, communis vitæ lex, cui parere debent Religioſi, *In tribus maxime conſiſtit, in communi dilectione fraterna; in communi ſubſtantia; in communi obedientia.* Sublata ergo communione fraternæ charitatis, ſingularis
amor inuidiam & odium excitat, & inde offenſio-
Sup. n. 17. nem. Deinde ſodales offenduntur ex iniuſtitia, quã
committi docuimus, cum non omnibus rependitur amor æqualis, qui debetur ſingulis ex eadem lege vitæ communis. Tertio quem Religioſum amantiorem diſciplinæ non offendat contemptus
obſeruantiæ regularis, quàm iſti ſingulares amici
violandis regulis tam manifeſte audacterque conculcant? An non ſcandalum obijcitur pedibus infirmiorum adoleſcentium, per hanc tantam diſciplinæ domeſticæ regularumque deſpicientiam? Quarto loco maxime offendunt, & ſcandalum ſocijs perfectę vitæ ſtudioſioribus opponunt peccata, quæ forte in his amicitijs committuntur.

tuntur. Quòd ſi non omnis amicitia ſingularis peccatis ſcatet; malam certe ſpeciem habet, & peccatorum graues ac probabiles ſuſpiciones inducit; quia non amore ſpirituali conglutinantur, vt demonſtrabitur. Iacobus Aluarus noſter, ante me id monuerat ſpiritualis vitæ ſtudioſos his verbis: *Indiſcretæ familiaritates toti congregationi nocent, quia in cordibus aliorum ſcandala generant & querimonias, ac detractiones exſuſcitant. Quis namque videns duorum Religioſorum frequentes, ſine vlla neceſſitate, collocutiones, ſuſurrationes, cachinnationes, non aliquid mali de illis ſuſpicetur, non charitatis ſinceritatem abeſſe imaginetur; non ad credendum aliquid eſſe inter illos minus graue, minus decens, & forte minus honeſtum compellatur?* Hæc ille cum alijs multis in eandem ſententiam. Preterea ſi priuatarum amicitiarum ſtudium foras egrediatur, atque ad ſecularium aures perueniat, quis dubitet, quin illis ſit ſcandalo futurum? Solent autem hec innoteſcere extraneis: tum quia illi ipſi ſodalitatum architecti & ſocij, qui regularum violatores ſunt, effutiunt ad condiſcipulos, amicos, conſanguineos omnia, quęcumq; domi per ipſos geruntur. Tum quia cum pernicioſę ſodalitates gaſtrimargia fœdantur, non ſine extraneorum conſcientia furtiuę comeſſationes fiunt, quibus illi, vel intus, vel extra porrigunt manus auxiliares. Ex his, quæ vident, quæque audiunt extranei, grauiora, quæ non ſunt, ſuſpicantur: vt ſunt mortales omnes, vel ad ſuſpicandum faciles; vel vt S. Bernardi verbis vtar, *Proni ſunt ſenſus hominis & cogitationes ad malum potius ſuſpicandum, quàm ad bonum credendũ*, Deniq; ſiue ſermo ſit de domeſticis, ſiue de extraneis, dehortatur ſpiritua

Iac. Alu. t. 1. l. 5. c. 36.

S. Ber. ſer. 29. in Can.

S. Baſ. l. de vera virgi.

P 3 les

les viros ab hoc ſcandalo Sanctus Baſilius Virginem informans, cum ait: *Noli dilectione tua deſtruere opus veræ charitatis; neque falſi nominis charitate fratrem tuum perdas, peſſima illum ſuſpicione ſcandalizans, pro quo Chriſtus mortuus eſt.*

CAP. IV. *Amicitiæ peculiares ipſis ſodalibus damnoſæ deprehenduntur.*

20 CAput ſequitur quartum, damna complectens ſodaliũ ipſorũ, qui peculiaribus amicitijs intricantur. Tria mente concipio damna. Primum animę, quod continet peccata tum manifeſta, tum occulta, cum periculo grauium flagitiorum. Secundum boni nominis atque exiſtimationis, quod famæ diſpendium voco. Tertium damnum ſpiritualis profectus, quod nuncupari poteſt, retardatio perfectionis.

Damnum I. Peccatum & periculum peccandi.

21 DOcuit ſeniores Religioſos vſus rerum, huiuſmodi ſodalitates, quas abominantur, non eſſe ſine peccatis manifeſtis. Sapienter S. Gregorius alicubi ſcripſit: *Malorum, cum incaute amicitijs iungimur, culpis ligamur.* Mali enim sũt harum amicitiarum artifices, qui iuniores incautos illaqueant. Culparum, quibus obligantur multa ſunt genera, quorum quatuor curſim attingã. Primum eſt eorum peccatorum, quæ per linguam committuntur. Longa conuerſatio, nimiaque familiaritas eſt eorum fœcundiſſima parens: quoniam mutuis colloquijs teritur tempus ab ijs ſodalibus in conuerſatione. Sunt hic otioſa verba, quorum, quia noxæ, ratio ſupremo iudici Chriſto

S. Greg. p. 3. Paſt. ad. 23.

ſto in die iudicij reddenda eſt, & pro ijs graues pœnæ luendæ, vt abunde probatum eſt in tractatu de cura minimorũ. Solent otioſis verbis & collocutionibus intermiſceri ſenſim ac pedetentim noxia & pernicioſa: murmurationes de condiſcipulis, inter quos eſt aliqua, ob ſimilitudinem ſtudiorum, æmulatio: de Superioribus, quos maxime omnium murmurationi reddit obnoxios, zelus erectus retinẽdæ diſciplinæ: de reliquis ſocijs amantioribus perfectionis, quos ob eam cauſam aduerſarios putant. Murmurationibus interſeruntur detractiones eorum, quos fidiſſimos filios Religionis, ſuperioribus ob probitatem caros, clandeſtinis ſuis conuentibus infeſtos arbitrantur. Hinc alienarum actionum curioſiſsiſſime inueſtigatarum in commune temeraria narratio, ſecretorum contra ius faſque prolatio. Hic ioci ſcurriles à Sancto Bernardo in ore ſacrorum hominum blaſphemiæ reputati; quos plauſus excipit, quos excuſſi & effrenati riſus, cachinnationeſque profuſæ conſequuntur. Suggeſſit mihi hæc omnia Beatus Laurentius, expertus in Ordinis ſui cœnobijs, familiaritates noxias, & ſodales deprauatos, in eo loco, quem paulo ante deſcripſi, vbi ait in nimis aſſiduis & incautis conuerſationibus interſeri vaniloquia, ſcurrilitates, detractiones, riſus effrenatos, quæ omnia ſequuntur multorum bonorum ſpiritualium amiſſiones, quas poſtea recenſebo. Poſthæc differens de ijs Religioſis, qui ſolatijs internis deſtituti, quærunt externa, quales eſſe conſueuerunt adoleſcentes amicitijs ſingularibus viſcatis impliciti, ſic eos deſcribit: *Amant ſibi ſimilium contubernia, iocis delectantur, ſpatiari deſiderant, noua ſemper audire & videre appetunt, & aliorum negotia percunctari ſedula curioſitate non ceſſant.* Hæc ſatis de peccatis linguę.

Tr. de cura min. n. 43.

S. Bern. l. 2 de conſid. c. 13.

Sup. n. 14. 19.

Infr. n. 25. & ſeq.

B. Laur. c. 22. l. de diſcipl. &c.

P 4 Secun-

Secundum genus peccatorum, quibus maculātur ſodales coniurati, Gaſtrimargia dictare ſolita eſt, cum eos ad commeſſationes furtiuas facta conſpiratione conſociat. Non vnius eſt comeſſatio, ſed multorum, vt vox ipſa ſignificat: proinde neceſſe eſt comeſſantes, qui ad eas ex condicto conueniunt, ſocios eſſe neceſſitudine arcta coniunctos, qualem eſſe probauimus horum amicitiam, (Sup. n. 16.) qui iureiurando aſtringuntur de rebus geſtis non prodendis. Non enim adeo confidentes eſſent, ad hæc patranda, niſi taciturnitatem inter ſe arctiſſima quapiam ratione pacti eſſent. Hinc Sanctus (S. Baſ. ſer. de abdic. rer.) Baſilius monachos Gaſtrimargia corruptos ait eſſe, pręter cetera, *ad iuſiurandum paratos, aliorum curioſos, exploratores, tenebriones*, quod interpretor tenebrarum & latebrarum amatores: quæ omnia vitia in hoc genere ſodalium eminent. Quam vero grauis ſit culpa clandeſtinæ comeſſationis, dixi (Ad reg. 16 com. nu. 9. & ſeq.) luculenter in aſcetico commentario regulæ xvi. communium, quo lectorem mitto, ne hic longum faciam. Ibi probaui veterum magiſtrorum ſpiritualium & ſanctorum patrum calculis furtiuas comeſtiones & comeſſationes eſſe damnatas: pœnis grauiſſimis excommunicationis, verberationis, expulſionis a cœnobijs multatos eos, qui peccarunt; quod exiſtimarent eos non poſſe corrigi vnquam, quos vitij huius labes infeciſſet. Demonſtraui cumulum peccatorum in furtiua comeſſatione latere, furtum, proprietatis culpam, intemperantiam gulæ, noxiam regularum violationem, ſcandalum domeſticorum atque extraneorum, periculum flagitiorum, quæ cibum potumque intemperanter ac ſine timore Dei ſumptum ſequi (Clim. gr. 26.) conſueuerunt; quoniam ex Climaci ſententia, *Mater fornicationis, eſt gula concupiſcentia.* Dionyſius Cartuſianus in eo commentario prætermiſſus,

ſus,mihi aſtipulatur,congerens in cumulum cum ploratu mala, quæ comeſſationes huiuſmodi fundunt. *Ex priuatis*, inquit, *& ſeparatis Religioſorum refectionibus atque conuiuijs, multa, & magna ac periculoſa vitia oriuntur: videlicet ingurgitatio, loquacitas, diſſolutio, ſaturitas, delectatio ſenſualis, conſolatio carnalis. Ex quibus ſequuntur concupiſcentia & inflãmatio corporis, faſtidium diuinorum, ſomnolẽtia, ſcurrilitas, leuitas, perditio temporis infructuoſa, immo & vitioſa, atque indeuota & negligens perſolutio operis Dei, quod ſolum maledictionem meretur.* Dion. Cart. l. de reform. claust. art. 18.

22 Tertium genus culparum, quibus cõſpurcat animas ſodalium amicitia damnata, continet occulta peccata, quæ non veniũt in ſenſus aliorum. Minus honeſtas cogitationes intelligo: quarum mentionem ſupprimerem, niſi B. Laurentius earum meminiſſet his verbis: *De verbis, de actibus mutuis, de cogitationibus obſcenis tacendum eſt; quæ ſub colore charitatis, omnia ex inordinata paulatim familiaritate generantur.* Quid mirum hunc fumum tur pium cogitationũ ad caput ſubuolare ab igne illius affectus, qui neque diuinus eſt, neque ſpiritualis, ſed vel carnalis, vel certe naturalis ille periculoſus ex facili degenerans in carnalem? Succendi ſolet hic affectus, aut eius ignis augeri duobus titionibus. Alter eſt lectio librorum obſcenorum, qui verſus, fabulas, narrationes amatorias, iocos nequitiæ plenos continent: & quos bene tẽperati Ordines, aut comburũt, ſi emendari nequeũt; aut incluſos tenẽt, ſi linguæ laude florẽt, vt ſenioribus magiſtris vſui poſſint eſſe, aut detractis obſcenitatibus expurgari curant. Hos libros, qui cõſpirationes faciũt, clã introducũt in monaſteriũ, amicis per manus legendos tradunt tamquam magnum aliquem theſaurum; in latibulis abſcondunt, ne deprehen- B. Laurent. l. de disc. &c.

prehendantur à Superioribus: O vos miſeros: colubrum in ſinum reconditis. An ignoratis amatorios libros ab ipſis philoſophis idololatris & poetis eſſe damnatos? è ciuitatibus, ne corrumperent iuuentutem, formatoribus earum eiectos? à Sanctis patribus ob periculum contaminandę pudicitiæ, dulcia venena in aureis calicibus propinata, & aurata iacula cenſeri, quòd vel vulnerent animos innocentum, vel aperiant eorum vulnera, qui puritatem acceptis plagis perdiderunt? Satis multa dixi in commentario regulæ octauæ cōmunium, nec non in diſſertatione morali de interdicenda iunioribus horum librorum lectione, ad deterrendos adoleſcentes à lectione librorum laſciuorum. Titio alter, qui cogitationum fœdarum procreationem iuuat, eſt vitium Parrheſiæ, qua corruptus ſumma licentia manus in ſocium ludibundus inijcit. Quàm ſit periculoſus tactus, præſertim in adoleſcente, doceamur à Sancto Ambroſio, qui ſcriptum reliquit memorabilem illam ſententiam: *Tactus contigit, & ignem adoleuit*. Quod ſi tactum veneno voluntariæ delectationis libido vitiet, atque impudicum efficiat (quod facillimum eſt, in corrupta, & ad malum prona, & ardenti natura iuniorum) anima vulneratur ad mortem: quando in tactibus libidinoſis atque impudicis nulla eſſe poteſt veniabilis culpa ob exiguitatem materiæ; quemadmodum ſolide probant Theologicis argumentis nouiſſime omnium Ferdinandus Rebellus, Leonardus Leſſius & Thomas Sanchez doctiſſimi Theologi noſtri Ordinis; in quo idem docendum & ſentiendum ab omnibus eſſe, decretum eſt.

Ad reg. 8. n. 15. & ſequen. Diſſe. mor de libris amato. non legen.

S. Ambr. l. de fuga ſæc. c. 1.

Ferd. Rebel. de obl iuſt. p. 2. l. 3. q. 19. ſect 3. Leſſ. l. 4. c. 3. d. b. 8. n. 50. Th. Sanch. t. 2. in dec. l. 5. c. 6. n. 12.

23 Ex cogitationibus & tactibus minus pudicis labi poteſt incautus adoleſcens in deformia flagitia: quæ minime quidem mihi conſtat in Ordine

ne ullo, ætate mea, commiſſa fuiſſe: ſed cum eiuſdem naturæ originali culpa deprauatæ atq; ad lapſum procliuis ſint omnes mortales, etiam ab dicatis Deo, & aliquandiu cupidis perfectionis fieri poſſe arbitror; quemadmodum e priſcorum patrum monitis, verbis, narrationibus, eorum æuo contigiſſe colligimus. Propterea metuo Religioſis omnibus: eiſdem exemplo veterum, qui ſunt lapſi, timorem ad cautelam incutio: moneo magiſtros hac mea diſſertatione, vt inuigilent & præcaueant, ne quando accidat, quod poſtmodũ doleant accidiſſe. Flagitiorum genera & nomina referre pudet, & perhorreſco cum Beato Petro Damiani; qui de his rebus diſputaturus veritatis indagandæ, morbique ſanandi gratia, ſic locutus eſt: *Heu pudet dicere, heu pudet tam turpe flagitium ſacris auribus intimare: ſed ſi medicus horret virus plagarum, quis curabit adhibere cauterium? Si is, qui curaturus eſt, nauſeat, quis ad incolumitatis ſtatum pectora ægrota reducat?* Itaque de meo nihil ipſe dicam; quamquam tanti viri clypeo tectus poſſem; ſed doctrinæ curationiſque neceſſitate coactus, ipſa dabo Patrum ſanctorum verba; quæ ſatis indicant, quid turpitudinis in eorum monaſterijs nimia familiaritas, ſingularis amor, pernicioſæque amicitiæ, vel pepererint, vel parere potuerint. Ordiens à recentioribus ad antiquiores aſcendã. Beatus Laurentius verba quædam nobis ſcripta reliquit, vbi nimiam familiaritatem Religioſorũ exagitat, quæ non obſcure indicant lapſum flagitioſum aliquem, aut contigiſſe, aut timuiſſe ne contingeret. Ait igitur de ſingulariter amante: *Paſſione namque victus ducitur inuitus, & tyrannice ſuperatus ad opera carnis; quadam, vt ſic dicam, neceſſitate abſtractus et illectus; ac intentione quadam latenter palliata & polita ſeductus, vt ſuum valeat aſſequi*

Pett. Dam t. 3. op. 7. præf.

B. Laur. c. 11. l. cit.

aſſequi appetitum, patrum ordinationes frangit &c. Et intus nihilominus ſtimulante & vrente conſcientia velut amens, poſt ſuam totus trahitur concupiſcentiã. Et paulo poſt: *De verbis, de actibus mutuis, de cogitationibus obſcenis tacendum eſt.* Retentus pudore religioſo non expreſsit, quinam qualesve fuerint illi actus, de quibus conticeſcit, quos colorat charitas, ſed generat inordinata familiaritas, vt poſtea ſubiügit. B. Petrus Damiani deteſtaturus hoc malum, Religioſoſque præmuniens propoſita grauitate morbi facile prorepentis per ſimulationem fraternæ beneuolentię, niſi fortiter repellatur, ſic exclamat: *Velut cancer ita ſerpit, vt ſacrorum hominum Ordinem attingat; & interdum vt cruenta beſtia inter ouile Chriſti, cum tanta libertatis ſæuit audacia, vt quam pluribus multo ſalubrius fuerit in mundanæ militiæ iugo deprimi, quam ſub Religionis obtentu, tam libere ferreo iuri Diabolicæ tyrannidis mancipari.* Narrat Ioannes Climacus, ſe inueniſſe in quodam cœnobio duos, *Qui impuro ſe inuicem amore diligerent*: prudentemque ſenem inter eos ſemina ſeuiſſe odij, vt clauo clauum pelleret, & contraria contrarijs curaret. Non equidem hanc prorſus laudo prudentiam, ſed refero: alia potuiſſent applicari remedia. Subdit verba, vnde intelligas, quò pertinuerit ille impurus amor. *Voluit*, inquit, *ſapientiſſimus humano actu Dæmonum nequitiam repellere: odiumque inſerẽs fornicationis vinculum ſoluit.* Sanctus Ephręm aperiens nobis inſidias Hoſtis, qui ad Religioſorum ruinam modo ſimultates, modo ſingulares adhibet amicitias: *Deinde*, inquit, *conciliata amicitia, eandem confidenter inter illos auget fraudulentus; non quidem virtutis gratia, ſed vt eiuſmodi amicitia, turbatis illorum mentibus, volupates inter eos admiſceat,*

Pet. Dam. t. 3. op. 7. pręf.

Clim. gr. 26. par. 1.

S. Ephr. t. 2 in var. doct. c. 92.

fiatque

fiatque ingens malum. Ecce fraus Inimici manifeſta. Sanctus Baſilius clarius loquitur, exiſtimãs magiſtros ſpirituales cum diſcipulis, perſpicuè moneri docerique oporrere, quid mali gignatur ex his amicitijs deteſtandis: *Iuuenis ſiue ætate, inquit, ſiue animo fueris, æqualium tuorum conſuetudinem defugito: ab illiſque te, non ſecus atque ab ardentiſſima flamma, procul abducito: quandoquidem illorum opera vſus Aduerſarius pleroſque olim incendio dedit, & ſempiterno igni cremandos addixit; ac ſpiritalis videlicet primo charitatis vana quadam ſpecie illectos, in teterrimam poſtea Pentapolitarum voraginem præcipites deturbauit. Et qui ex medio pelago, ſæuientibus vndique procellis tempeſtateque incolumes euaſerãt, eos iam intra portum ſecuros vna cum ipſa naui vectoribuſque ſubmerſit*. Exclamemus ergo deteſtando, atque abominando tantam animorum perniciem, cum Petro Bleſenſi: *Periculoſa nimis amicitia eſt, in qua, & per quam incurritur diuina offenſa*. Cum Sancto Iſidoro: *Multum in terra demerſus eſt, qui carnaliter hominem moriturum plus diligit, quàm oportet*.

S. Baſ. l. de abdic. rer.

Bleſ. ſerm. 50.

S. Iſid. l. 3. ſent. c. 2c. §. 5.

Damnum II. Diſpendium famæ.

24 SEcundum damnum horum ſingularium amicorum, eſt diſpendium famæ, bonique nominis detrimentum: quod cum omnes lædere ſoleat, tum potiſſimum ſeniores, qui plus habent quod perdant, quàm iuniores. Nam hi, qui non diu vixerunt in Religione, non habent adhuc probitate longæ vitæ collectam famam, & opinionẽ ſanctitatis apud ſodales: & ſi quid in iuuentute peccant in hoc genere, mutatione in melius vitæ, ac diuturnitate temporis erratorum iuuenilium memoria deletur. At ſeniores, ſi forte amicitiæ ſingularis cum iunioribus rei deprehendantur, nõ ſolum inobſcurant ea conſuetudine bonam opinionem prudentię ac probitatis, quam multorũ annorum curſu ſibi comparauerant; ſed etiã plus fraternitatem offendunt, quàm iuniores; maiorem excitãt de ſe ipſis admirationem in alijs ſodalibus, qui dictitant, Numquã à ſene ſimile quidquam expectaſſem. Verum de omnibus generatim agens; quis non deponat bonam exiſtimationem, ſi quem conceperat, eius, in quem deſcriptio Beati Laurentij conueniat? *Hic amor*, inquit, *cum in corde imprudentis exortus, radices mittere ac pullulare cœperit, corporalem quærit dilecti præſentiã, cum eodem cohabitare, cum eodem loqui deſiderat. Sicut autem ex ipſius gaudet aſpectu, ita abſentia contriſtatur. Solus vult cum eo, quem ſenſualiter diligit, loqui; ſolus cum eo conuerſari, quia in illius mente habitare iam cœpit. Liuore quippe inuidiæ accenditur, ſi quemquiam ab eodem diligi, & cum eodem cõuerſari perſpexerit. Abſentiam etiam ipſius magnã ſibi delectationis iacturam exiſtimat. Sicut enim amat ſingulariter, ita & amari vult; atque cæco ſeductus*

B. Laur. l. de diſcipl. &c. c. 21.

ctus errore, ignorat ſe veſano amore percuſſum. Paſſione namque victus ducitur inuitus, & tyrannice ſuperatus ad opera carnis, & cetera, quæ ſuperius trãſcripta ſunt. Quòd ſi non ad inſaniam hanc & cæcitatem, quam depingit ſuo penicillo Beatus Laurentius, deuenitur; ſuſpecta certe maxime res eſt amicitia cum iunioribus contracta in communi vita Religioſorum. Hanc ob cauſam in multis cœnobijs à prudentibus moderatoribus habitationis pars iunioribus aſſignari ſolet, à reliquo communis domicilij corpore ſeparata, ne cum ſenioribus conuerſentur. Qua ſeparatione alio in loco docui, veteranis ipſis eorumque bonæ exiſtimationi famæque videri conſultum. Hanc ob cauſam Clemens VIII. Summus Pontifex in decretis generalibus ad regularium reformationem, editis & auctis à Paulo V. ſtatuit vt locus nouitijs educandis aſſignatus, *propria clauſura ab ea parte conuentus & monaſterij, in qua degunt profeſſi, ſegregatus ſit atq. diſtinctus*. Præterea, vt ſi cui ſocius ex cauſa neceſſaria, qui illi miniſtret, concedatur è Religioſis, is minimum vigeſimum quintum agat annũ. Eandem ob cauſam puto, tum acriter ac ſæpe reprehenſam, immo & vitatam, à priſcis patribus ac magiſtris Religioſorum, conſuetudinem nimiam, familiaritatem extraordinariam, & amicitiam peculiarem cum adoleſcentibus, tamquã rem maleolentem ſuſpicionumque pleniſſimam. Sanctus Pachomius antiquiſſimus eorum omniũ, quos recenſebo: *Si deprehenſus fuerit aliquis de Fratribus libenter cum pueris ridere, & ludere, & habere amicitias ætatis infirmæ, tertia commonebitur, vt recedat ab eorum conſuetudine*. Sanctus Baſilius, cuius plura verba tranſcripſi ſuperius per aliam occaſionem: *Iuuenis ſiue ætate, ſiue animo fueris, æqualium tuorũ conſuetudinem defugito; ab illiſque te,*

Supra n. 23.

Ad reg. 27 com. n. 10. Apud Lamcrt. in Cle. VIII. n. 60

S. Pach. reg 90.

S. Baſ. ſer. abdic. rer.

non

non ſecus atque ab ardentiſſima flamma procul abduci to. Sanctus Ephrem: *Cum adoleſcentulo nimiam conſuetudinem atque amicitiam caueto*. Caſſianus non his multo recentior, morem illorum monaſteriorum commemorat taliter, vt intelligamus conſuetudinem ſimilem extitiſſe conſuetudini recentiorum Ordinum quorumdam in impedienda familiaritate iuniorum, cum ait: *Summa namque obſeruantia cuſtoditur, ne cuiuſquam cum alio, ac præcipue iuniore, vel ad punctum temporis pariter ſubſtitiſſe, aut vſpiam ſeceſſiſſe, vel manus ſuas inuicem tenuiſſe deprehendatur*. Sanctus Dorotheus duobus in locis deterret lectorem à iuniorum amicitijs. Alterum teſtimonium producam paulo poſt: altero contentus in præſentia: *Adoleſcentulorũ colloquia, & amicitias fuge, vt amicitiam Diaboli*. Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis inter grauiores culpas ſcribit: *Si cum paruulis iocauerit, riſerit*. Beatus Theodorus Studites in teſtamento, quo præcepta memorabilia, maximeque neceſſaria tradit Religioſis omnibus, atque eorum præpoſitis: ait: *Non habebis in cella tua diſcipulum adoleſcentem, quo afficiare: ſed miniſteria tua obeant diuerſi Fratres & minime ſuſpecti*. Sanctus Bernardus in libro de paſsione Domini, laudata mutua charitate, qua Religioſi ſeſe viciſsim ad meliora cohortantur & accendunt, damnat vitarique iubet eorum amicitiam, *Quorum familiaritas ſit ſuſpecta*. Ex Beati Theodori teſtimonio videor intelligere Sancti Bernardi ſenſum appellantis ſuſpectam familiaritatem, quæ cum adoleſcentibus habeatur. Præſertim cum alibi perſpicue loquatur dicens: *Conſortia iuuenum, & maxime illorum, qui imberbes ſunt, in quantum conuenienter poteris, deuita*. Præceptis accedunt facta ſanctorum patrum, qui vel non ferebant imberbes in monaſterijs,

S. Ephr. t. 2 Paræn. 4.

Caſſ. l. 2. c. 15.

S. Doro. ſ. 1. 20.

S. Iſid in reg. c. 17.

S. Theod. Stud. in teſtam. §. 18.

S. Ber. l. de paſſ. Dom. c. 10.

Id. in for. hon. vitæ. c. 9.

ſterijs, vel certe cũ maxima cautela retinebant. Refert Matthæus Raderus noſter in ſuo Viridario, S.Sabam in ſuũ aſceterium, quod Laura dicebatur, nullum eunuchum, nullũ imberbem admittere conſueuiſſe. Narrat item ex Patrico Græcorum manuſcripto, de B.Carione monacho, qui filium impuberẽ ac formoſum ſecum habens in ſcete, bis eremum mutare coactus eſt, ad tollendam aliorũ anachoretarum offenſionẽ. Quæ tunc ex toto ſublata eſt, cũ adoleſcentulus in nitroſum lacũ ſponte ſeſe narium tenus demergens, omnẽ florentis corporis elegãtiã corrupit, formãq. deleuit adeo, vt in ſenilẽ ſpeciẽ degenerarit. Poſteriorib. ſęculis, in monaſterio B. Bernonis in Burgundia, vbi monachus vixit aliquandiu S.Odo Cluniacenſis, mos erat, & accurate ſeruabatur, vt magiſter ſcholæ nuſquam ſolus, nec ſine lumine, cũ ſolo puero progrederetur: numquam ſolus cũ ſolo puero ſecreto loqueretur; ſed ſemper ſocium, vel alterũ puerũ, vel vnũ è Fratribus haberet boni teſtimonij cauſa.

Matt. Rad p.3. Virid. c.6. §.1.

Io. mon.L. 1. vitę S. Odon. c. 14.15.

Damnum III. Retardatio profectus ſpirit.

25 TErtium damnum priuatorum amicorũ, eſt retardatio perfectionis in ſpirituali progreſſu. Nemo dubitare debet, quin curſus ad perfectionẽ peccatis leuibus licet, ac venia dignis retardetur ob eã potiſſimũ cauſã, quòd charitatis feruorem tepefaciunt: vt docui tractatu de cura minimorum. At quia contendunt quidam, ſe in huiuſmodi ſodalitijs, ne leuiter quidẽ peccare; ideo probare conabor, hoc dato, quod falſum reor, perfectionis progreſſum retardari; ſingularemque amicitiam eſſe tamquam tenue ſufflamen rotis iniectum, quod currum animæ remorans decurrere nõ permittit. S.Dorotheus pręclarę ponit nobis ante oculos hãc morã, quã inijcit Religioſis

Tr. de cura minim. n. 58.

S. Dorot. ſer. 21.

Q ad

ad perfectionẽ properantibus; amicitia potiſſimũ adoleſcentum, cùm ait, per eam tolli feruorem ac fletum. Verba ſunt hæc: *Bonum eſt autem monacho proficere cupienti, non admodum affici erga coætaneum ſuum. Solet enim huiuſmodi conſuetudo, & longa amicorum & coætaneorum familiaritas, fletum & feruens animi propoſitum plerumque extinguere.* Vtrum id ſine peccato poſſit euenire, ſapientes iudicent. Sanè Beatus Laurentius non excuſat peccatum, vbi per vaniloquia, ſcurrilitates, detractiones, & riſus effrenatos, *Mens diſtrahitur, compunctio diſſoluitur, gratia ſubtrahitur, proximus malè ædificatur, oratio confunditur, confidentia amittitur, conſcientia obtenebratur, atque pretioſiſſimum tempus inutiliter conſumitur.* Vtut ſe res habeat; hos noxios effectus enumeratos à Beato Laurentio videor mihi poſſe reuocare ad illa duo capita, quæ Sanctus Dorotheus attigit; feruentis propoſiti extinctionem, & fletus remiſſionem. Cum enim donum lacrymarum, quod comitari ſolent alij multi Deuotionis, ſeu Religionis actus & effectus: nec non feruens animi propoſitum proficiẽdi, hoc eſt feruor atque animi ardor in ſuſcepto vitæ genere, ſint duo maxima, vel incitamenta currendi ad perfectionem; vel adiumenta ad ſuperandas difficultates in curſu vitę ſpiritualis occurrentes: vel oblectamenta, quibus animus currendi labore feſſus reficitur ac recreatur: incredibilem in modum retardatur Religioſus, ſi tanta bona illi ſubtrahantur; nec minus vtilia & neceſſaria vitæ ſpirituali, quàm humanæ ſint aqua & ignis. Extabat apud veteres Romanos, florente Rep. lex iubens *ei, qui deliqui, itemque ei, qui maieſtatis damnatus ſit, aqua & igni interdici.* Queritur ſępe M. Tullius, cum ex vrbe, furore inimicorum, eſſet pulſus, his duabus rebus

B. Laur. c. 28. l. cit.

Cic. Philip 1. Orat. pro domo

bus pernecеſſarijs, aqua & igni ſibi fuiſſe interdictum. Amicitia hæc peculiaris adoleſcentum, Religioſis, qui ſeſe in ipſius laqueos induerint, hanc ipſam aquæ & ignis ſpiritualis interdictionem facere videtur: Eripit illis, vt Beatus Dorotheus docet, primum aquam lacrymarum, exſiccans fontem fletus, quem eſſe arbitror donum quoddam Dei, quo anima Deo deuota, facile ſoluitur in lacrymas fructuoſas, non inanes, ex cauſa & in opportunitate ſpirituali; cuiuſmodi eſſe ſolent, culparum propriarum recordatio; peccatorum alienorum grauitas: Mundi vitæque huius miſeria, ſenſu alio, quàm lugeret Heraclitus: tenerior amor Dei: beatitudinis conſequendæ mora: paſſionis Dominicæ attenta conſideratio: atque aliæ ſimiles opportunitates & cauſę pię, quæ ſunt bonis Religioſis frequentiſſimæ. Quamobrem exiſtimo ſcriptum à S. Hieronymo (quod Gratianus in decreta retulit, & Sanctus Bernardus non ſemel approbans repetijt) *Monachi eſſe lugere*: tum legimus in Sanctorum hiſtorijs, multos hoc dono locupletatos, etiam miracula lacrymis patraſſe: vt de Iuliano narrat Theodoretus, qui ſitienti adoleſcenti fontem in ſolitudine lacrymis excitauit. Atque in primis, areſcentibus lacrymis, preces languеſcunt, & vis retunditur orationis, vt non ſine magna conſideratione atque experientia dixerit Beatus Laurentius, vaniloquijs, riſu excuſſo, & alijs immoderatis actionibus nimiæ familiaritatis, Religioſi mentem diſtrahi, compunctionem diſſolui, & orationem confundi. Ratio eſt, quia lacrymarum tamquã alarum latione oratio celerrime ſubuolat in cælũ, & impetrat poſtulata, vt S. Ephræm & Chryſoſtomus ſcripſerunt. Tum quoniam earumdem aſpergine mirabilem in modum exacuuntur iacu-

S. Hier. l. adu. vigil. c. monachus. 16. q. 1.

S. Ber. ſer. 64. in cant & ep. 89. ad Oger.

Theodor. hiſt. relig. c. 2.

S. Eph. t. 1. ſer. 3. de compunct.

S. Chryſ. l. 3. de comp cord.

la precum & ſagittæ aſpirationum. Vt enim telorum miſſiliumque omnium cuſpides, cum ad laquarias cotes admouentur acuendæ, neceſſario aqua ſuperfunditur, ſine qua minus vtiliter laboraretur: ſic preces valentiores fiunt ad feriendum cor diuinum, hoc eſt ad impetrandum, cum ex arcu mentis & voluntatis, ad aquam lacrymarum iam exacutæ iaciuntur. Saluator exemplo ſuo nos id docuiſſe videtur, cum in diebus carnis ſuæ
Hebr. 5.7. morti tormentiſque obnoxiæ, vt eſt apud Apoſtolum, obtulit Deo *Preces ſupplicationeſque cum clamore valido & lacrymis: & exauditus eſt pro ſua reuerentia*. Lacrymis humectauit preces, vt diſceremus & nos tam ſalutari humore noſtras orationes aſpergere.

26 Deinde ſubtrahit hæc immoderata familiaritas ſpiritualem ignem; reſtinguens, aut certe tepefaciens feruorem atque ſpiritum, de quo San
Rom. 12. 11. ctus Paulus: *Spiritu feruentes*. Quid ſit feruor in-
Tr.6.n.37. dicaui tractatu de receſſu ad meditandum, & tra-
Tr.8.n.37. ctatu de diligentia ſpirituali; ſed hic lector intelliget è verbis S. Baſilij & Chryſoſtomi, dum explicant, quinam feruentes ſpiritu dicantur. *Feruens ſpiritu eſt*, inquit Baſilius, *qui cum ardenti*
S. Baſ. reg. breuior. 259. *ſtudio, & inexplebili cupiditate, & aſſidua diligentiâ voluntatem Dei facit*. Beatus Chryſoſtomus:
S. Chryſ. hom. 21. ad Rom. *Vide quomodo vbique vehementiam requirat. Non ſimpliciter dicit ſpiritũ habetote, ſed feruentem exigit ſpiritum; hoc eſt, vt ſitis feruentes & concitati*. Neque vero hic ignis feruoris, & hæc aqua lacrymarum inter ſe pugnant, vt aquæ & ignis elementa in Mundo: ſed mirifice potius conueniunt ad ad virum ſpiritualem conſummandum. Vt enim in officinis ferrarijs, maſſa ferri denſatur, excoquitur & induratur, ſi candens ſubinde immergatur aquis (quarum tamen alia eſt alia melior huic o-

peri

Digitized by Google

peri ex Plinio (atque vtriuſque beneficio, ignis nimirum & aquæ perficitur: ſic Religioſi cor ferreum, ſi naturam corruptam, & adoleſcentiæ in ſæculo traductæ vitia ſpectes; hac alterna merſione fletus & feruoris, purgatur ab omni terræ miſtione; rubigineque natiua; temperatur adeo, vt denſetur ad omnes tribulationum ictus; induretur ad tentationes hoſtium; denique ad omnia diuini famulatus miniſteria & opera reddatur aptiſſimum. Quinetiam Religioſum conſummatum, hoc eſt perfectum, ob has duas virtutes, ſimilem ſemper exiſtimaui Ætnæ monti, qui perpetuis intus flagrat incendijs, & flammas ad cælum eiaculatur continenter: extra vero fontibus ſcatet, vt obſeruat idem auctor, atque ex eius radicibus riuuli clariſſimarum aquarum exiliunt. Quòd ſi quis ſciſcitetur quo modo reſtinguatur feruor, & areſcat fons lacrymarum; reſpõdeo per contrariorum actionem, quemadmodum Philoſophus docet elementa corrumpi. Ioci riſum excuſsũ, & cachinnos excitantes; effrenati riſus, & effuſæ cachinnationes ſequentes, & his ſimiles actiones à B. Laurentio commemoratæ, fletum abſtergunt, atq; ipſam lacrymarum ſcaturiginem, deuotionem & compunctionem arefaciunt. Stare non poteſt riſus cum fletu: iocus cum luctu: cachinnationes cum lacrymis. *Riſus,* (inquit S. Ephræm ex antiquiorum patrum ſẽtẽtia) *beatitudinem luctus exterminat.* Memoria peccatorũ, ſenſus paſſionis Dominicæ, patriæ cæleſtis deſideriũ, & his ſimiles affectus, qui lacrymas cient; euaneſcũt è corde Religioſi nimium iocoſi, & ridicula ſectantis ac profitentis. Vt vere ibidẽ ſcripſerit idẽ Ephræm: *Initiũ euerſionis atq. interitus animæ monachi, eſt riſus, & impunitas atq. licentia.* Et poſt: *Riſus atq. licentia perdit fructus monachi.* Hinc ſequitur animæ

Pl. l. 34. c. 14.

Id. l. 2. c. 103.

Ar. l. de long. & breu. vitæ. c. 1.

S. Ephr. ſer. de non ridẽ.

languor incredibilis & tepor, qui feruori, tamquam vas aquæ frigidæ, bullienti aheno ſuperfunditur: & feruor hoc frigore oppreſſus, vel extin-
Caſſ. coll. 4.c.19. guitur ex toto, vel adeo miſerabiliter intepeſcit, vt ad vomitum, ex Caſſiani ſententia, nauſea compellente, Deus ipſe prouocetur: qui Religioſũ feruentem intra viſcera charitatis olim receptum, ſentit poſtea tepefactum.

27 Secundum retinaculum, quod proficientem remoratur, eſt repugnantia diuini amoris (in cuius excellentia ſita eſt religioſa perfectio) & amoris ſodalium ſingularis. Hæc repugnantia vſque eo procedit, vt amor ſingularis horum amiculorum, diuinum amorem ſingularem atque excellentem extrudat. *Omnibus notum eſt*, inquit S. Cæſarius Arelatenſis, *quia amor amore vincitur*.
S. Cæſ. ho. 10. ad pop Et S. Bernardus, *Solet amorem amor expungere*.
S. Ber. ſer. 23. in cant Quamobrem, aut diuinus humanum expellet, aut humanus diuinum. Amores duo ſimul ſtare non poſſunt in vno corde, niſi alter ab altero pendeat, vel ad alterum referatur: cuiuſmodi eſt amor proximi; qui quia pendens ab amore Dei, refertur in eumdem, auget potius, quàm minuit amorẽ Dei: quando diligens proximum, Deum in proxi-
Id. in ſoliloq. n. 10. mo, & proximum propter Deum amat. Hinc S. Bernardus: *Cum vero propter te aliquid amo, non illud amo; ſed te; propter quem amo, quod amo*. Verum cum contra non refertur amor alter in Deũ, aut minuit, aut tollit amorem Dei. Teſtis eſt
S. Aug. l. 10. confeſſ c. 29. Sanctus Auguſtinus, vbi ait: *Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat*. Generis huius eſt amor has conglutinans amicitias; quia ex affectu eſt, non ex charitate diuina. Non amat in ſodali Deum ſodalis alter, ſed ingenium, formam, ætatem, dicendi leporem; ſodalem ipſum, qui eſt res creata: non eum diligit propter

Deum

Deum, ſed propter ſeipſum, quærens & emungens ex eius conuerſatione neſcio quam iucunditatem, ſeu voluptatem, à ſpirituali delectatione valde remotam. Deinde oſtenditur hæc repugnantia, validiſſima ratione morali, ex Ariſtotelis pharetra deprompta. Hic duobus in locis ethicorum diſputans, num expediat plures amicos habere in amicitia perfecta; definit nec expedire; nec haberi poſſe: quemadmodum nemo poteſt ſimul multarum amore carnali captus eſſe. Nam perfecte amare dicit exuperantiam, hoc eſt exceſſum ac nimium: quæ voces ex Euſtratio in bonam partem accipiuntur, ſignificantes in amicitia perfecta, quandam beneuolentiæ ſummam excellentiam. Hinc fit, vt vnum tantum ſumme, ſingulariter, atque excellenter amari natura patiatur, non multos. Hac poſita doctrina Philoſophi, ſciſcitor ab vno ex his amicitiarum vetitarum cultoribus, qui ſocium amicum ſingulariter amet, atque in hunc modum exagito. Aut Deum ſolum ſingulariter, ſumme atque excellenter amas; aut vtrumque, Deum videlicet & amicum; aut ſolum amicum. Non Deum ſolum; quia ſingulariter à te amicum diligi, non inficiaris; immo fateris vltro: laboras, vt ille tibi fidem habeat, à te neminem illo vehementius amari: aſſeueras, iuras, obteſtaris. Et quamuis taceres tu, res tamen ipſa loquitur; quia pro amico mortali, multos actus amoris erga Deum intermittis ac negligis, quos exercebas tum, cum Deum olim ſingulariter amabas. Matutinam orationem, in qua cum Deo agitur, poſthabes amico, vt cum eo colloquaris: violas diſciplinam domeſticam, quam noſti placere Deo ſumme diligendo: fallis multis ſimulationibus Superiorem vices Dei tenentem; denique multa cogitas, dicis, facis pro homine amico,

Ar.l.8. eth c.6.l.9.c. 10.

Euſtr.l.8. eth. c.6.

quæ Deum ſingulariter amantes homines pij pro Deo cogitant, dicunt & faciunt. Quòd ſi reſpondeas te pariter Deum atque amicum ſingulariter atque excellenter amare; aut falleris, aut mentiris. Neque enim id facis; neque ſi facere conareris, id conſequi poſſes; tribus impedimentis obſiſtentibus. Etenim repugnat ipſe amor, obſiſtit Deus; non patitur cor humanum. Dixi amorem repugnare; quoniam, vt docui ex Ariſtotele cum experientia, ſiue ſermo de amore ſano, ſiue de inſano ſit, omnis amor excellens eſt vnicus, nec poteſt duobus æqualiter impendi, ſine vtriuſque detrimento. Quod Euſtratius explicat exemplo fluuij, qui deriuationibus ac diuortijs minuitur & decreſcit. Confirmat Sanctus Baſilius pertractans præceptum de dilectione Dei, quem *ex omni mẽte* amare debemus, & expendens hæc verba: *Hoc autem*, inquit, *quod ex omni, dicit, diuiſionem in alia nullam admittit. Quantum enim dilectionis in hac inferiora inſumpſeris, tantum neceſſe ſit, vt adimas ei, quod totum eſt. Eoq; pauci ex omnib. amici Dei appellati ſunt.* B. Tereſia, quæ noſtra ætate clara ſanctitate ac miraculis obijt in Hiſpania, nullum maius aſſequendæ perfectionis obſtaculum habuit, quàm peculiares amicitias, & amicorum nimiam conuerſationem; in quibus deſerendis, ſpiritualium magiſtrorum ſuaſu, difficultatem ingentem experiebatur; quia vehementi ferebatur affectu, quamuis, vel ſine peccato, vel ſine graui culpa ferretur, vt à vitę ſcriptoribus, & alijs auctoribus proditum eſt.

Euſtr.l.cit. S. Baſil. in pſ. 44. Franc.Rib l.1.vitę. c.7 9. Pont. vitæ Balt. Alua c. 11.§.1.

28 Dixi ſecundo loco Deum ipſum obſiſtere: qui, vt Sanctus Auguſtinus obſeruauit, ſolus coli vult, iuxta illud diuinum præceptum, & à Saluatore in Dæmonem tentantem, tamquam validiſſimum telum iniectum: *Dominum Deum tuum* ado-

S.Aug. l. de conſ. Euang. c.12. Deut.6. 13 Matt.4.10

adorabis, & illi ſoli ſeruies: & à Samuele populo 1. reg. 7. 3.
inculcatum: *Et ſeruite ei ſoli*. Hanc ob cauſam,
quòd ſolus coli vellet, non receptum à Romano-
rum ſenatu Deum Hebræorum, opinatur idem
Auguſtinus. Si ſolus coli vult; & ſolus amari vo-
let; quando latriæ cultus, quæ ſumma eſt adora- S. Hier. ep.
tionis ratio, ſine amore ſummo eſſe nequit. Ze- 22. ad Eu-
lotypus Deus eſt, vt alicubi pronuntiauit S. Hiero ſtoch.
nymus; nec ab anima noſtra ſponſa ſua patitur a-
lios amatores ſingulares admitti. S. Bernardus id
expreſſit his verbis: *Zelotypus eſt ſponſus iſte. Si
forte alium amatorem receperis; ſi alij magis placere* S. Ber. ſca-
ſtudueris; ſtatim diſcedet à te, & alijs adhærebit ado læ clauſtr.
leſcentulis: & alia in eandem ſententiam. Nec mo- §. 7.
do ſolus coli vult & amari Deus ſingulariter, ſed
etiam excellenter, ſumme, atque vt Scriptura ſa-
cra ſæpe vſurpat, *Nimis*. Hinc idē Hieronymus: S. Hier. ep.
Nihil quippe Saluator medium amat: & ſicuti frigi- 19. ad Eu-
dum non refugiens calidis delectatur; ita tepidos in A- ſtoch.
pocalypſi euomere ſe loquitur; hoc eſt ſumma omnia Apoc. 3. 16
requirit; & in amore teporem auerſatur, qui me-
dius eſt, & feruorem ſummum exoptat. Hinc
in præcepto de dilectione, in vtroque teſtamento Deut. 6. 5.
ſæpe repetito, iubet amari Deum ex *toto corde, ani-* Matt. 22.
ma, mente, intellectu, virtute, fortitudine, viribus om 37.
nibus. Theologorum omnium eadem vox & ſen- Marc. 12.
tentia eſt, Deum eſſe ſuper omnia diligendum. S. 33.
Bernardo conſentiunt ijdem definienti, modum Luc. 10. 27
diligendi Deum eſſe, *Sine modo diligere*. S. Bern. tr. de dilig. Deo init.

29 Tertio cor humanum eſt impar duobus ſū-
mis amoribus, nec recipit ſinu ſuo duos excellen-
ter dilectos. Liceat mihi de corde humano dicere,
quod Alexander Magnus Dario regi, inter pacis Q. Curt. l. 4.
cōditiones, Aſiæ dimidium offerenti reſpondit:
Nec Mundum duos ſoles, nec Aſiam duos reges ferre. Plut. in apopht. reg
Addo Alex. n. 10

Addo ipſe, nec cor hominum duos amores ſummos, duoſque ſingulariter dilectos. Facit huc Iſa-
Iſa. 28. 20. iæ dictum: *Coangu ſtatum eſt enim ſtratum, ita vt alter decidat*. Cor ſtratum eſt, vbi dilectus quieſcit, & ſomnum capit: anguſtum eſt, vt capiat duos dilectos: alterum decidere neceſſe eſt, dum alter in
S. Hier. Iſ. 28. ſtrato quieſcit. Sanctus Hieronymus pudiciſſimi mariti metaphoram hic agnoſcit; qui dicat vxori ſibi tantum, non extraneo amatori eſſe locum.
Gill. b ſer. 2. in cant. Gillebertus abbas canticorum explanationẽ poſt Sanctum Bernardum proſequens, multa meditatur ad huius illuſtrationem loci, & ſtrati: Ob-
Cant. 3. 7. ſeruat lectulum à ſponſa dici, non lectum; quia coarctatio bona eſt, vt lectulus cordis ſoli dilecto ac ſibi ſufficiat: uituperari cubilis dilatationẽ apud
Iſ. 57. 8. Iſaiam, qua capiatur adulter; tum ait: *Breue & anguſtum cor hominis ad concipiendas Dei verbi delicias, etiam cum in illas totum extenditur. Quo modo non multo breuius, ſi fuerit ad alia diſtentum? Sufficiat dilecto tuo vel breuitas iſta. Noli illam magis breuiare, lectulum communicando alteri. Bona quidem hæc breuitas lectuli, quæ neſcit niſi dilectum ſuũ, id eſt Chriſtum ſuſcipere*. Accedit Saluatoris dictũ: *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire*; quod intelligi-
Matt. 6. 24 tur non ſolum de dominis non ſubordinatis, & contraria ſimul ſeruo præcipientibus, quæ grauẽ culpam inuoluant; ſed etiam de imperantibus diuerſa, vt exiſtimat Ioannes Maldonatus, quæ a-
Mald. in c. 6. Mat. n. 24 uocant à Deo ſine graui noxa. *Dominum*, inquit, *vocat omnem rem, cui nimis dediti ſumus; cui quodam modo ſeruimus*. Et antea dixerat: *Indicat Chriſtus diuitias, non ſolum cum inique parantur; & iniuſte diſpenſantur, ſed etiam cum non inique; non iniuſte: ſi tamen amantur, ab amore Dei hominum auo-*
S. Baſ. reg. 2. moral. c. 1. *cant*. Fauet S. Baſilius Chriſti verbum hoc adducens probaturus: *Quòd nequaquam is Deo ſeruire*

poteſt

poteſt, qui etiam ſe alienis a pietate negotijs immiſceat. Neque vero intelligit Baſilius negotia contraria pietati, ſed aliena tantum: quemadmodum Sanctus Gregorius Papa relatus à Gratiano in decreta ſenſit, cum ex hoc Chriſti dicto intulit: *Nemo poteſt & Eccleſiaſticis obſequijs deſeruire, & in monachica regula ordinate perſiſtere &c.* Eccleſiaſtica officia pia ſunt, ſed ijs ſeruire non poteſt monachus, quia ſunt aliena; quanto minus quilibet Religioſus ſeruiet Deo, & amicis affectu nõ ſpirituali dilectis; & amicitiæ, quæ non facile purgatur à culpa? Nec vero cum de ſeruitute Dei agitur, ea poteſt ſine amore intelligi, cum benigniſſimus Dominus, quia pater quoque amantiſſimus eſt, affectu filiorum temperatam ſeruitutem exigat à nobis. Fidem meo dicto faciunt verba ſequentia Redemptoris: *Aut enim vnum odio habebit, aut alterum diliget,* quæ repetuntur apud Lucam: quibus aperte docemur, alterutrũ dominum diligi ſolere. Itaque cultor harum amicitiarum, non poteſt, &ſi maxime vult, cor ſuum diuidere, ſingulariter amando Deum & amicum. Deteſtanda ſunt illa verba crudelis meretricis, ad tribunal Salomonis regis adoleſcentis conſtitutæ: *Neo mihi, nec tibi, ſed diuidatur.* Integrum filium tandem ſapientiſſimus iudex reddidit veræ matri: nos erudiens, vt cor integrum Deo ſumme dilecto; & nos pluſquàm materno amore diligenti tradamus ſingulariter amando. Simul vt diuidere conabimur, peribimus. Interminatur Oſee propheta: *Diuiſum eſt cor eorum; nunc interibunt.* Cito perituri ſunt Iſraelitæ, quia modo huic, modo illi idolo, cor ſuum per adorationem dederunt, cultum & amorem partientes, vt bene interpretantur Græci patres apud Riberam noſtrum. Religioſus quoque

S. Greg. l. 4 ep. 1. ad Ioan. Ranean. 16. q. 1. nemo.

Luc. 16. 13

3. reg. 3. 26

Oſ. 10. 2.

Fr. Rib. Oſ. 10.

que cito peribit,ſi cor vnum per vnius Dei amorẽ quem vnicum amabat, & ad quem vnum referebat omnia,ſcindat ac diuidat, aliud amãdo ſingulariter,quod non referat in Deum. Peribit,quia tepeſcet in amore Dei:ſequentur ex tepore peccata leuia; tandem ex leuibus præceps in grauia ruet;vt patres præſagiunt, quos retuli tractatu de cura minimorum. Eandem ruinam metuebat S.Bernardus, cum dicebat: *Cor ergo hominis, quod prius diuino amori affixum ſtabile perſtitit, & vnum amando,vnum permanſit, poſtquam per deſideria terrena defluere cœperit, quaſi tot ſibi in exilio manſiones ſtatuit, quot ſibi in eo delectationes inuenit.* Metuebat etiam S. Cyrillus Alexandrinus, examinans dictum Oſee, diuiſionemque cordis intelligens, *In affectiones Mundanas*. Ad probationem adducit ſententiam Chriſti de impoſſibilitate duobus dominis ſeruiendi; tum ſubdit: *Quòd ſi diuidemur, etiam iuxta vocem Pſalmiſtæ, partes vulpium erimus:* hoc eſt condemnabimur, facti conſortes Herodis, qui dictus eſt Vulpes, ex interpretatione S.Hieronymi. Quòd ſi contendas non ſecuturum interitum ex hac diuiſione cordis, per quam non adorantur idola: produco Pauli teſtimonium de diuiſione remorante perfectionem. Hic agens de matrimonio, docet eo ſolutos, ſoli Deo vacare; iũctos, de coniuge cogitare; atque inter alia: *Qui autẽ cum uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quo modo placeat vxori, & diuiſus eſt.* Hoc eſt ex S.Hieronymo: *In multas ſolicitudinum partes, miſeriarumque diſtractus.* Anxia ſane ſolicitudo eſt, quæ cũ miſeria coniuncta eſt. Itaq. diuiſus eſt maritus Chriſtianus, in curas animæ, quo modo placeat Deo; & in curas Mundi, quo modo placeat vxori. Hac ſi ſolutus ſit moleſtijs vxoris curiſq; liber, *Deo magis ſeruiet*, vt ait S.Ambroſius. Perſpicuum eſt maritum à curis

Tr. de cura min n.15. & ſeq.

S.Ber. ſer. 2. in Salue reg.

S.Cyril. Alex. in Oſ. 10.

Pſ. 62.11.

S.Hier.in pr. 2.

1.Cor.7.33

S.Hier.l.1. adu. Ioui.

S.Ambr. 1. Cor.7.

ris vxoriis, etiam neceſſarijs retineri, quo minus celeriter adipiſcatur perfectionem, ac minus diligat Deum, quia vires animi bipertitur. Aſſerit id Ambroſius idem dicens: *Diminuta ſolicitudine ſaculi, in Dei rebus propenſius vigilatur.* Aſſentiuntur interpretes boni recētiores. Benedictus Iuſtinianus: *A Dei cultu non leuiter auocat cura vxoria.* Cornelius a Lapide: *In multas curas diſtractus, vt vni Domino vacare non poſſit; vt partem Deus, partem potiorem vxor & filij ſibi vendicent.* Ex dictis conficitur virum vxoriis curis diſtractum, & anxia ſolicitudine auocatum, minus diligenter & accurate Deo ſeruire, lentius pergere, ac tardius ad perfectionē peruenire. Qua in re, tu deterior es matrimonio iunctis; qui cor diuidis inter Deum & amicum; cui minime debes illam curam & amorem, quem iure naturæ coniuges inuicem ſibi debent. Quòd ſi quid culpæ ſe admiſceat in hac amicitia, inuehitur contra te S. Baſilius, & intorquet longam diſputationem, quam inſtituerat aduerſus virginem; quæ Deo ſeruire ac placere ſe velle dicit, & tamen ornans ſeſe placere ſtudet hominibus. Exclamat verbis Chriſti, duobus Dominis eam non poſſe ſeruire; vociferatur verbis Pauli, eſſe diuiſam; & concludit: *Poſſibile non eſt, & interna curare, quo modo placeat Deo; & foris ad voluptatem ſpectatorum, veluti in ſcena comi.* Quæ verba leuiter immutata tibi conueniunt. Reſtat igitur, vt ſolum amicum ames ſingulariter; quando nec Deum ſolum, nec Deum vna cum amico ſingulariter ac ſumme diligere potes, quòd amor amorem expellat. At quid indignius ex cogitari poteſt, quàm vel Deum è ſua ſede thronoque deturbare, ſi ſolus amicus diligatur: vel cum auro plumbum, aquam cum vino, vile cum pretioſo miſcere, ſi Deum

Iuſtin. & Corn. in 1. Cor. 7.

S. Baſil. de vera virg.

ſi Deũ cum creatura ſumme ſingulariterque diligere coneris? Verum quia per amorem amici protruditur ſummus amor Dei, non intepeſcit animus tantum, ſed & frigeſcit, & frigefactus in curſu perfectionis fatigatur, moras nectit, & conſiſtit. Pelle igitur è ſella cordis tui quemcunque amicũ, qui non ſit Deus, aut vicarius Dei, hoc eſt, qui propter Deum, & in quo Deus diligatur. Et quoniam Scriptura ſacra interdum nos mittit ad imitandas animantes, ideo ſum tibi auctor, quo curſum repetas ad perfectionem, vt cor tuũ ſimile facias duobus equis, quorum admirabilem

Pl. l. 8. c. 42 Q. Curt. l. 6. Agell. l. 5. c. 2. Plut. l. de compar. animal. Breuiar. 27. Maij.

proprietatem legimus in hiſtorijs, idoneam noſtrę diſputationi. Alter Alexandri Magni regis fuit, Bucephalus à bouino capite dictus, qui phaleratus nullum, præter dominum ſeſſorem admittebat. Alter Ioanni Papæ dono datus fuit Corinthi; qui ſeſſione Pontificis ita ferox euaſit, vt Dominã, quæ illo antea manſuetiſſime vſa fuerat, poſtea ſemper expulerit à dorſo ſuo. Similiter cor tuum tamquam generoſus equus horum ſimillimus, Dei ſummi regis lationi deputatus; & ſummo pontifici Chriſto ferendo per amorem donatus; non alium ſeſſorem poſthac recipiat in dorſum; non Deum excutiat inſidentem, ſed quamlibet creaturam; quæ aſcenſum attentaret. Etenim Deo ſeſſore ac rectore, per uiam rectam incitatiſſimo gradu currens, continges brauium? equitante amico & frena regente, vel in medio curriculo conſiſtes; vel præceps deturbaberis in terram mortuorum.

30 Tertia retardatio naſcitur ex repugnantia familiaritatis Dei & amicorum. Planius rem explico. Familiaritas ſancta cum Deo, in oratione potiſſimum & precibus, in quibus anima deuota cum illo agit tamquam cum amico, imitatione

tione Moyſis, Sancti Franciſci & aliorum Sanctorum, mirifice commendata eſt à magiſtris vitæ ſpiritualis, tamquam magnum perfectionis comparandæ ſubſidium. Meminerunt huius ſanctæ familiaritatis, Caſſianus in collatione abbatis Moyſis: Sanctus Bernardus in tractatu de vita ſolitaria ad Fratres Cartuſianos de Monte Dei, & in ſermone ſeptuageſimo quarto in Cantica canticorum, & alijs in locis. Cognita fuit quoque Vmberto Prædicatorij Ordinis in præſtantiſſima epiſtola, quam de tribus votis, & alij virtutibus ſcripſit ad Religionem ſuam vniuerſam: Beato Laurentio Iuſtiniano in libro de oratione: necnon B. Ignatio Societatis meæ auctori multis in locis. Neque incognita fuit Græcis. Nam Oecumenius explicans ea verba Pauli de virgine: *Vt ſit ſancta corpore & ſpiritu*, ſic ait: *Corpore quidem propter caſtitatē; ſpiritu vero* διὰ τὴν πρὸς τὸν θεὸν ὁμειότητα. hoc eſt, *propter familiaritatem ad Deum, & Spiritus paracleti inhabitationem*. Non auderem ipſe dicere, per has amicitias peculiares tolli hoc adiumētum perfectionis acquirēdæ, ac proinde retardari curſum ad eam aſſequendā, niſi magiſtros haberē in prōptu, qui hoc docuerūt. Iacobus Aluarus: *Perfectus amor Dei, omnē alienum amorē reijcit: & vera cum Deo orationis familiaritas, omnem ineptam cum hominibus familiaritatem excludit. Quod ſi hæc quiſque complectatur, nec perfectus in eo Dei amor, nec intima orationis familiaritas eſt.* Carolus Scribanus: *Ingens hæ familiaritates diuinæ familiaritati impedimentum inijciunt. Credas ingentia flumina, flammæ extinguendæ iniecta. Et ſane quantum fere amicitiæ hæ creſcunt, tantum diuinæ decreſcunt. Quantum enim prioribus conceſſeris, tantum diuinis ademiſſe videris. Occuparunt priores animum? occuparunt totum; Deumque excluſiſti; cum illi locum nullum*

Ex. 33. 11.
S. Bon. c. 10. vitæ S. Franc.
Pontan. vitæ Alu. c. 26. [illegible]
Caſſ. coll. 24. c. 26.
S. Bern. l. de vita ſolit. & ſer. 74. in cant.
Vmb. ep. de tribus votis c. 48.
B. Laur. l. de orat. c. 5.
P. 10. c. 2. § 1. & c. 6. lit. t.
Oecum. 1. Cor. 7. 34.
Iac. Alu. t. 1. l. 5. c. 26.
Car. Scrib. l. 3. med. relig. c. 17.

nullum reliquum feceris, qui omnem prioribus cõceſſiſti. Balthaſſar Aluarez vir experientiſſimus in hac re, qui B. Tereſiam olim ab huiuſmodi amicitijs abſtraxit, repugnantiam harum duarum familiaritatum & agnoſcebat, & damnabat. Aiebat enim (vt narrat Ludouicus Pontanus vitæ ſcriptor) per amicitias priuatas, & nimiam affectionẽ ad creaturas, *Captiuari cor, & amittere libertatis & ingenuitatis priuilegium, quo Deus illud donauit, cum hominem cõdidit: fierique inhabile & ineptum* (nota hoc diligenter) *ad familiaritatem cum ipſo Deo Domino noſtro. Trahunt enim poſt ſe cogitationes ad perſonam amatam, furantur tempus, nec locum relinquunt, quo Deus in corde maneat, nec vt ipſum poſſit ſoli ſuo creatori adhærere & vniri.* Hactenus Balthaſſar: vnde colligimus quam maxime retardari a profectu ſpirituali, qui manare ſolet plurimum a diuina familiaritate in ſpiritualibus omnibus exercitiis, eum, qui ſe immergit in has humanas familiaritates, ridiculis, facetiis, otioſiſque colloquijs, non conditas modo, ſed etiam confertas.

Pont. in vita Balt. Al uar. c. 11. §. 1

Cap. V. *Tolluntur ſex excuſationes quibus hæ amicitiæ defenduntur.*

31 AGgredior quintũ caput tractatus, quo repellenda ſunt & frangenda, quæ ab iſtis amicitiarum harum, ſiue cultoribus, ſiue defenſoribus ad excuſationem ſui erroris, ne dicam amentiæ, vel proferuntur, vel proferri poſſunt. Ea ſunt ſex. Primum dictitant hunc peculiarem affectum nõn eſſe malum. Deinde ad ſummum reduci ad amorem Platonicum, quem philoſophia non condemnat. Tertio iactant nihil ſe in eo periculi, vel ab eo ſibi metuere, quòd in gratia Dei bene fundati bonam habeant intentionem. Quarto nõ

eſſe

eſſe parui momenti adeo, vt non ſint propter eam excitandæ tragœdiæ. Quinto ſibi non eſſe curæ, quid alij ſuſpicentur, modo ſalua maneat conſciē tia. Sexto ac poſtremo, Saluatoris exemplum peculiariter Ioannem diligentis, ſolidiſſimum eſſe clypeum, ad tela reprehenſionum repellenda opinantur.

I. Excuſatio. Non eſt mala hæc beneuolentia.

32 PRIMAM excutiamus defenſionem, qua dicunt malam non eſſe beneuolentiam, quæ ſodalitates haſce conglutinat. Inficior quod aſſeritur. Non repeto, quæ huc vſque multa dixi, in toto curſu diſputationis ad oſtendendam prauitatem earum. Nunc hoc loco in hunc modum argumentor. Si bona eſt & laude digna illa beneuolētia; vel eſt charitas diuinitus animis eorum infuſa, quæ dicitur dilectio proximi; vel charitas fraterna, quam ſub nomine Philadelphię nobis tātopere commendant Petrus & Paulus in epiſtolis ſuis: vel certe affectus erit aliquis probus ex enumerandis: ſed nihil horum aſſeri poteſt: quapropter non habebitur in numero bonarum rerū. Non eſt diuinitus illapſa charitas; quoniam hæc non amat tenebras, ſed lucem: non quærit latebras, ſed publicum: non coarctatur ad pauculos, ſed viſcera dilatat ad omnes: non clanculum, ſed propalam aperit fontes benignitatis ſuæ ad fraternitatem vniuerſam. Denique non amat in ſocio naturæ ornamenta, vel in corpore, vel in animo ſplendeſcentia, ſed Deum in eo, vicaria quadam præſentia relucentem. Quid quod hæc dilectio non eo prolabitur, vt peccata neque grauia, neque leuia ſodalis gratia committat? Verum & leuibus frequenter, & grauia nonnumquam ij,

qui temere in viſco harum amicitiarum inhæſe-
runt, per occaſionem nimiæ familiaritatis, & vt
ſibi gratificentur inuicem, maculantur. Excluſa
charitate diuina, neceſſario ad aliquem alium affe
ctum, ſeu dilectionem deueniendum eſt. S. Bernar
S. Ber. ſer. 50. in Cãt. dus de proximi dilectione ſapienter diſſerens, ad
quam requirit aliquam affectionem, hæc habet:
*Eſt affectio, quam caro gignit; & eſt, quam ratio regit;
& eſt, quam condit ſapientia. Prima eſt, quam Apoſto
lus legi Dei dicit non eſſe ſubiectam, nec eſſe poſſe: Secun
da, quam perhibet è regione conſentientem legi Dei,
quoniam bona eſt. Nec dubium diſtare inter ſe, conten-
tioſam & conſentaneam. Longe vero tertia ab vtraq;
diſtat, quæ & guſtat, & ſapit, quàm ſuauis eſt Domi-
nus, primam eliminans, ſecundam remunerans. Nam
prima quidem dulcis, ſed turpis: ſecunda ſicca, ſed for-
tis: vltima pinguis, & ſuauis eſt.* Hæc vir Sanctus. In
his amicitijs, quas deteſtor, non ineſt affectio ſe-
cunda ſicca & fortis, conſentiens legi Dei, quam
ratio regit. Quo enim modo legi Dei conſentiat,
quæ legibus Ordinis aduerſatur manantibus à
Deo? quæ iuſſis Maiorum, qui Dei vices gerunt,
obſiſtit? Quis dicat ratione regi, quam B. Lauren-
tius clamat paſſione victam duci, & tyrannice ſu-
Sup. n. 24. perari? Non bona hæc eſt, in qua non ſedet ipſa
charitas; per quam non fiunt opera bona, quod S.
Bernardus tribuit ſecundæ. Multo minus affectio
tertia reperitur guſtans & ſapiens Domini ſuaui-
tatem; quando ab his ſodalibus negligitur ora-
tio, ignoratur familiaritas cum Deo, paruipendi-
tur deuotio, ſpirituales exercitationes, in quibus
guſtatur Deus, contemnuntur. Remanet ergo pri
ma affectio, quam caro gignit; dulcis, ſed turpis:
cuius glutine ſodales illi connectantur. Præterea
Id. Bern. l. de dilig. Deo. nec proximi charitas, aut fraterna poteſt appella-
ri; quoniam in ea minime cernitur ea perfectio,
quam

quam idem S. Bernardus in proximi charitate locat. Ait enim: *Proximum pure diligere quo modo poteſt, qui in Deo non diligit? Porro in Deo diligere non poteſt, qui Deum non diligit. Oportet ergo Deum diligi prius, vt in Deo diligi poſſit & proximus.* Conſiderent attente ſodalitatum harum mancipia, num Deum pure ac perfecte diligant, vt inde intelligant, vtrum ſodales in eodem Deo diligant nec ne: vt poſſint gloriari, ſe illos pure diligere.

33 Ante S. Bernardum Caſſiodorus, vt ſupra ſignificatum eſt, in libro de amicitia, colligit affectus omnes, qui poſſunt in amicitia dilectioneque fraterna proximorum excogitari. Primus affectus eſt ſpiritualis, *Quoties Deus occulta immiſſione gratiæ, vel alicuius verbo, vel exemplo, aut correptionis paternæ flagello, aliquem ad diligendum, quod honeſtum eſt & ſalubre inuitat* &c. Hic locum non habet in amicitia, in qua non quæritur, neque honeſtas, neque ſalus; ſed iucunditas & voluptas, vt ſæpe demonſtratum eſt: cuius cultores, non inſtinctu diuino ad ſeſe amandos excitantur; ſed vel affectionis impetu, vel Dæmonis impulſu: non inuitantur ad ſanctam dilectionem exemplo virtutum, ſed ornamentis Naturæ. Secundus affectus Caſſiodoro eſt Rationalis, *Qui ex aliena virtutis conſideratione excedit*. Res à Sancto Paulo geſtæ, Laurentij ac Vincentij martyria, cum audiuntur, aut leguntur, ex opinione Caſſiodori, ſuauiſſimum amorem, & promptam deuotionem erga eos in nobis accendunt. At hic affectus laudabilis non coagmentat has amicitias, quarum ſodales, non tanto virtutis, ſanctitatis, præſtantiumque actionum ſplendore fulgent, vt ob hanc cauſam à ſe inuicem diligantur. Contrarius affectus

Sup. n.3. Caſſiod. l. de Amic.

Sup. n.14.

irrationalis potius in illis deprehenditur, qui, vt eſt auctor idem Caſſiodorus, alios ad indebitam beneuolentiam inclinat ijs impendendā, qui ſint inſignes aliquo *Vitio, aut artificio turpi, vt philoſophia inani, aut ſtultiſſima in re militari audacia: & quod miſerabilius eſt, qui prodigi ſunt, detractores, Deo obidiles, aut ſcurrilitatis, aut ſæcularis ineptiæ ſectatores.* Quis inter Religioſos adeo parum ſanus eſt, vt affectu illo cupiat ſe amari, quo mimi, ſcurræ ſimileſque horum diliguntur? Hoc irrationali affectu ducuntur, qui ſodales quoſdam ſingulari beneuolentia proſequuntur, propter facetias, ſcurrilitates, detractiones, turpem artem, aut vitium aliquod, quod ridiculum cenſeatur. Tertio loco numerat Caſſiodorus affectum officialem, *Qui obſequio*, inquit, *conciliatur.* Laudabilis hic eſt, cum ab animo grato beneficiorum memori excitatur. At niſi contineatur intra fines mediocritatis; niſi ſeruet leges Ordinis: niſi pareat Maiorum iuſſis, finemque honeſtum reſpiciat, damnabilis eſt, ac vituperabilem facit eam ſodalitatem, quam conſociat. Quartum affectum idē vocat naturalem; & eum hoc nomine ſignat, quo quiſque diligit *Domeſticum ſanguinis ſui*. De ijs, qui tantum hoc affectu amant, Sanctus Gregorius, atq; ex eo Hugo Victorinus. *Hi nimirū & proximum diligunt, & tamen illa ſublimia dilectionis præmia non aſſequuntur; quia amorem ſuum, non ſpiritualiter, ſed carnaliter impendunt.* Et quamuis nonnumquam adeo tolerabilis ſit, vt damnari nō poſſit; tamen in familijs religioſis, vbi Religioſi profitenter huius affectus vacuitatem, vituperatione dignus habetur, qui non eum adeo repreſſit, vt conſanguineos non plus diligat, quàm alios ſocios nulla ſanguinis cognatione coniunctos. Propterea ſuperius inter ſodalitates deſtruendas,

S. Greg. hom. 27. in Euang. Hugo in reg. S. Aug c. 10. al. 21.

locaui

locati conſanguineorum peculiares amicitias, qui naturalem hunc affectum religioſa moderatione non cohibent.

num 34. Quintum affectum, quem affinem naturali dicit eſſe, nuncupat carnalem Caſſiodorus. Hunc Sanctus Auguſtinus in regula iubet exulare ab Ordine religioſo, cum ait: *Non autem carnalis, ſed ſpiritualis inter vos debet eſſe dilectio.* Expertus erat, vt arbitror, in his amicitijs ſuſpectis dominari; proinde præcauebat ac præmuniebat ſuos, arcens præcepto cauſam contagionis. Malum eſſe hunc affectum declarat Auguſtinus hoc ipſo, quòd opponit illi ſpiritualem, qui bonus eſt. At nemo neſcit, ſi logicam primoribus labris deguſtauerit, contrariorum contrarias eſſe qualitates. Verum attendamus dicta interpretum S. Auguſtini; ut eius ſenſū capiamus. Vmbertus carnalē dilectionē apud Auguſtinū intelligit: *Qua quis diligit ad carnalia, ſicut diligit Mundus, quos ad ea diligit, quæ ſunt Mundi.* Sequūtur eū Ioānes Trullus, & Seruatius. Ex hac interpretatione cōuincitur carnaliter diligere amicū, q carnalia & mūdana, hoc eſt quæ Mundus optare ſolet, & ſenſibus iucunda ſunt, & appetitui placent, amico procurat & deſiderat. Quamobrem, qui ſodali appetit, & quærit honores, dignitates, gradus eminentes, applauſum hominum in rebus gerendis, gratiam magnatum, commoda ſæcularia, delicias Religioſo minime conuenientes, pecuniæ poſſeſſionem & vſum ſanctæ paupertati aduerſantem, & his ſimilia bona, quæ Mundani homines magni ęſtimant, & ſpirituales repudiant; is amicum, ex Auguſtini doctrina, non ſpiritualiter diligit, ſed carnaliter; ac Trulli ſententia impura dilectio eſt. Secunda interpretatio eorumdem eſt, carnaliter diligere illum, qui diligit *Dilectione originata à carne*

Caſſiod. l. de amicit.

S. Aug. in reg. c. 12.

Ar. l. 5. polit. c. 8.

Vm. c. 152. in reg. S. Aug.

Trull. l. 4. in reg. S. Aug. c. 12.

Seruat. opt man d. 87.

ne, ſicut diligunt propinqui carnales & compatriotæ. Vmberti verba ſunt hæc. Ceterum hanc dilectionem S. Gregorius & Hugo definiunt ſine præmio eſſe: & quia gignitur à carne, S. Bernardus pronun-
Sup. n.32. tiaturus eſt, dulcem quidem eſſe, ſed turpem. Tertia interpretatio eſt eiuſdem Seruatij, *Quando aliquis diligitur ratione concupiſcentiæ.* Hanc dilectionem apud S. Bernardum primo loco *Caro gignit.* Eadem ex Caſſiodoro animam emollit ad noxiam
Supra n.3. voluptatem. De eadem ſine ambiguitate locuti
Sup. n. 23. ſunt Baſilius, Ephræm, Climacus, Petrus, Laurentius, vbi de periculo peccandi diſputabatur. De hac ſilendum duxi; quoniam quilibet agnoſcit affe-
Caſſ. coll. 16.c.28. ctionem eſſe turpiſſimam. Caſſianus quoque hunc affectum in coniuratorum amicitijs dominãtem, atque ab Apoſtolica charitate diuerſum, nũcupat *Terrenum.* At quis poteſt non improbare illos,
Phil.3.19. *Qui terrena ſapiunt?* Quis bonum auderet dicere affectum, ſiue amorem, quem tot antiqui, graues, ac periti magiſtri vitæ ſanctioris, nominibus adeo probroſis notare non dubitant? Auguſtinus, Caſſiodoruſque carnalem appellãt, Caſſianus Terrenum, Bernardus turpem atque à carne generatũ: aliter alij non ſine acerrima vituperatione dehoneſtant. Nec vero tantorum doctorum auctoritas debilitatur, ſi dixeris hos affectus, non eſſe natura malos, ſed indifferentes: vitiari fine, modo, menſura. Te ipſe implicas, & condemnas. De fine malo, qui ſodalium animos deprauat, ſodalitateſque
Sup.n.7.& ſequentib. corrumpit, multa ſuperius diſputata & definita ſunt. Vitiari quoque immoderatione, ac menſuræ defectu quis neget? Quidquid eſt nimium immoderatumque in vitio ponitur à communi philoſophorum Theologorumque ſententia: & nominatim dilectio rerum mortalium ſine menſura damnatur. S. Gregorius: *Pax præſens ita tenen-*

da eſt, vt et diligi debeat, et cõtemni: ne ſi immoderate diligitur, diligentis animus in culpa capiatur. At vero affectum, quo ſodalitates iſtæ ſociantur, reguntur, conſeruantur, eſſe nimium ac ſine modo, quis inficietur, qui videat nimiam ſodalium familiaritatem, aſſiduas congreſſiones, immoderatos iocos anxias collocutiones, ſuſurros clandeſtinos, ſolicitam fugam ab oculis ſuperiorum & ſeniorum? Merito B. Vincentius in vita ſpirituali monuit præcipue fugiendam eſſe ac metuendam *carnalium amicitiarum immoderatam, vel inordinatam affectionem.* Intelligebat eiuſmodi amicitias immoderatione vitiari ſolere. Ioannes Gerſon narrans periculum viri ſpiritualis, qui nimia familiaritate cuiuſdam religioſæ virginis pæne deceptus eſt, percommodam rei noſtræ ſententiam intulit. *Omnis quippe vehementia, eſt ad virtutem periculoſiſſima comes, vt ad dilectionem, ad Zelum, ad correctionem, & ſimiles. Veriſſime præterea quidam enuntiauit, qui dixit: Male cuncta miniſtrat impetus.* Hæc Gerſon. Itaque cũ hæ ſodalitates vitioſæ ſint, cum alijs nominibus, tum potiſſimum, quod ab affectu immoderato ad prauitatem inflectuntur, bonæ dici, nec debent, nec poſſunt. Conſignet hanc diſputationem præclara Ioannis Trulli cohortatio ex commentario regulæ Auguſtini. *Expoſcit namque hoc charitatis latitudo, vt non ſolum paucu los quoſdam priuato affectu complectamur, et afficiamus beneficijs: ſed vt charitatis latitudine complectamur omnes, affectu quidem deſiderantes, quantum in nobis eſt, prodeſſe omnibus.*

S. Greg. p. 3. curæ paſtor. adm. 13.

S. Vinc. tr. de vita ſpirit. c. 19.

Gerſ. t. 1. tr. de diſt. viſio. ſigno 5.

Trull. l. 4. in reg. S. Aug. c. 22.

II. Excuſatio. Eſt amor Platonicus.

35 Secunda excuſatio nonnullorum, qui neſciunt quid dicant, eſſe conſueuit, hunc affectũ reuocari poſſe ad amorem Platonicũ, quẽ philoſophia, inquiunt illi, non reprobat. Dicunt autem, qui paulo peritiores ſunt Platonicum amorem eum eſſe, quem Plato ſub perſona Socratis magiſtri, deſcribit in duobus dialogis, quorum alter inſcribitur Sympoſiũ, hoc eſt conuiuiũ de Amore; alter Phędrus, de Pulchro. Summa doctrinę horum eſt, ex Plutarcho, & Maximo Tyrio. Amorem hunc excitari quidem per aſpectum à pulchritudine corporum, ſed attolli animum ex ea ad amandam animi pulchritudinem, quæ relucet in corpore, ac tandem ad diuinam contemplandam eleuari. Confirmat Origenes, cum ait illos geminos philoſophos conatos eſſe *Oſtendere non aliud eſſe amoris vim, niſi quæ animam de terris ad faſtigia cæli celſa perducat: nec ad ſummam beatitudinem poſſe perueniri, niſi amoris deſiderio prouocante.* Clarius explicat Marſilius Ficinus in commentario conuiuij; quo loco, inter alia, hæc habet: *Si ad contemplatiuam vitam prompti & procliues geniti educatiue ſumus, ſtatim à forma corporalis aſpectu, ad ſpiritualis atque diuinæ conſiderationem erigimur:* Tueri ſuam opinationem ſe poſſe arbitrantur, exemplo Sancti Auguſtini; qui, vt ipſe refert, ex conſideratione pulchritudinis creaturarum, inductus eſt ad ſcriptionem librorum de Pulchro. Viribus omnibus elidenda eſt, hæc excuſatio religioſæ perfectioni, ac puritati cordis inimica. Congruentius dixiſſent amorem Plutonicum, quàm Platonicum, qui tam facile trudit homines in Infernum: conuenientius appellaſſent

Plut. l. de lib. educ. Max. Tyr. ſer. 9. & ſeq.

Orig. hom. 2. in Cant.

Marſ. Fic. com. conu. c. 8.

S. Aug. l. 4. conf. c. 13.

ſent Diabolicum, quàm Socraticum, quoniam probabile eſt Socratem à Dæmone doctum, quem è priſcorum Platonicorum ſententia familiarem habebat. Nolo hic diſputare philoſophica ſubtilitate, vtrum hæc doctrina probabilitatem habeat vllam, ita vt fieri queat hic tranſitus, ab amore corporeæ formæ, ad amorem ſpiritualis ac diuinæ, ſine culpa, nec ne. Scio Auguſtinum Niphum celeberrimum philoſophum æuo ſuo, in libro de amore ſcripſiſſe; Omnem amorem ex pulchritudine ortum, non eſſe poſſe ſine Cupidine. Illud ſane negari non poteſt, quia certum, commentum hoc in praxi, turpe, perniciosum, ac maxime periculoſum eſſe. Turpe quidem duplici nomine; tum quia dicitur Amor; tũ quia eſt inuẽtũ philoſophorũ infamiũ omni genere flagitiorũ. Periculoſiſſimũ aũt eſt, quoniã eſt amor pulchritudinis. Primum hoc ipſo, quòd Amor nominatur, male ſonat auribus proborum philoſophorum, & fœtet naribus ſpiritualium magiſtrorum; qui requirunt in diſcipulis ſuis, non modo facta, & cogitata, ſed etiam verba caſtitate decora. Noxia res intelligitur, vt hæc vox amoris auditur, ſine vllo adiuncto virtutis: illicita & vituperabilis res concipitur è nudo nomine amoris. M. Tullius in quarta quæſtione Tuſculana hunc affectum exagitat, libidinoſum putat, eique facit medicinam. Approbat L. Seneca vulgare prouerbium à Publio Syro cum plauſu in theatro pronuntiatum:

Amicitia ſemper prodeſt; amor & nocet.

Vt ad Chriſtianos veniamus; Origenes Canticũ canticorum explanaturus, obſeruat diuinam Scripturam, vt caueret, ne lapſus aliquis ſub nomine amoris, legentibus infirmioribus accideret; *Eum, qui apud ſapientes ſaculi Cupido, ſeu Amor dicitur, honeſtiore vocabulo, charitatem, vel dilectionem*

Apul. l. de Deo Socr.
Laer. l. 2. in Socrate

Aug. Niphus l. de amore c. 16.

C. Tuſc. 4.

L. Sen. ep. 35.
Publ. Syr in ſent.
Orig. hom 1. in Cant.

ctionem nominaſſe. Quod ſi quando *Amorem & amare* dicit, eas voces vſurpat, vbi de libidinoſo amore ſermo eſt, vt cum vitiatæ Thamar narratur historia; vel cum agitur ea de re, in quam nulla laſciui amoris cadere ſuſpicio poteſt: cuiuſmodi eſt diuina ſapientia, de qua Salomon ſcripſit: *Hãc amaui:* &; *Amator factus ſum formæ illius*. Et peculiariter in Canticis id obſeruatum dicit: & S. Hieronymus conſentire putandus eſt Origeni, cuius explanationem latinam fecit. In lxx. interpretum editione, Origenis obſeruationem veram prorſus arbitror, qua vtebatur: nam Latinus noſtræ vulgatæ interpres non fuit in hac lege obſeruanda diligentiſſimus, vt alicubi notauit S. Auguſtinus. Cõgruenter Origeni S. Antoninus diſtinguens hæc tria vocabula, Amoris, Dilectionis, & Charitatis, fatetur Amorem eſſe nobis communem cum brutis: Dilectionem à Scriptura catholicíſque doctoribus raro malis attribui: Charitatem habere diuinam infuſionem. Fauet S. Auguſtinus, qui in præfatione Pſalmi 31. ſcripſit: *Amor Dei, amor proximi, Charitas dicitur: amor huius ſæculi cupiditas eſt*. Poſitum ſit igitur inter viros ſpirituales ac religioſos, vitandum eſſe vocabulum Amoris, cum de eorum inter ſe beneuolentia, & charitate reciproca ſit ſermo: meritoque abhorrere ab hac voce, tamquam male turpiterque ſonante, magiſtros vitæ perfectæ; ac denique Platonicum amorem, ex ipſo vocabulo de turpitudine reddi ſuſpectum. Deinde vitioſam turpemque doctrinam hanc Socratis & Platonis conijcimus ex ipſis auctoribus & doctoribus, qui flagitioſiſſimi fuerunt; ſed probitatis ſimulatione, iactantes ſe naturam ad flagitia propẽſam continere (vt eſt apud Iulium Firmicum, & Caſſianum) & honeſto vocabulo Philocaliæ, vt ait Nazianzenus, turpitudines ſuas obſcenitateſque

Marginalia: 2. Reg. 13. — Sap. 8. 2. — S. Aug. l. 14 de ciu. c. 7. — S. Ant. p. 1. tit. 6. c. 2. §. 1. — S. Aug. pręfat. in pſa. 31. — Iul. Firm. l. 1. aſtron. c. 3. — Caſſ. coll. 13. c. 5.

que contexerunt. Non potuit *Arbor mala bonos fructus facere*, vt diuina Sapientia pronuntiauit. Equidem id aſſero nixus auctoritate, tum philoſophorum & hiſtoricorum Xenophontis, M. Tullij Ciceronis, L. Senecæ, Plutarchi, Luciani, Porphyrij, Maximi Tyrij, Diogenis Laertij: tum veterum doctorum Eccleſiæ Græcæ Latinæque, Chryſoſtomi, Cyrilli Alexandrini, Theodoreti, Gregorij Nazianzeni, duorumque huius interpretum, Nonni & Eliæ Cretenſis; inſuper Tertulliani & Hieronymi, qui vno eodemque propemodum ſtilo produnt horum duorum philoſophorum flagitia, quæ honeſtatis cauſa ego intra calamum contineo: & eadem mente damnant hypocriſim, qua nequitiam callide occulebant, quaque multos mortales viui ac mortui feſellerunt; vt vere de eorum fucatis fallacibuſque virtutibus, & inani iactatione continentiæ, ſcripſerit Theodoretus: *Mera verba ſunt hæc rebus factiſque carentia*.

36 Præterea Platonis commentum repudiandum eſt, atque ab ore, corde, cogitationeque cuiuſuis ſpiritualis ac religioſi viri, & à quacumque pia ſodalitate machinis omnibus extrudendum; ob graue periculum, ne trahat infirmiores & minus cautos in aliquam obſcenitatem, duas ob cauſas. Prima eſt, quia hoc inuentum Platonis eſt Philocalia, hoc eſt Amor pulchritudinis, quæ magnam vim habet ad alliciendum & præcipitandum. Deus naturæ auctor res creatas pulchritudine aſperſit, veſtiuit, decorauit, & homines vtriuſque ſexus in primis, vt per eam mortales ad legitima connubia pelliceret, atque in coniugio beneuolos vtriuſque coniugis animos inter ſe contineret: quod eſt magnum coniugij bonum.

Naz. or. 3. n. 37. & or. 33. n. 32. Matt. 7. 18 Xenoph. & Porph. apud Theodor. l. 12. de cur. aff. Græc. Cic. Tuſc. 4. L. Sen. l. de vita beata c. 27. Plut. l. de educ. & or. 2. de fort. Alex. Luc. in Amoribus, & l. 2. ver. hiſt. Tyrius ſermo. 8. Laert. l. 2. in Socrate S. Chryſ. l. cōtra Gēt. S. Cyrill. 6 adu. Iul. Theodor. l. 12. cit. S. Naz. or. 3. nu. 38. & or. 33. n. 32 Nonn. & Elias in eas orat. Tert. Apo. c. 46. S. Hieron. in c. 2. Is. Theod. l. 12. de cur. aff. Græc.

Eccl. 36. 24. bonum. Spectat huc illud Sapientis. *Species mulieris exhilarat faciem viri ſui.* Ad hæc hominibus ipſis inſtinctum indidit, vt res ſpecioſas diligant. Auctor operis de ſeptem proceſſibus Religioſi, ſiue ſit S. Bonauentura, inter cuius opuſcula excuſum eſt; ſiue B. Dauid ab Auguſta Ordinis Minorum, ſub cuius nomine nuper prodiit, loquens de affectu naturali: *Hoc etiam*, inquit, *diligimus illa, quæ Natura magis honeſtauit, vt pulchros homines, & alia naturaliter delectabilia.* Quod etiam à Caſſiodoro ante hos dictum retuli ſub initium tractatus huius. At vero formæ pulchritudo, cuiuſcumque illa ſit, nacta corruptum originalis peccati contagione appetitum, tanquam funeſta fax accendit illum ad illicitas delectationes: quibus facile victi cedunt, qui ſubminiſtratis diuinitus armis ad reſiſtedum, ſe parum fortiter tuentur. Idem ſapiens meum confirmat dictum, vbi ait: *Propter ſpeciem mulieris multi perierunt.* Itaque fere fit, vt vbi pulchritudo intermiſcetur, impurus amor generetur. Hinc Stoici apud M. Tullium, amorem improbum, *Conatum amicitiæ faciundæ ex pulchritudinis ſpecie definiunt.* Prædicant omnes poetæ, non negant philoſophi, demonſtrat vſus, Scriptura confirmat hãc vim maximam, poteſtatemque formæ, tyrannidẽ (ſic fere loquebatur Socrates) propemodum immortales per oculos exercentis. Legatur hac de re Lælius Biſciola noſter in primo volumine ſubſeciuarum horarum. Sufficiat ad præſentem diſputatiõnẽ mandare menti à ſpiritualibus magiſtris moneri diſcipulos, vt caueant familiaritatem formoſorum, vti ſuſpectam ac periculoſam: quibus alij iungunt imberbes, in quibus florere ſolet flos ætatis, qui eſt pulchritudo. Dicta magiſtrorum occurrent lectori tractatum hunc euoluenti. Hoc loco audiat experientiſſimum magiſtrum Ioannem Gerſo-

S. Bon. t. 3 op. de ſep. proceſſ. n. 6. c. 16. B. Dauid ab Aug. ibid.

Sup. n. 3.

Eccl. 9. 9.

Cic. Tuſc. 4.

Laer. L. 5. in Ariſt.

Læl. Biſc. t. 1. Hor. ſubſ. l. 9. c. 8.

S. Baſ. l. de vera virg.

Gerſonem non alibi referendum. Hic narrato periculo pii viri, quem nimia familiaritas religioſæ virginis propemodum abſorbuerat, vt iam dixi, vbi docuiſſet vehementiam in amando periculoſiſſimam eſſe, ſubiicit hæc in rem noſtram aptiſſime: *Hac demum fraus apud illos frequens eſt, qui in cultu, aut dilectione proximorum, decorem corporis, florem ætatis, aut diuitias, aut alias Fortunæ dotes attendunt, ac inde vehementius ad eorum dilectionem accenduntur. Qui profecto cauere habent, ne ſordide, aut carnaliter exurantur. Alioqui, ſi tantummodo virtutem diligunt, ſedem eius vnicam, ſpiritum videlicet, qualecũque corpuſculum inhabitet, æque ament, colant, & frequentent. Non aduerſor tamen vſquequaque Poetæ dicenti:* Gerſ. t. 1. tr. de diſt. viſion. ſi gno. 5. Sup. nu. 34

Gratior, & pulchro veniens in corpore virtus. Virg. l. 5. Aen.

Adiuuat; ſed affirmo quod ſi gratior, non ob id tutior, aut ſincerior inuenitur. Idque iure ac vere dictum: quoniam ex S. Chryſoſtomo formoſorum aſpectus igneus eſt. Ignis autem & lucet, & vrit. S. Chry. in Laud. Bar l. martyr.

37 Secunda cauſa periculi ex commento Platonis, eſt difficultas erigendi animum à forma corporis, ad pulchritudinem mentis & contemplationem cæleſtium. Cum enim oculos ſpecies inuaſerit, ac per eos inferiorem animi partem occuparit, cum qua Naturæ artificio, corporis pulchritudo congruit: quis eſt adeo potens viribus, qui tyrannidi illius in appetitu conſidentis obſiſtat? *Species formæ ſemel cordi per oculos alligata,* inquit S. Hieronymus, *vix magni luctaminis manu ſoluitur.* Nam in fundum vſque appetitus peruadit ac penetrat; quod S. Baſilius & Gregorius Nazianzens declarant ſimilitudine lapilli in aquæ ciſternam coniecti, qui totam aquam orbibus commouet, etiam in profundo. Facilius hæc doctrina Platonis docetur, quàm diſcitur. Multa propo- S. Hier. in c. 3. Thre. S. Baſil. de vera Virg. S. Gre. Na zi. carm. 3. ad Virg. num. 18.

ponuntur à philoſophis agēda; quæ Naturæ viribus non fiunt: ſubtiliter diſtinguuntur quædam cogitatione, quę non ſeparantur actione. Non fertur animus per oculum in formam abſtractam à corpore, ſed in corpore inhærentem: qui amat, non formam amat, ſed formoſum: pulchritudo ratio eſt, cur afficiatur amans in pulchrum. Itaque ſuapte impetu cupiditas amatoris, plus in formoſum fertur, quàm in formam: vnde facilius decurrit in corpus pulchritudine affectum, quàm in animum, cuius ſpecies ab oculo ſpectantis remotiſſima eſt. Marſilius Ficinus, quem dixeris Platonis animum & linguam, fatetur pulchritudinem à viſu ad concupiſcentiam tangendi ſubito deſcendere, in illis hominibus, *Qui ad vitam voluptuoſam prompti & procliues geriti atque educati ſunt*. Quàm pauci reperiuntur tales, quales paulo ante ſibi fingebat ad contemplationem idoneos, quorum mens ad pulchritudinem animi Deique conuertatur? Egent ij, vt tales ſint, mortificatione non vulgari, ſenſus, appetitus, libidinis: egent virtutibus temperantiæ, continentiæ, caſtitatis: egent diuinitus datis auxiliis, quibus ab inſultibus formæ defendantur, atque inuicti ſtent, dum illa per oculos, eos impugnat. Verum Marſilius mihi falli videtur, ſi exiſtimat homines eſſe omnes inuictos ſuapte virtute ad impetum pulchritudinis. Quòd autem decipiatur; & doctrina Platonis, quam probabilem facere ſtudet, periculoſa & fallax ſit, liquido apparet ex lapſu multorum, qui Platonem Platonicoſque ſecuti, propriiſque viribus confiſi, ſunt à pulchritudine proſtrati, & in peccatorum voraginem deturbati. Dabitur teſtis Origenes ſuis ipſius verbis: qui vbi commemoraſſet Platonis conuiuium

Marſ. Fic. in Plat. conu. c. 8.

Orig. ho. 1 in Cant.

nimium, non ciborum, ſed verborũ; & artes quaſdam docuiſſet eſſe conſcriptas, quibus philocalia gigneretur & conſeruaretur, hæc ait: *Sed has artes carnales homines ad vitioſa deſideria, & culpabilis amoris miniſteria traxerunt. Non ergo mirum ſit, ſi et apud nos, vbi quanto plures ſimpliciores, tanto plures, & imperitiores videntur, difficilem diximus, & periculo proximam de amoris natura diſputationem; cum apud Græcos, qui eruditi ac ſapientes videntur, fuerunt tamen aliqui, qui de his non ita acceperint, vt ſcriptum eſt, ſed occaſione eorum, quæ de amore dicta ſunt, in lapſus carnis, & in impudicitiæ præcipitia corruerunt; ſiue ex his, quæ ſcripta erant, vt ſupra memorauimus, admonitiones quaſdam, & incitamenta ſumentes; ſiue incontinentiæ ſuæ velamen ſcriptis veterum præferentes.* Hactenus Origenes amator eximius pudicitiæ. Nec mirum eſt, adeo peſtilentes eſſe conuiuii Platonici dapes: quoniã etſi conuiuator & inſtructor eas inaurauit nomine pudici amoris; tamen quia ſub aureis verborum bracteolis latitabat virus impuritatis ac nequitiæ; viris doctis eas perſcrutantibus intus diligenter, apparent fæces, per quas, tamquam per ſigna, deprehendunt amorem impudicum. Ex antiquis Theodoretus, vbi multos Platonis dialogos enumeraſſet, qui Socratis impuritatem atteſtantur, ſubiungit: *Quæ vero Alcibiades in ſympoſio, de eodem Socrate loquatur; Plato quidem ſcribit; ego autem, vt Socrati parcam, potius obticebo: tantam iÿ dialogi Socratis ineptiam ac petulantiam narrant; tantumque incitamentum præbent lubricis ad peccandum hominibus.* Cyrillus quoque Alexandrinus, vir æque doctus ac Sanctus, pernicioſam Sympoſij doctrinam eſſe notauit, & Iuliano exprobrauit. Inter recentiores Iuſtus Lipſius fax hiſtoriæ Romanæ noſtri æui, verſatus

Theodo. l. 11. de cur. Græc. aff.

S. Cyr. Al. l. 6 adu. Iulian.

in

Lipſ. in l. Sen. l. de vita beata. c. 27.

in auctoribus vtriuſque linguæ, prudens atque acer in iudicando; non Eccleſiaſticus, aut Religioſus, ſed maritus, in eo Sympoſio, non amatoria colloquia quæcumque legit, ſed vt ipſe loquitur, παιδεραστικὰ, ſubeſſe nare guſtuque perſenſit. Ex his lectores iuniores intelligent, quàm parum horum geminorum philoſophorum vita, cum oratione concordaret; quod ſine gratia Dei, virtutum ſe magiſtros, ac iuuentutis educatores profiterentur. Præterea ſuſpectam habeant, periculoſam & peſtilentem eorum doctrinam de Philocalia, traditam potiſſimum in Sympoſio, & Phædro: neque eorum dialogorum lectione delectentur, quæ plus nocitura eſt, quam profutura pergentibus ad Chriſtianam religioſamque perfectionem. Denique illi, quibus aliquando excidit ex ore Platonicus amor, ad defenſionem amicitiæ ſingularis, intelligant eam excuſationem, non modo friuolam ac futilem eſſe, ſed etiam propter turpitudinem ſub honeſto, ſeu potius ſub ambiguo vocabulo latitantem, à vita ſpirituali, moribuſque religioſis alieniſsimam.

III. *Excuſatio. Bona intentio tollit periculi metum.*

38 TErtia excuſatio eſt. Videor mihi ſtabilis in gratia Dei; bonam intentionem habeo; nihil periculi mihi metuo. Imperitorum vitæ ſpiritualis hæc oratio eſt. Gratia Dei, qua gloriaris, perdi poteſt, quemadmodum eam multi monachi, vel miraculorum effectores, in cauti perdiderunt. Bona intentio non eſt ſatis, cum bona facta deſunt; præſertim ſi ſis in periculo conſtitutus. Quòd nihil periculi te timere aſſeras, imprudenter & imperite loqueris; atque hæc ipſa

tua

tua confidentia te conijcit in periculum: quoniã à Salomone beatus prædicatur, non qui confidit in virtute ſua, ſed *Qui ſemper eſt pauidus*. Dilemmate placet agere cum eo, qui talis defenſionis clypeo tuetur errorem ſuum. Aut nouit periculum ab huiuſmodi amicitijs & familiaritatibus impendens; aut ignorat. Si nouit, vel caſu proprio doctus, vel alieno; ſi proprio caſu didicit, cur iterum in periculum irruit? An excidit decantatum prouerbium à Spiritu ſancto dictatum, *Et qui amat periculum, in illo peribit*? Peribit autem, non ſolum tum, cum labetur in periculum, cui ſe obiecit; ſed etiam cum temere ſe periculo prolapſionis exponet, quamuis non cadat; quia temeraria expoſitio & obiectio, peccatum eſt. Hinc S. Iſidorus: *Neque diu tutus eſſe poterit, qui periculo proximus fuerit*. Mandet hic menti monitum S. Cypriani: *Vtilius eſt, vt infirmum ſe homo cognoſcat, vt fortis exiſtat, quàm fortis videri velit, & infirmus emergat. De qua re præſumptores obiurgat Apoſtolus dicens; Si quis putat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ſe ipſum implanat. Ille autem tutus ſibi conſulit, qui circa malos ſemper infidus, ſpecies quaſcumque noxias extimeſcit*. Doctum vero alieno periculo idem Cyprianus acriter caſtigat his verbis: *Nimium præceps eſt, qui tranſire contendit, vbi alium conſpexit cecidiſſe: & vehementer infrenis eſt, cui non incutitur timor, alio pereunte*. Si lapſus & pericula ex hiſce ſodalitatibus ſe ignorare dicet, huic ego clamo, prædico, antedenuntio, vt ſibi caueat; vt ex ijs ſe proripiat; vt ſe recipiat in tutum, quia pericula & prolapſiones breui non cogitantẽ excipient. Deplorat B. Laurentius hunc incautorũ caſũ his verbis: *O quot ſub ſpecie charitatis ſeducuntur, & ſeducunt? O quanti ſimulata pereunt*

Prou. 28. 14.

Eccli. 3. 27.

Tr. de cura min. n. 49. 64.

S. Iſid. l. 3. ſent. c. 17. n. 2.

S. Cypr. l. de ſingul. cler.

B. Laur. l. de diſc. & perf. & c. c. 22.

dilectione? Heu quàm multi in principio pure, & ſine deceptione conuerſantes, & nimia familiaritate paulatim infecti, in immane præcipitium dilapſi ſunt; eò miſerabilius, quo fœdius? Sub vera charitatis nãque prætextu in tales ſubintrat amor ſenſualitatis. Aliter enim nequaquam decipi poſſent. Ex hac doctrina duas periculorum cauſas eruimus ad cautionem noſtram: Affectum, & Dæmonem. Affectus, ſiue carnalem nomines, ſiue naturalem, honeſtiore vocabulo appelles, quo conciliari diximus has amicitias, & in eis regnare; ſuapte naturá periculoſus eſt adeo, vt in peſtiferum ſenſualem ſæpe degeneret, vt B. Laurentius expreſſit. Confirmat Caſſiodorus agens de illo affectu, qui ex habitudine externa concipit dilectionem: *Primus affectus*, inquit, *dulcis eſt, ſed periculoſus.* Et poſtea capite integro demõſtrat plerumq. vnum affectum in alterum vitioſiorem mutari. Producit viri ſancti ac virginis admodum piæ dilectionem honeſtam, interuentu blandæ familiaritatis, in pernicioſum affectum corruiſſe. Poſt hæc addit in rem noſtram: *Audiuimus quoſdam ſummæ perfectionis, & probatiſſimæ opinionis, qui dum adoleſcentes pudicos, & omni virtute conſpicuos, in vlteriorem familiaritatem, virtutis amore, & rationis intuitu admiſiſſent, officioſa ſedulitate circa eos exhibita, cœpit rationalis affectus degenerare in aliũ; prius in officialem, poſtea in carnalem deprauatum affectum. Et qui prius ſecundum rationis arbitrium, modum dilectionis ordinauerat, captus in oculis ſuis, ſemper in huius aſpectu, licet carnali, vel tranſitorio, motu illicito titillabat.* Tollit effugium ſanctitatis, & incutit metum cum ait: *Conſultius eſt ergo vt inſpecta ætate, vel ſexu, ſinus propria mentis prouida circumſpectione claudatur; ne ad verba familiaritatis, & inania blandimenta permittatur diffluere.*

Caſſiod. l. de amic. ſ. ſimilitudines. Id. ſ. Qd affectus vnus &c.

Nam in quantumlibet perfectis & ſanctis, vnus affe-ctus in alium, ſubito, inſenſibiliter, atque tam perni-cioſe, quàm prodigioſe mutatur. Petrus Bleſenſis cor-roborat auctoritate ſua poſitionem eandem: *Ami-citia ſequens vagæ affectionis impetum, illicita indiſcre-te raptatur; nec modum tenens, nec ſeruiens honeſtati, ſed ſpiritu vertiginis ducitur.* S. Bonauentura & B. Dauid ſunt in eadem ſententia, denuntiantes cō-muniter viuentibus: *Sæpe mutatur amor, qui pri-mo bonus & ſpiritualis videbatur, cum diſcretionis & ſobrietatis modos exceſſerit, in carnalē.* S. Antoninus de varijs amoris affectibus diſputans monet, natu-ralem, parentalem, ſocialem, & his ſimiles, ni-ſi regantur à Spiritu ſancto, deſinere in carnales, & malas euadere cupiditates. Iacobus Aluarus experientiſſimus magiſter ſpiritualis, trahens in rem præſentem verbum Apoſtoli: *Sic ſtulti eſtis, vt cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini?* Subſcribit antiquioribus magiſtris per hæc ver-ba: *Quod ſpiritu cœpit, aut verius loquens, cœpiſ-ſe videtur; caro, id eſt diſtractio, & ambitio, & loqua-citas, & ſcandalum perficit. Quid timeo dicere? Et interdum caro ipſa, nimirum carnalis amor, & im-pudica affectio conſummat.* Atque his aſſentitur Ca-rolus Scribanus in ſuo medico religioſo, quem vi-dere operæpretium eſt. Ratio præcipua huius mu-tationis affectus, ſiue vt melius loquar, peruerſio-nis & deprauationis, eſt naturæ procliuitas ad malum in virtutis ac vitij ſimilitudine, quæ ma-gna eſt, & decipit incautos, vt in tractatu de ne-ceſſitate magiſtri ſpiritualis probatum eſt. Quo facile fit, vt qui incipit diligere proximum prop-ter Deum, poſtmodum illum diligat propter ip-ſum: exinde commutet amorem amicitiæ in amo-rem concupiſcentiæ, qui non vtilitatem ſpectat, amati, ſed amantis. Nonnumquam labitur ad

Pet. Bleſ. l. de amicit. c. 4.

S. Bon. & B. Dauid tr. de 7. pro ceſſ. p. 6. c. 15.

S. Anton. p. 1. tit. 6. c. 2.

Iac. Alu. t. 1. l. 5. c. 26.

Gal. 3. 3.

Car. Scrib. l. 3. med. re lig. c. 17.

Tr. 1. n. 24.

amanda ornamenta proximi, pro perſona, quæ ſunt ſenſibus obuia. Qua propter S. Baſilius tam multis præmonebat virginem Deo conſecrandã, ne cæleſtis amorem ſponſi transferret in famulos & miniſtros ſponſi, quos res creatas, & in primis homines eſſe dicebat. Altera periculi cauſa eſt Dæmonis aſtus; qui Religioſos incautos viroſq. ſpirituales inconſideratos, cum in omnibus vitæ partibus & actionibus, tum potiſſimum in amicitijs cõtrahendis & conſeruandis, decipit ſpecie recti, ac ſimulatione virtutis. In vniuerſum eſt axioma ſpiritualium magiſtrorum, quod Caſſianus deducit è libro prouerbiorum iuxta lxx. *Malignus nocet, cum ſe commiſcuerit iuſto*. Ideſt, inquit Caſſianus: *Diabolus decipit cum fuerit colore ſanctitatis obtectus*. Speciatim in re nunc diſputata, decipiuntur ab eo Religioſi & alij ſpecie charitatis fraternæ; cuius tenuiſſima vmbra eſt peculiaris amicitia. S. Baſilius dehortans iuniores ab nimia familiaritate æqualium, propter periculum ex inſidijs Dæmonum, aſtruit dictum meum: *Ac ſpiritualis videlicet primo charitatis quadam vana ſpecie illectos, in teterrimam poſtea Pentapolitanorum voraginem præcipites deturbauit*. Ioannes Climacus, impurum illum duorum amorem, quem ſuperius narraui, ad fraudem Dæmonis refert. S. Bonauentura & B. Dauid hanc mutationem dilectionis in amorem impurum, à Dæmone arbitrantur eſſe, cum dicunt: *Aſtutus Diabolus primo occultat tẽtationis laqueum, donec amor increſcat & tenax fiat, ſicut & viſcus, quo capiuntur auiculæ: vt cum ſibi conglutinati fuerint inſeparabili amore, improuidos ſimul in inguine concupiſcentiæ carnalis mucrone trãſfodiat*. Et alia in eandem ſententiam.

[Margin: S. Baſ.l. de vera Virg. — Caſſ. coll. 1. c. 20. Prou. 11. iux. 70. — S. Baſ. tr. de abdic. rer. — Sup. n. 23. — S. Bon. & Dauid. tr. de 7. proceſſ. p. 6. c. 15.]

IV. Ex-

IV. Excuſatio. Parui momenti res eſt adeo, vt ob eam non ſint excitandæ tragœdiæ.

39 QVARTA excuſatio eſt, Rem eſſe parui momenti, affectum erga vnum duosue ſodales peculiarem: non tanti faciendum, vt ſit à moderatoribus excandeſcendum, ſi non illico remittatur. Scilicet parui momenti eſt id, quod tot ſanctis patribus, & peritiſſimis magiſtris perfectionis, magnum quiddam ac formidoloſum ſemper eſt viſum. Sed demus affectum tuum, quo peculiariter Fratrem diligis, non admodum incenſum eſſe, ſed remiſſum: eſto nullum apparere noxæ periculum: numquid non te retardabit à perfectione? Eſt ne adeo moderatus, vt ſit virtus, an modum excedit? Si virtus eſt, non amicum illum ſingularem plus amas, quàm ceteros ſodales: cum omnes æqualiter diligendi ſint, ordine ſeruato fraternæ charitatis. Si modum excedit, tametſi modice ac parum, adhuc tamen iure dici poteſt immoderatus, & vere talis eſt: proinde vitioſus adeo, vt te currentem in via perfectionis, ſi non reuocat, aut penitus ſuſtinet, aut per interualla remoratur, certe lentiorem tardioremque in progrediendo facit. Reiecta eſt hęc excuſatio ſuperius, cum recenſui damna, qnæ priuatis hæ ſodalitates afferũt; inter quæ non leue eſt retardatio perfectionis. In tractatu de cura minimorum ad perfectionem neceſſaria, quæ nuper eſt editus, quæ ſcripſi ad probandũ leuibus culpis retardari currentes ad brauium perfectionis, valent plurimum ad depulſionem huius infirmæ defenſionis. Produxi veterum

Sup. n. 25.

Tr. de cura minim. n. 49. & 58.

patrum auctoritatem. Attuli S. Ephræmi & Dorothei ſimilitudines Aquilæ ac Leonis valentiſſimarũ beſtiarũ, quæ ſerico filo capilloue illigatę detinentur. Adieci ex Baſilio & Ambr. naues ingentes ab Echeneide paruo piſciculo; ex Caſſiodoro à concha maris Indici, currentes in medijs fluctibus ſiſti. Addidi ex meo ſenſu, ſubtili bacillo per alterutras rotas immiſſo, currum è monte decurrentem ſufflaminari ac ſuſtineri ab impetu, quo rapitur. Quod in animo properante ad perfectionem euenit per minus moderatum affectũ ad res creatas, & culpas leuiores. Recurrat lector his amicitijs implicitus ad eum locum; quem ſi tædet huius tarditatis & moræ, frangat viriliter hæc retinacula; extrudat ſufflamen, quod intercedere ſentit curſui ſuo; deponat ſingularem amorem creatæ rei, qui tantopere illi nocuit.

S. Dorot. ſer. 21. *Nam is* (inquit Sanctus Dorotheus de hoc genere amiculorum) *qui magis obeſſe ſolet, quàm prodeſſe, omnino non eſt diligendus, neque appetendus.* Conradus magiſter ſpiritualis S. Eliſabethæ filiæ regis Hungariæ, ſuſtulit illi hoc tranſuerſum ſufflamen, exiguum licet, vt celerius pergeret ad perfectionem. Præſtat audire verba Iacobi Montani ſcriptoris vitæ, apud Laurentium Surium:

Sur. 19. Nouem. c. 21. vitæ. *Cernens igitur prudens magiſter, toto illam niſu, per pietatis opera ad celſitudinem ſanctæ perfectionis contendere; curandum magnopere putauit, nequid huic intentioni, vel abeſſet vtile, vel adeſſet inutile. Proinde expendens quanto ſit impedimento ſpirituali vitæ, priuata erga familiares & amicos affectio, duas illi comites, Iſintrudem & Gutam, quarum præter ceteras ſingulari tenebatur amore, quamprimum ademit.*

S. Hier. ep. 7. ad Lætam. Et ſane non fuit in hac re ſeuerior B. Hieronymo, qui Lætæ filiam ad perfectionem inſtituens, præſcripſit idem: *Nolo*, inquit, *de ancillulis ſuis aliquã*

plus

plus diligat, cuius crebro auribus inſuſurret. Paulo poſt idem Iacobus vtilitatem ſeparationis demonſtrans, ait: *Gemina familiaritatis deſtituta ſolatio; & quidem gratiſſimo, velut aggeris obiectu præpeditum vndique flumen altius excreſcit, diſcitque ſuperne depoſcere, quidquid minus infra conſequi permittebatur.* En vides, lector, familiarium amorem ſanctæ feminæ impedimento fuiſſe in curriculo perfectionis.

V. Excuſatio. Tutus in conſcientia non curo ſuſpiciones.

40 QVINTA excuſatio naſcens ex Superiore ac tacite reſpondens obiectantibus offenſionem communitatis & ſcandalum, de quo ſuperius egimus, hæc eſſe conſueuit. Non mihi eſt curæ, quid alij ſuſpicentur, quidue dictitent mirabundi; modo ſalua maneat atque incontaminata conſcientia. Qui hæc loquitur, nequaquam meminit grauiſſimam Saluatoris comminationem apud Matthæum: *Qui autem ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Et poſt: *Væ homini illi: per quem ſcandalum venit.* Oblitus eſt doctrinæ Pauli præcipientis: *Prouidentes bona, non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.* Et ad Philippenſes: *Non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed quæ aliorum.* Et ad Corinthios: *Sine offenſione eſtote Iudæis, & Gentibus, & Eccleſiæ Dei; ſicut & ego per omnia, omnibus placeo.* Non habent hi ſpiritum S. Bernardi, qui ad Abbatem Carnotenſem ſcribebat: *Libenter carebo quantolibet etiam ſpirituali quæſtu, qui non poſſit acquiri, niſi cum ſcandalo.*

Supr. n. 19. Matt. 18. 6. 7. Rom. 12. 17. Philip. 2. 4. 1. Cor. 10. 32. S. Ber. ep. 82. ad Abbat. Carno

S 4 *Vbi*

Vbi enim ſcandalum, ibi proculdubio charitatis eſt detrimentum. Nec valet effugium dicentium, non hinc oriri ſcandalum, aut offenſionem; ſed ad ſummum admirationem, aut ſuſpiciones; quæ ſunt affectiones animi leuiores. Non inquam valet: quoniam magiſtri ſine ſcandalo plerumque

Sup. n. 19. eſſe non poſſe definiunt, vt ſupra ipſorum verbis demonſtratum eſt. Itaque non modo Bernardi ſpiritus hic eſt, ſed communis ſanctorum monachorum ſpiritualis ſenſus & zelus. Atque in primis eorum iuuenum, de quibus in noſtrum exem-

Clim. gr. 26. plum Climacus hęc narrat: *Vidi enim iuuenes ſe inuicem caſtiſſimo amore, ac ſecundum Deum diligentes: qui tamen dum alienorum conſcientiam inde lædi conſpicerent, conuenit inter eos, vt ſe ab inuicem, ad tempus elongarent*. Talis quoque prudentia ſpiritualis Beati Aegidij Minoritę, qui pecu-

Vita B. Aegid. §. nobilis. Sur. t. 7. 23. Apr. liarem familiaritatem exercere noluit cum viro nobili Ordinem Minorem ingreſſo, cum quo magna illi conſuetudo interceſſerat in ſæculo; cum ob alias rationes, tum potiſſimum, quòd iam ambo vnius eiuſdemque familię eſſent, vnique Domino pariter famularentur, nec ille iam ſub cura Maiorum conſtitutus egeret æqualis fratris directione; nec fas eſſet in aliorum cœtu ſingularem familiaritatem oſtendere, aut exhibere. Neque vero hæc ſeparatio vitandæ offenſionis gratia, minuit charitatem; ſed potius auget, quia tollit vm-

S. Cypr. l. de ſingul. cler. bram & ſuſpicionem; vt ſapienter S. Cyprianus ait de coniugibus poſt votum caſtitatis perpetuæ ſegregatis: *Hi pro certo ſeſe inſeparabiliter diligunt; qui, vt triumphos ſibi inferant, à ſeipſis diſcedunt*. Atqui hoc monitum de offenſione vitanda, non modo iuuenibus conuenit, ſed etiam, & multo maxime ſenioribus: qui pro auctoritate, annis &

rebus

rebus geſtis comparata, plus Ordini nocent exemplo malo, quàm iuuenes: ac pro virtute, quam maiorem profitentur, plus exemplo bono prodeſſe debent, quàm adoleſcentes. Aperiant ſenes aures magiſtro Cypriano, ſic illis inclamanti: *Et quidem hoc non iuuenibus tantum, ſed & ſenibus congruit fratrum imbecillitati conſulere; ne ſenectus perire prouocet iuuentutem; ex qua debent omnia ſalutaria documenta procedere, ſicut Eleazarus in libro Machabaeorum profitetur.* Subſcribit verba viri ſanctiſſimi Eleazari, qui mori maluit, quàm iunioribus eſſe ſcandalo, & imprimere maculam ſuæ ſenectuti. Rationem itaque habuit, & ſalutis aliorum, & ſuæ famæ, non tantum cõſcientiæ; quod ſenes omnes in familijs, tum ſæcularium, tum Religioſorum facere debent. Qua de re, optime idem Cyprianus: *Suſpicioſis tamen malam porrigit famam, & pudicitia bonum fruſtra intrinſecus laborioſo agone cuſtodit, quod forinſecus efficit infamari, deſtruens magiſterium Pauli prouidentis pariter & monentis, vt quid, inquit, libertas mea iudicatur ab infideli conſcientia?*

Id. l. cit.

2. Machab 6. 24.

S. Cypr. l. cit.

1. Cor. 10. 19.

VI. Excuſatio. Ioannes peculiariter dilectus à Chriſto.

41 Excuſatio ſexta prætendit exemplum Saluatoris, qui Ioannem Euangeliſtam videtur peculiariter dilexiſſe. Nihil hoc exemplum illis patrocinatur, vt ex depulſionibus huius defenſionis apparebit. Prima depulſio. Indecorũ eſt valde, atque vt ego reor, iniurioſum Chriſto, ſanctiſſimam eius caſtiſſimamq. dilectionem, qua, vt pater filium, proſequebatur Ioannem, trahere in exemplum amicitiarum; quæ, quòd a culpa defĕdi ne-

nequeunt ob nimiam familiaritatem, pericula, ſcandalum, & alia, quæ ſuperius dicta & probata ſunt, ab omnibus patribus & magiſtris condemnantur. Præſertim cum, *Quod alicui gratioſe conceditur, trahi non debet alijs in exemplum*, vt iura præſcribunt. D. Ioanne ait Eccleſia, *Qui priuilegio amoris præcipui, meruit altius honorari*: cur tu audeas exemplo Saluatoris ſingulariter quempiã amare, vt æquetur Ioanni? Secunda depulſio. Vis argumentationis eluditur, ſi negetur vſquam in Euangelio reperiri, Ioannem pluſquam ceteros condiſcipulos fuiſſe dilectum. Solummodo ipſe de ſe dicit quinquies, *Quem diligebat Ieſus*. Non dixit, *Plus quàm ceteros*, vt recte obſeruat Sebaſtianus Barradas. Nam & Petrum amauit adeo, vt nondum Theologi definierint, vtrum plus amauerit Ioannem, an Petrum, quamuis hac de controuerſia quæſtionem inſtituerint. Habebat peculiares rationes plus amandi Petrum, quàm alios. Omnibus denique ſuam beneuolentiam exhibebat amantiſſimus magiſter & ſapientiſſimus adeo, vt quilibet dicere potuiſſet de ſe, *Quem diligebat Ieſus*. Tertia depulſio. Demus Ioannem præceteris fuiſſe dilectum; quoniam id ſentire S. Auguſtinum aliosque veteres patres docet idem Sebaſtianus; & hic videtur Eccleſiæ quoque ſenſus, cum ait *Ampliori dilectione* factum eſſe dignũ à ſpeciali prærogatiua caſtitatis. Hoc poſito, dixerim cum S. Thoma, Cardinali Toleto, & Ioanne Maldonato, magis dilectũ dici à Chriſto, quia plura, quàm alijs exhibuit ei ſigna familiaritatis, ob cauſas diuinæ ſapientiæ cognitas: cuiuſmodi ſunt, recumbere ſuper pectus magiſtri, quod refert Ioannes ſtatim atque ſe dilectum nominauerat: interrogare pro Petro Saluatorem in cœna, quis eſſet proditor: ſuſcipere matrem illi commen-

C. quod alicui. de reg. iur. l. 6

Io. 13. 24.

Barrad. t. 4 l. 2. c. 12.

S. Th. lect. 5. in Io. 21. Tolet. Io. 13. ann. 23 Mald. pro. in Io.

mendatam in ſua. Quarta depulſio. Si quis vrgeat cum alijs doctoribus dilectionem hanc fuiſſe maiorem, non ſolum in ſignis, ſed etiam in re: tunc reſpondeo, non prodeſſe harum amicitiarū cultoribus, neque in exemplum adduci poſſe; quoniam valde diuerſa ratio eſt. Primum Saluatoris hæc maior dilectio erga Ioannem, fuit ex radice veræ charitatis, vt ſpeciatim Vmbertus docet, proinde perfecta numeris omnibus ac ſancta. Vmb. c. 158. in reg Verum horū peculiaris amor naſcitur ex affectu, S. Aug. & aduerſatur, vt probatum eſt, fraternæ charitati. Deinde, quamuis propinquus eſſet ſanguine Ioanni Chriſtus, tamen dilectionis maioris incentiuum non fuit conſanguinitas. Euentus probauit: cum nec primariam ſedem illi promiſit in regno; nec vicariam tradidit poteſtatem, Eccleſiæ toti præficiens. At in his damnatis ſodalitatibus, ſæpe conſanguinitas & patria communis, eſt amicitiæ conciliatrix. Tertio inter hos amicos excitat ſingularem amorem, non virtus vera, ſed flos ætatis, ingenium, nobilitas, dicacitas, lepos, & alia ornamenta extrinſeca. Sed in Chriſto prouocauit vehementiorem dilectionem erga Ioannem virtus vera, vt Euthymius & alij aſſerunt, S. Hier. l. 1. adu. Ioui. quam poſt S. Hieronymum communiter ad puritatem, caſtitatem, virginitatem reuocant. Et Eccleſia propendet cum ait: *Specialis prærogatiua caſtitatis ampliori dilectione fecerat dignum.* Quo facto ſeruauit ordinem charitatis, diligendo plus qui plus diligi merebatur. Quēadmodū tradit S. S. Amb. l. de Ioſeph. c. 2. Ambroſius feciſſe Iacob patriarchā erga Ioſephū filium, *Nec libertatem*, inquit, *poſſumus auferre parentibus, ne eos plus diligant, quos plus credunt mereri:* Et poſt: *Iacob illum plus amabat, in quo maiora virtutum inſignia prauidebat.* Quarto hæc maior dilectio Saluatoris nullam peperit admirationem

aut

aut offenſionem; nullas ſuſpiciones, aut murmurationes: quamuis ipſo Ioannes id prędicaret, vt Maldonatus notauit. Ideo nuſquam legimus cōdiſcipulos hunc peculiarem amorē ęgre tuliſſe; qui tamen ambitioſam petitionem cum indignatione audierunt. Ceterum in peculiaribus amicitijs, quas eliminare conor è cœnobijs, hæc omnia mala ſentiuntur, quæ ſæpe in ſcandalum vſque perueniunt. Si quid ergo trahendum eſt in exemplum, vt recte monuit Aluarus noſter, hoc eſt trahendum; vt qui maiori virtute pręditi ſunt, in dilectione anteponantur. Claudere hoc caput, vtiliſſimum duco, verbis eiuſdem de Chriſti iuſtiſſima dilectione diſſerētis. *Quā ſi omnes ad amuſſim cuſtodirent: & meliores ac digniores vehemētius ſuſpicerēt, amplius honorarent; & locū ambitioni & prehenſationibus nō prębērēt; melius regeretur Eccleſia Dei, & qualibet religioſa familia pulchriore colore fulgeret. At numquam Saluator noſter docuit vanas amicitias colere, cum adoleſcentulo, aut nobili, aut otioſo & vaniloquo intempeſtiue conuerſari: iſtum diligere, iſtum efferre, iſtum melioribus praponere, & eum ſolum reliquis contemptis, ſanctum, ſapientem, & ad omnia, qua honoris nomine occurrunt, aptum pradicare, & idoneum habere.*

Iac. Alu. t. 2. l. 5. c. 26.

Plura legantur apud ipſum.

Id. l. 3. c. 36

†

CAP.

CAP. VI. Indicia latentis amicitiæ pernicioſa pro ſuperioribus ac ſubditis deprehendenda.

42 EXCVSATIONIBVS hoc modo reiectis, ordo diſputationis caput ſextum exigit, quo indicentur, ſiue argumenta, ſiue indicia, quibus amicitia pernicioſa, quæ latere ſtudet, deprehendatur, vel à Superioribus ad eam comprimendam, vel à ſubditis ad eam fugiendam. In quatuor particulas caput ſecabitur. In prima explicabuntur cauſæ, quæ difficilem reddunt harum amicitiarum deprehenſionem. In ſecunda ſuggerentur monita Superioribus. Tertia dabit ijſdem indicia. Quarta ſubditis exhibitura eſt pariter indicia, quorum auxilio ſe poſſint ab his retibus extricare, ſi forte ijs eſſent inuoluti.

Part. I. Cauſæ difficultatis amicitiarum deprehendendarum.

43 GAlenus in operis inſcriptione de cognoſcendis & curandis animi morbis, cognitionem curationi antepoſuit, vt quiſq. intelligeret ad morborum curationem eſſe neceſſariam, tum eorum, tum cauſarum cognitionem. Hoc; vt in corporum, ita & in animorum morbis ac medicina nullo modo eſt negligendum; quemadmodum in epiſtola præfixa commentarijs aſceticis ad magiſtros nouitiorum, alioſque patres ſpirituales probatum eſt auctoritate Caſſiani, Chryſoſtomi, Gregorij Nyſſeni & Valeriani. Quapropter ad huius etiã morbi ſanationem, cui paro medicinã, præmittenda eſt cognitio, & accurate tradenda & inueſtiganda; quoniam latens eſt morbus, Epiſt. ad mag. n. 12.

plu-

plurimum, & occultus quàm qui maxime. Harũ latebrarum & tenebrarum in hoc morbo ſpirituali, tres cauſas è doctrina magiſtrorum eſſe reperio. Prima eſt; quia, qui ſunt in hoc morbo, plus laborant in tegendo ac nutriendo, quàm multi Superiores ac magiſtri in deprehendendo ac depellendo. Repetat memoria lector, in definitione damnabilium amicitiarum dictum eſſe per coniurationem clandeſtinam eas conflari: poſteaque oſtenſum eſſe, quantopere latebris & occulto delectentur ij, qui vinculis earum obſtringuntur. Pharmacum paratum in libro induſtriarum à Claudio Aquauiua, ijs corde profundis, qui ſe nec magiſtro, nec Superiori aperiunt, vt curentur, ſi quibus propinandum eſt, ijs maxime ſcilicet eſt exhibendũ; & vero etiam per vim ſuauem infundendum, qui hoc vitio correpti clàm langueſcunt. Secunda cauſa, cur ſit cognitu difficillimus hic morbus eſt, quia ſub genere vitiorum continetur: quorum natura eſt, vt ſæpiſſime pallio ac ſpecie virtutum ſe tegant, quarum finitima ſunt; & oculos hebetes quorumdam magiſtrorum fallant. Philoſophorum ac veterum patrum multis productis teſtimonijs, in tractatu aſcetico de neceſſitate magiſtri ſpiritualis docui, quantum nos decipiant vitia vicinitate ac ſimulatione virtutum; quò lectorem mitto. Dixerim hoc loco, peculiarem ſodalitetem, quæ in vitio eſt, amicitiæ veræ ſimilem eſſe: proinde ſingularis amor ſodalium mentitur diuinam charitatem proximorum; & philocalia ſimulat philadelphiam. Magiſtrum habemus Baſilium in hac re: qui doctrinam vniuerſalem traditam de vicinitate atque affinitate vitiorum ac virtutum, quæ decipit incautos, illuſtrans exẽplis, ſpeciatim ait in rem noſtram: *Ita & qui charitatis*

Sup. n. 2. & 7.

Cl. Aquau. l. induſtr. c. 9.

Tr. 1. n. 24 & ſeq.

S. Baſ. l. de virgin.

tis pulchritudinem ſequuntur, eos falſo dilectionis nomine, vel ad voluptates corporis, vitamque cunctis execrabilem deijcit, vel eiuſce probra & opprobria pertimeſcentes, odiſſe Fratres, & abſque vlla boni ſenſu perſiſtere facit. Et quoniam S. Bernardus, vitia, quæ ſe chlamyde aurea virtutum obtegunt, ſimillima putat vulpeculis, aſtutiſſimis beſtiolis demolientibus vineas; ideo confidenter ipſe dico: Vulpeculæ ſunt amicitiæ iſtæ: vulpeculæ, qui eas conflant, conciliant, alunt, occultant: vulpeculæ, inquam, aſtutæ, fraudulentæ, totæ mendacijs compoſitæ, vineam Religionis, quantum in eis eſt, demolientes. Addo ego ex meo ſenſu virtutes quidem eſſe veluti veras, pretioſas, ac fulgentes gemmas, quæ animum ſtudioſi perfectionis ornant, & locupletant: vitia vero ſimillima videri mihi gemmis falſis, vitreis, fictitijs; quæ nonniſi à lapidarijs in arte gemmaria peritiſſimis cognoſci poſſint. Obſeruauit autem S. Irenæus ob hanc cauſam difficillimum eſſe, falſas gemmas à veris internoſcere. Similiter hæc ſingularis beneuolentia, ſiue amicitia, tanquam vitrea, fictitia, falſaque gemma, æmulans veram gemmam fraternæ charitatis, efficit cognitionem ſui difficillimam, oculis eorum, qui parum diligentia, rerum vſu, & ſpirituali ſagacitate valent.

S. Ber. ſer. 64. in Cãt.

S. Iren. l. 1. adu. hær. præf.

44 Tertia cauſa, quæ difficilem reddit cognitionem huius peſtis, eſt Dæmon, qui pro more ſuo inueterato, venenum rebus omnibus infundit, ac difficultates prænarratas auget. Primum docet, hortatur, iuuat cultores amicitiarum ad occultandum affectum, congreſſus, familiaritatem, remq. totam illis, qui morbum curare poſſunt. Hoc illi ſolemne eſt adeo, vt omnium ſæculorum magiſtri ſpirituales, non aliud plus commendent atq.

inge-

ingerant ad reſiſtendum Dæmoni, & vero etiam ad eumdem oppugnandum fugandumque à cordibus noſtris, quàm vt pectora noſtra ſpirituali Patri aperiamus, optemuſque eum omnium noſtrorum conſiliorum, arcanorum, & optatorum eſſe conſcium. Aduerſarius contra noſter totus in eo eſt, vt cor & os claudamus. Ille docet & ſuadet monitum Manichæorum:

Baro. t. 12. an. 1147.

Iura, periura, ſecretum prodere noli.

Ille lucis oſor, tenebrarum amator, quia male agit, cum in rebus omnibus, tum vero in damnatis amicitijs colendis, quà ſuggerendo, quà inſinuādo, quà cohortando iuniores incautos ad ſilentiū (quod ab Heliodoro epiſcopo ſapienter dictum eſt *Morborum alimentum*) atque ad occultandum malum inducit. Auget item ſecundam cauſam difficultatis Dæmon, adulterans ipſe magna ex parte, ſiue docendo, ſiue ſuadendo virtutum gemmas fuco vitiorum; & ſpeciatim inaurans amorē carnalem ſimulatione fraternæ charitatis. Declarat id S. Gregorius multis exemplis & verbis, quorum hæc ſumma eſt: *Antiquus hoſtis, quo in eis* (vitijs) *fortiter deprehendi ſe conſpicit, eo illa, ſub virtutum imagine altius abſcondit.* Ars tota, & labor illius eo dirigitur, vt ne vitium, eſſe vitium cognoſcatur. Quapropter conatur quoque magiſtros fallere, ne diſtinguant falſam, vilem, vitioſam amicitiam, à vera, ſincera, ſancta charitate, cuius ſplendore ac ſpecie coloratam illam tectáq. obiecit. In vniuerſum de hac fraude, per quam inijcit caliginem oculis magiſtrorū, S. Ephrem: *Honeſtatis oſor*, inquit, *nos tentans res confundit, ne mentis imperio diſtingui poſſit inter bonum & malum.* Quapropter magiſtros oportet habere oculos acutos ac perſpicaces; eoſque aperire atque in excubijs quodammodo collocare. Cognoſcitur ex hacte-

Heliod. l. 4 Aethiopic

S. Greg. l. 3 mor. c. 19. al. 24.

S. Ephr. t. 1 ſer. de non ſuſcip. reb. mom.

hactenus diſputatis, quo maior eſt virtutis ſimulatio (vt in re noſtra contingit, in qua carnalis amor, charitatis purpura velatur) eo vitium, non ſolum cognitu; ſed etiam, quia difficulter cognoſcitur, eſſe curatu difficilius. In philoſophia L. Seneca: *Omnia vitia in aperto leuiora ſunt: morbi quoque tunc ad ſanitatem inclinant, cum ex abdito erumpunt, ac vim ſuam proferunt. Et auaritiam itaque, & ambitionem, & cetera mala mentis humanę, tunc perniciosiſſima ſcias eſſe, cum ſimulata ſanitate ſubſidunt.* In diſciplina ſpirituali Caſſianus: *Perniciosiora, & a remedijs longinquiora ſunt vitia, quæ ſub ſpecie virtutum, & imagine ſpiritualium rerum videntur emergere, quàm illa, quæ ex aperto, pro carnali voluptate gignuntur. Hæc enim velut palam expoſiti ac manifeſti languores, & arguuntur cominus, & ſanantur: illa vero dum ſub prætextu virtutum teguntur, incurata perdurant, & deceptos quoſque periculoſius faciunt, ac deſperatius ægrotare.* Similia docet in libro de cenodoxia, quæ breuitati ſtudens prætermitto. S. Gregorius explanans illud Ezechielis: *Vbi erat impetus ſpiritus &c.* primum explicat, quid ſit impetus ſpiritus, & impetus carnis: deinde ait. *Plerumque impetus carnis, ſe ſub velamine ſpiritalis impetus palliat, & quod carnaliter facit, mentitur ſibi ipſa cogitatio, quia hoc ſpiritaliter faciat.* De perniciosis amicitijs videtur locutus; in quas incautos homines trudit ſpiritus carnis, ſimulans & mentiens impetum ſpiritualem charitatis. Tum ſubdit de difficultate curationis, ex grauitate morbi maiore: *Grauiores culpæ ſunt, quæ ſuperducta ſpecie, virtutes imitantur: quia illæ in aperto cognitæ, animum in confuſionem deijciunt, atque ad pœnitentiam trahunt: iſtæ vero non ſolum in pęnitentiam non*

L. Sen. ep. 56.

Caſſ. coll. 4 c. 20.

S. Greg. ho 5. in Ezech. 1. 12.

humiliant; ſed etiam mentem operantis eleuant, dũ virtutes putantur. Volui de hac difficultate cognitionis & curationis horum morborum, qui teguntur ementita ſanctitate, monere magiſtros & curatores animorum, vt vires colligant, intendant animum, conatuſque omnes exerant ad cognitionem peſtilentiæ, ſanitatem ægrotorum, & cœnobiorum purgationem. Et quidem ad comparandam ſibi neceſſariam hanc morbi cognitionem, duo monita præbeo magiſtris & educatoribus ſeminariorum cuiuſcumq. generis.

Part. II. Monita pro ſuperioribus.

45 PRIMVM monitum eſt, vt magiſtri iuniorum potiſſimum, & rectores educatoreſque ſeminariorum, in quibus adoleſcentes ſiue religioſi, ſiue clerici, ſiue laici educantur, quotidie, aut certe diebus alternis, remotis arbitris, ſecum ipſi & coram Deo, & cum Deo, accurate, ſtudioſeque conſiderent, quomodo ſubditi, quos ſuæ curæ commiſſos habent, ſpiritu virtutibuſque proficiant; quid impedimenti, quid diſtractionis habeant; quo ſpirituali morbo ille, quo hic laboret; quo remedio iuuari poſſit, & ſimilia, quæ ſuperioribus noſtri Ordinis præſcripta, & in praxi vtilia ſunt comperta gubernationi. Sed inſuper conſideret numquid talis morbus per ſuum cœnobiũ ſeminariumve ſerpere incipiat, aut aliquos inuaſerit, aut corruperit: vtaturque indicijs, quæ mox tradam. Plinius ſenior agens de gemmis, tradit adulteratas & factitias deprehendi ſole, cote, pondere. Adulterinum quoque aurum exploratur & cognoſcitur cote, pondere, igne. Opali, quæ gemma primaria eſt verſicolor, experimentum in ſole fieri docet. *Falſis,* inquit, *contra radios libratis digito*

Ord. præp. gen. c. 2. n. 5.

Pl. l. 37. c. 6. 7.

gito à pollice vnus atque idem translucet colos in ſe conſumptus. Veri fulgor ſubinde variat, & plus huc illucque ſpargit; & fulgor lucis in digitos funditur. Ad cotem quoque explorantur, facta collatione ſignorum, ſeu veſtigiorum, quæ relinquunt in cote, quemadmodum aurum. Pondere denique deprehenduntur in aurificis ſtatera. Veræ namque lancem deprimunt. Hæc omnia ſpiritualiter fiunt à magiſtro, ſeu gubernatore in conſideratione, quam ſignificaui, ad explorandam amicitiā, ſitne vera charitas fraterna, an fictitia & ſimulata. Sol Deus eſt, qui mentem illuminat in oratione; & coram quo, charitas vera & ſimulata inter ſe comparantur. Non fundit in digitos fulgorem, quæ falſa eſt: hoc eſt, non cernitur in operibus, ſed in ſe colorem conſumit; quia latet & abditur. Cos eſt doctrina, quæ traditur à magiſtris ſpiritualibus, cuius aliquam particulam in hoc tractatu expreſſi. Regulæ, indicia, & argumenta, quæ traduntur, ducent magiſtrum, ſeu educatorem in cognitionem veritatis. Statera eſt acre judicium in rebus practicis, quod expendit vtrāque; & eam veram eſſe deprehendit, quæ plus pōderis, minus leuitatis habet. Si charitatem veram tibi fingas animo ſimilem auro obrizo; falſam vero amicitiam auro adulterato; erit eadem ratio experimenti per cotem & ſtateram. Igne vero ita probatur aurum, vt adulterinum, aut euaneſcat in fumum, aut minoris ponderis reddatur. Ita fiet in amicitia. Si in igne probationis, pœnitentiæ, ſeceſſus ſpiritualis, (de quo egi tractatu ſexto) qui de adulterina charitate ſuſpecti ſunt, patientes, fortes, bene morati conſtiterint; & in vitæ religioſæ ſuſceptæ voto non nutauerint, amicitia illorum aurum purum putū exiſtimetur. Sin autē ægre ferent coerceri, reprehendi, ſeiungi, puniri,

T 2 ſatis

ſatis indicant ſe minus habere, aurumq; amicitię impurum eſſe, atque ære permiſtum, aut certe plū bum auri bracteolis contectum.

46 Secundum monitum. Vbi cum Deo egerit in attenta conſideratione gubernator educatorq; iuniorum, crebro cum illis amanter agat colloquio priuato. Dulcedo ſermonis, longioris præſertim atque iterati ſæpius, irrepit in animum, eique blandiens penetrat ſecreta pectoris, & arcana producit, vt L. Seneca docuit; arcana, inquam, vel illi, qui celabat, noxia; vel alteri ſodali ſe ſuaque profundo ſilentio comprimenti, cuius quæritur ſalus. Per hanc amantem, crebram, & charitatis plenam collocutionem, conſueuit iuniorum educator, tanquam per hamum expiſcari latentes tentationes, affectiones, conſpirationes: exinde interdum deprehendet priuatū amorem illi, quo cum loquitur, eſſe moleſtum; vel quia ipſe ſe procliuiorem ſentit affectu, quàm deceat, erga quemdam alium: vel quia nimis ab alio diligitur, qui propterea ſæpe reuocat à ſtudio, minus tempeſtiuis horis, etiam renuentem. Hac percepta cognitione Superior applicat aliquod ſalutare remedium ex ijs, quæ prudentia, experientia, doctrina magiſtrorum ſuggeſſerit, & ipſe ſubijciam. Feliciter autem hæc exploratio ſuccedet, ſi præfectus hic tam amabilem ſe ſubditis exhibeat, vt ad eum omnes confugiant, confidenterque omnia ſua detegant, & ab eo cōſolationem & auxilium ſperent in Domino. Iuuerit quoque plurimum educatorem & Superiorem, dexteritas in exigenda ratione conſcientiæ, ſeu ſpiritus, ſeu motuum & affectuum internorum, quæ in vſu eſt aliquibus ordinibus; & præſcribitur à Clemente VIII. in inſtitutione nouitiorum à ſe facta, & à Paulo V. confirmata & edita; vbi appellatur

Reg. rect. 25.

L. Sen. ep. 105.

Infr. n. 51. & ſeq. Præf. ſpir. reg. 1.

Cle. VIII. in inſt. Nouit.

tur *Apertio quotidiana motuum internorum cordis, & tentationem manifeſtatio*. Etenim hæc dexteritas, tamquam obſtetrix, educet è pectore ſubditi colubrum tortuoſum; quia ſincere reſpondebit, & reteget ſingularem affectum, ſi tamen eo fuerit illigatus, & eo morbo liberabitur. Poſſunt autem interrogationes in ea ratione exigenda, eiuſmodi eſſe: An ſentiat aliquas animi perturbationes moleſtas, contra rectam rationem inſurgentes: an ex ſociorum conuerſatione proficiat in Domino: num auerſionem animi ſentiat ab aliquo; & contra, num propenſionem nimiam volũtatis ad aliquem in ſe experiatur. Si blandæ collocutiones, interrogationes opportunæ, congreſſus beneuolétiæ pleni proficiunt nihil; quod iſtas affectiones in profundo cordis, vt in fundo putei nutriant, oſque clauſerint inani aliquo ac pernicioſo iureiurando, vt eſt demonſtratum; recurrendum tunc eſt ad coniecturas; atque ex dictis, factis, ſocijs, totoque vitæ genere conijciendum, Sup.n.6.
quod excuti non potuit ex ore. Sapientiſſime Saluator enuntiauit: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*: Et: *Siquidem ex fructu arbor cognoſcitur*. Quãquam in hac arte coniecturali diligentiſſimos atque acutiſſimos eſſe oportet educatores adoleſcentium: quoniam eorum ætas vitæq; ratio, eſt adeo varia & latebroſa, vt cognitu difficillima ſit, vel Salomone teſte, qui ex quatuor rebus propoſitis, quæ poſt ſe veſtigia nõ relinquunt, difficillimã omnium pronuntiauit ad cognoſcendum: *Viam viri in adoleſcentia*. Veniamus igitur ad indicia, ſiue argumenta, quæ ſum pollicitus, indagandi cognoſcendique amoris priuati.

Matt.7.16. Id. 12. 33. Pro.30.19.

Part. III. Indicia pro Superioribus.

47 PRIMVM indicium eſt familiaritas, ſeu conuerſatio, quam definiui eſſe primarium effectum amicitiæ ſingularis. Hæc
Sup. n. 1. 14 tum potiſſimum arguit nimium affectum, cum eſt etiam in publico, nimis frequens ac diuturna: cum ſodales quotidie totam integramq; horam, quæ poſt refectionem in multis Ordinibus datur
Iac. Alu. t. 2. l. 3. p. 5. ſect. 1. c. 16 honeſtæ animi relaxationi, vna tranſigunt, vel alijs non admiſſis, qui ſe ſocios offerunt, vel indecore repulſis, qui ſeſe cum illis aſſociant. Vehementius fit indicium, ſi nimia hæc publica familiaritas inquinetur violatione regularum & peccato; qualem deſcribit Beatus Laurentius, cuius verba ſæpe tranſcripſi. Manifeſtum tandem ar-
Sup. n. 14. 18. 19. gumentum eſt, ſi vetitis horis, extra tempora quietis & colloquij (quibus temporibus ſilere iubent omnes Ordines, vt alicubi demonſtratum
Ad reg. 26. com. n. 18. eſt) conueniunt ad libere colloquendum & conuerſandum in publico; id eſt, in ambulacris, in aulis, in horto, in bibliotheca, in dormitorio, vbi ſilendum eſt. Manifeſtius, ſi in locis ſuſpectis, vt in angulis, latibulis, cubiculis, in quibus colloqui, otiari, conuerſari, damnabile iudicatum eſt ab omnibus Religioſorum magiſtris, quod alibi demonſtraui. Manifeſtiſſimum denique, ſi
Ad reg. 33. comm. n. 4. 6. de nocte quocumque loco deprehendantur colloqui ac latere, argumentum eſt amicitiæ reprobatæ. Superius, cum enuclearem particulam illam deſcriptionis *Clandeſtinam*, multa dixi ex B. Laurentio & alijs, aduerſus tenebrarũ amatores; qui, quia lucem oderunt, non bene agere putandi sũt. Subnecto hic B. Ioannem à Capiſtrano; qui monens cœnobiornm rectores ad tollenda ſuſpecta con-

conſortia, etiam cum domeſticis, ſiue nouitijs, ſiue profeſſis, refert indicia cognoſcendi, quæ ſuſpecta dicantur. *Talis, inquit, ſuſpicio poterit haberi ex circumſtantijs locorum ſecretorum & occultorum, temporum nocturnorum &c.* Et poſt: *Frater ſuſpectus ab alijs ſequeſtratus, in occulto & ſecreto loquitur, & conuerſatur cum perſona ſuſpecta.* Magiſtros, qui nocturnam in cellis conuerſationem abominantur, referam inferius. Etenim præfectis adoleſcentium in vniuerſum eſſe oportet certiſſimum, axioma peritorum magiſtrorum religioſorum, multis cognitum probatumque experimentis: Omnem conuentum, extra neceſſitatem, & contra regulas eſſe debere ſuſpectum. Contra regulas dico illos, qui vetitis temporib. locis occultis, clam Superioribus ac ſenioribus, alijs ſodalibus excluſis, fiunt frequenter ab ijſdē: tametſi deprehenſi dicunt ſe ſpiritualia tractare. Bona, bene quoque facienda ſunt. De ſpiritualibus agendum eſt, horis locíſque colloquio deputatis; non in conuenticulis tempore ac loco per regulas prohibito, coactis. Procliue eſt à communicatione ſenſorum, quæ contra iuſſa Maiorum fiat, ad otioſa colloquia, querimonias de Superioribus, & detractiones prolabi.

Io. Capiſtr. c. 11. ordinat.

Inſ. n. 54.

48 Secundum indicium eſt, ſi colloqui ſimul vetiti (quod vſitatum in multis Religionibus, rationalibus ex cauſis docui ad regulam 27. communium) nituntur in vetitum furtiuis congreſſibus: aut, ſi nominatim eumdem ſæpe ſocium egreſſuri petierint, vel decepto per artem Superiore, ſeſe aſſociant extra domum inter ambulandum, vt remoti ab oculis Maiorum & ſenum, liberius ac licentius conuerſentur. Hanc ob fraudem cautum eſt in aliquot Ordinib. ne ſubditus nominatim ſocium petat, neue ſuperiores illum attribuant exitu

Ad reg. 27. com. n. 7. & ſeq.

Ad reg. 43. com. n. 29. ro ſocium, quem exiturus petierit, ſed quem expedire iudicauerit: vt alibi demonſtraui. Quòd ſi præcludantur ab accuratis gubernatoribus omnes aditus ad mutua interdicta colloquia, miſſitat inter ſe furtim & clanculum ſchedulas dulciores, quàm conueniant Religioſis: miſſitant viciſſim carmina: miſſitant munuſcula. Tertium indicium eſt, ſi qui adminiſtrationem aliquam habent, non ſeruant æqualitatem in rebus diſtribuendis, habita ratione neceſſitatis, ſed ſemper, aut ſæpe ſine neceſſitate, ſineque cauſa rationi congruente aliquibus meliora & plura largiuntur. S. Baſ. reg. 34. fuſ. d. ſp. Sanctus Baſilius in regulis longioribus obſeruauit & damnauit hoc vehementer, agnoſcens eſſe indicium, *Amoris vitioſi*. Primum igitur hæc ait: *Diligenter igitur circumſpiciant, vt facile ſe ad omnes, & clementes præbeant; neque ſuſpicionem aliquam alicui commoueant; maioris alicuius erga aliquot beneuolentiæ inclinationiſue animi propenſioris*. Paulo poſt monet, ne ob aliquam animi perturbationem, *Iis, quibus infenſiores ſint, neceſſarias res ſubtrahant, & illis, in quos animi inclinatione propendeant, amplius, quàm quantum ſit opus, largiantur: quorum alterum fraterni eſt odij, alterum amoris vitioſi &c.* Spectant ad hoc indicium munuſcula, quæ vel ſine facultate Superiorum dantur, vel cum facultate quidem, ne pœnam ſubeant, ſed nimis crebro, & ſolum ad captandam alendamque beneuolentiam illam priuatam. Quartum indicium eſt à lingua; cum ſcilicet quiſpiam opportune & importune Superioribus atque ijs, qui poſſunt amicum extollere, illum laudat cum exaggeratione atque artificio; commendat ingenium, eloquentiam, mores, doctrinam ſupra veritatẽ: ſuſcipit eius patrocinium, cum ab eo pœnæ exigun-

guntur, vt oſtendat eius innocentiam. Deniq. quamuis non id ad illum ex officio pertineat, cũ Superioribus ac ſenioribus ſtrenue ac violenter agit, vt à communibus laboribus eximatur, & ad altiora promoueatur.

Part. IV. Indicia pro ſubditis.

49 QVÆ data ſunt indicia, Superioribus auxiliantur ad extirpandas amicitias. Debeo quoque partem ſuam ijs, qui per fraudem in amicitias alliciuntur, vt præcaueant huiuſmodi naſſas, ſi capti non ſunt; elabantur, ſi capti. Propter difficultatem, quam probaui maximam eſſe, cognoſcendæ fraudis; moneo iuniores, vt ipſi quoque in precibus, coram Deo, & cum Deo conſiderent has falſas gemmas; eaſque explorent ad ſolem, cotem, ſtateram. Sol eſt Deus, qui mentem illuminat: cos eſt doctrina Sanctorum de vera germanaque charitate, ad quã ſi conferantur actiones veræ ac ſimulatæ amicitię, quiuis mediocriter eruditus diuinam amicitiam ab humana, & carnalem beneuolentiam à ſpirituali diſtinguet. Stateram repeto iudicium eſſe in diſcuſſione conſcientiæ, quæ fieri debet accurate coram Domino ac ſecluſis arbitris paſſionum, quæ cognitionem hanc efficiunt, inter alia, difficillimam. S. Auguſtinus ingenue fatetur, ſe adoleſcẽtem in hac re valde deceptum, cum in confeſſionibus ait lacrymans: *Exhalabant nebulæ de limoſa concupiſcentia carnis, & ſcatebra pubertatis, & obnubilabant atque offuſcabant cor meum; vt non cognoſceretur ſerenitas dilectionis à caligine libidinis*: Thomas à Kempis: *Propter priuatum amorem facile perdimus verum iudicium*: Et: *Sæpe videtur*

Sup. n. 43. & ſeq.

S. Aug. l. 2. conf. c. 2.

Th. kemp. l. 1. de imi. chr. c. 14. 15 l. 3. c. 59.

tur eſſe charitas, & eſt magis carnalitas. Alio in loco: *Fili diligenter aduerte motus Naturæ & Gratiæ; quia valde contrarie ac ſubtiliter mouentur; & vix niſi à ſpirituali, & intime illuminato homine diſcernuntur.* Et quamuis in hac diſcuſſione, ſi diligenter fiat, multa indicia peſtilentis amoris, quē inſectamur ad interitum, ſeſe datura ſint; tamen vt lector ea facilius deprehendat, placuit referre huc aliquot, quæ S. Bonauentura & B. David obſeruarunt, diſcrimina carnalis & ſpiritualis amoris. Cupido ſeſe extricandi ex his laqueis, eadem erunt argumenta peruerſi amoris cognoſcendi, qui vitioſas creat amicitias. Primum igitur indicium exhibeatur ipſorum verbis: *Pauca de ſpiritualibus, & plurima de inutilibus confabulationibus, & maxime de mutua dilectione inſatiabiliter ruminat, ita quòd ad huiuſmodi colloquia non ſufficiant horæ, non dies, non qualibet tempora; ſed ſemper cum conuenire poſſunt, copioſam habent materiam loquendi indeficienter*. Hæc illi. Tetigit hoc indicium poſt hos Beatus Laurentius, vbi de damnis egimus; atque obſeruauit Iacobus Aluarus noſter. Et ſane cupiditas hæc inſatiabilis colloquendi remotis arbitris, collocutioque ipſa ſine neceſſitate, ſine modo, ſine ſanctitate, ſine prudentia, non modo facit nimiam conuerſationem & familiaritatem vituperabilem, ſed etiam eſt perſpicuum argumentum ipſis amicis, vitiati amoris ac peruerſi. Secundum indicium eorumdem Bonauenturæ ac Dauid eſt, *Inſolentia geſtuum & motuum*. Explicant poſtea per mutuum aſpectum, blanditias, contactum, amplexum, & alia quæ referre non audeo. Caſsiodorus multis ante ſæculis, idem indicium innuerat his verbis: *Si electionem illius amoris, aliquod deſiderium turpe, vel actus irreprehenſibilis ſubſequitur, reſtat vt ipſius dilectionis integritas*

S. Bon. & B. Dauid l. de proc. relig. n. 6. c. 16.

Sup. n. 24. Alu. t. 1. l. 3 c. 39.

Caſsiod. l. de amic. §. ſicut in dilect.

gritas

gritas violetur. Per actum irreprehenſibilem intelligit, me interprete, Caſſiodorus, quidquid coram alijs ipſe facere non auderet, metuens reprehenſionem: & quidquid iure poſſet à viris prudentibus reprehendi, ſi fieret: & quidquid vir moderatus, ſi videretur ab alijs facere, coram eis erubeſceret. Itaque quicumque verecundiam exuit coram ſocio, nec pudet ipſo præſente quædam agere, quibus abſtineret coram alijs præ pudore; ſine dubio is ſe nimis familiarem & corruptum veneno improbi amoris debet agnoſcere ac fateri, ſi ipſe id agat; aut ſocium eiuſdem affinem culpæ, qui ſe vidente ab actionibus huiuſmodi non continet manus & ſenſus, eadem pice inquinatum putare. Tertium indicium ex ijſdē duobus magiſtris Bonauentura & Dauid, eſt *Inquietudo cordis, quando ſunt abſentes, cogitando de inuicē.* Explicāt multis, quæ, qualeſue ſint eorum cogitationes, tum de ſeipſis propter ſocium: tum de ſocio reſpectu ſui. Subijciunt his cogitationibus impediri meditationem rerum diuinarum, & res alias agendas. S. Antoninus ſimiliter: *Cuius ſignum eſt; quando magis cogitat de ipſo, quàm de Deo; & delectatur de eius præſentia corporali magis, quàm de doctrina eius; & huiuſmodi.* Hoc præſentiæ deſiderium, & conuerſationis, & colloquij, quod ſine cogitatione non eſt, attigit B. Laurentius clariſſime: cuius verba deſcripſi, cum agerem de damno famæ. Quòd ſi deſiderium inuolueret aliquam turpitudinem, aut cogitatio protenderetur eodem, clariſſimum eſſet argumentum deprauatæ beneuolentiæ. Poſſe id euenire ſignificauit Caſſiodorus, verbis nunc deſcriptis, inter quæ *Deſiderium turpe* memoratur: exiſtimauit Beatus Laurentius, qui ſcripſit cogitationes obſcenas ex inordinata familiaritate, ſub colore charitatis generari.

S. Anton. p. 1 t. 6. c. 2 §. ſecund.

Sup. n. 24.

B. Laur. c. 22. de diſc. & perf. mon. conuerſ.

Alu. t. 1. l. 3 c. 39. nerari. Hos magiſtros merito ſecutus Iacobus Aluarus ait de hac re: *Poſtremo alia Dæmonis tendicula, alia cogitationes forte minus pudicæ, alia deſideria minus caſta, de quibus, nec dilectionis ſanctitas, qua ſcribimus, nec religionis pudor patitur, vt magis clare dicantur.*

50 Quartum indicium traditum ab ijſdem Bonauentura & Dauide eſt, *Impatientia, vel inuidia con dilecti ſui, ſi aliquem ſecum diligat*, & alia ſubduntur, per quæ deſcribitur zelotypia, quam ſequitur dolor & triſtitia. Signum idem exponitur à Beato Laurentio verbis illis: *Liuor quippe inuidia accenditur, ſi quempiam ab eodem diligi, & cum eodem conuerſari perſpexerit.* At vera diuinaque charitas, teſte Paulo; *Patiens eſt.* Et, *Non æmulatur.* Quintum indicium proditur ab ijſdem: *Ira & conturbatio.* Vt ij fines excedunt diligendo, blandiendo, adulando; ſic etiam interdum iraſcendo, ſi quid vel leuiter in amicitię peccatum fuiſſe putauerint. Ex hac ira querelæ oriuntur, improperia beneficiorum, deteſtationes, iuratoriæ promiſſiones de beneuolentia in poſterum deſerenda, clamores, maledicta, ſecretorum proditiones, & his ſimilia, quæ diligenter ab ijs doctoribus numerantur. De hac diſcordia dicetur quoque aliquid inferius. Sextum indicium ab ijſdem duobus magiſtris habet munuſcula & dulces litteras, quas ſanctus amor, ex B. Hieronymi ſententia non habet. Huc refero adulationes, quibus abundant amici, neque ex diuina charitate, neque ex amicitia vera diligentes, adeo vt Plutarchus librum ſcripſerit de ratione diſcernendi adulatores ab amicis, Septimum indicium apud eoſdem poſtremnm eſt, Inordinata vitiorum diſſimulatio, excuſatio, defenſio mutua, qua pugnant aduerſus arguentes, corrigentes,

B. Laur. l. cit. c. 22.

1. Cor. 13. 4.

Infr. n. 60.

S. Hier. ep. 2. ad Nepo

tes, monentes confęderati ad malum, vt fures. Octauum indicium ex Caſſiodori doctrina, ſi non ratio, ſed affectus moueat ad amandum. Amor enim ſolius affectus, ſi non aliud, periculoſus eſt, Sup. n. 3. vt probaui. Conueniunt huic, quæ Sanctus An- 23.34. toninus tradit de periculo ſenſualis amoris: *Si iſte amor non regitur à Spiritu ſancto, efficitur beſtialis*, S. Anton. *& peior omni beſtia inſaniæ proximus*. Difficultas p.1.tit.6. eſt in cognoſcendo, quando nam ſit ex affectu ſo- c.2. §.ſecu. lo, non rectus à ratione, neque à Spiritu ſancto. Ducit nos in viam huius cognitionis Caſſiodo- Caſsiod.l. rus, vbi ait: *Amatur aliquis ex ſolo affectu natu-* de amicit. *rali, quando diligendum externa habitudine arbitra-* §.ſimilitu. *mur. Vbi vero ſola virtus in cauſa diligendi, ex ſola ratione diligimus*. Cum igitur habitudo exter- na, eſt amoris obiectum & illecebra, non eſt à ra- tione amor, ſed ab affectu. Habitudinem ex- ternam intelligo, quam idem his verbis deſcri- Id.l.cit.§. bit: *Si forma elegantior, ſi ſermo vrbanior, fue-* de natura- *rit, ſi competentior habitus, ſi maturus inceſſus*. li. Iure Iacobus Aluarus, multis probat imperfe- ctos eſſe, qui non Fratrem amant, ſed res fra- tris; quibus deficientibus amor extinguitur. Enu- merat res fratris, quæ amantur, cum ait: *Amant nobilitatem, fortunas, litteras, ingenij felicitatem*, Aluar. t.1. *& (quod valde pudet dicere) vocis ſuauitatem, iu-* l.3. c.36. *uentutis florem, & vultus decorem; non tamen ſciunt animam diligere, nec Dei imaginem, ac ſimilitudi- nem illi impreſſam amare*. Deinde docet hinc or- tum habere pernicioſas amicitias, nimias fami- liaritates, vana colloquia, temporis iacturam, ſpi- ritus teporem, & alia mala, quæ toto tractatu re- cenſui. Nonum indicium eſt, ſi mala conſilia dent amiculi, vel contra legem aliquam regulàve Ordinis, vel perfectionem ſpiritualemq. pruden tiam. Dat exempla idem Aluarus malorum conſi-

liorum:

liorum: *Vt onera obedientiæ detrectent, ſi vel tantillum propriæ commoditati, aut varæ exiſtimationi apud ſæculares officiant: vt defectus, aut crimina admiſſa Prælatis abſcondant, & ab alijs, qui ſpiritualem artem medendi non habent, remedium poſtulent, ne bonam opinionem, vt ipſi dicunt, apud prælatos amittant: vt talentum, exempli gratia, ſcribendi, aut laborandi, aut aliquod munus gerendi celent, ne cura & labore grauentur.* In amicitiæ humanæ legibus à philoſophia præſcriptis iſthæc conſilia damnantur, & pernicioſæ ſuaſiones; quanto damnabiliores putandæ ſunt in amicitia religioſa, atque habendæ pro argumentis peſtilentię? M. Tullius audiatur in libro de amicitia: *Hac igitur prima lex in amicitia ſanciatur, vt neque rogemus res turpes, neque faciamus rogati.* Quamobrem peſtilentiſſimus amicus eſt, qui rogat, ſuadet, inſinuat res turpes, contra leges, diſciplinam, perfectionem. Decimum ac poſtremum indicium eſt, publica vox & fama, cum offenſione coniuncta, non bonam, neque ex charitate amicitiam eſſe, quæ illo tempore ſerpit in cœnobio: *Vox populi, vox Dei*, dicitur prouerbio. Probabiliſſimũ eſt amicitiam hanc tuam eſſe malam (tametſi tu id non agnoſcis) quam totius fraternitatis ſenſus & conſenſus damnat, vituperat, abominatur, atque in ea ſcandalum patitur. Itaque te ſubtrahe ab ea, ſi laqueis eius detineris. His decem argumentis, qui in conſcientiæ diſcuſſione coram Deo diligenter vtetur, intelliget clare, quanto in errore verſetur, ſi fuerit huiuſmodi retibus implicatus: ſi vero liber, cauebit etiam atque etiam ne ſimilibus fraudibus captus irretiatur.

Cic. l. de amic.

CAP.

CAP. VII. Remedia pro ſuperioribus ad ablegandas ſingulares amicitias.

51 SEPTIMVM caput ſe offert explicandum, quo remedia Superioribus cœnobiorum ac magiſtris vitæ religioſæ proponuntur, vt vel repellantur à communitate ſimul viuentiũ amicitiæ iſtius generis, cum fores pulſant; vel iam contractæ atque admiſſæ, ſimul vt deprehenſæ ſunt, ablegentur ac diſſoluantur.

Remedium I. Exemplum ſuperioris.

REMEDIVM primum eſt, vt ipſi Superiores ac magiſtri præluceant ſubditis ac diſcipulis exemplo, cauentes nimiam familiaritatem paucorum, & ſingulares affectiones nonnullorum, ac præſertim adoleſcentium: quia generant hæc in alijs ſodalibus conuictoribus & condiſcipulis, admirationem, offenſionem, ſcandalum, & labefactant auctoritatem, eripiuntque facultatem medendi ęgrotis; qui medicinas admonitionum & pœnarum reſpuunt porrectas ab ijs, quos vident, aut opinantur eodem morbo laborare, dicentes intra ſeipſos, atque in angulis ſubmurmurantes cum amicis illud Saluatoris: *Medice cura teipſum*. Veriſſimum enim eſt effatum S. Petri Chryſologi: *Magiſterij auctoritas conſtat ex vita: docenda faciens, obedientem perficit auditorem*. Ex amore peculiari Superiorum, admirationem gigni ceterorum & offenſionem, diſcimus ex hiſtoria Siluani abbatis, in vitis patrum; qui propter obedientiam admirabilem, plus quã ceteros diſcipulos, Marcum illum diligebat, qui litteram inchoatam vocatus relinquere conſueuerat.

Luc. 4. 23.
S. Chryſol. ſer. 167.
Vitæ patr. p. 1. de obed. § 5.

rat. Vndecim enim alij diſcipuli, vt ibi narratur, *Contriſtabantur, quòd diligeret eum plus alys*: & vicini ſenes: *Moleſte tulerunt* adeo, vt Siluano fuerit opus ſe purgare illis, & demonſtrare celeritatem incredibilem illius in obediendo, digniſſimam fuiſſe dilectione peculiari ex regulis charitatis. Firmius & clarius offenſionis huius argumentum exhibet nobis hiſtoria ſacra Geneſis; vbi legi-
Gen. 37. 4. mus in filijs patriarchæ Iacob, odij & inuidiæ flămam exarſiſſe aduerſus Ioſephum fratrem tantă, vt nihil ei pacifice loqui poſſent; de eo necando deliberarent, ac tandem venderent Iſmaelitis. Cauſa tam grauis & acerbæ offenſionis redditur à Scriptura: *Quòd à patre plus cunctis filijs amaretur.* Pater, qui diligebat, vir ſanctus erat, nec excludebat alios liberos à viſceribus paternæ dilectionis: paternus erat amor, quo Ioſephum diligebat: rationi conſentaneus, & conſuetudini aliorum parentum, *Quòd in ſenectute genuiſſet eum*, vt obſeruat S. Chryſoſtomus; qui addit affluxiſſe Ioſepho
S. Chry. ho 61. in Gen. ſuperne gratiam, quæ propter animi virtutes, adoleſcentem merito ceteris amabiliorem reddebat. Verumtamen, quia ſingularis amor erat inter fratres non niſi ætate inæquales, & illos grauiter offendit, & domum ſancti patris conturbans mœrore luctuque compleuit. B. Theodorus Studites
Sup. n. 24. in teſtamento monebat præpoſitos cœnobiorum, vt dictum eſt, ne paterentur ſibi à diſcipulo adoleſcente in cella miniſtrari, erga quem eſſent vehementius affecti; cum ob alias cauſas, tum vero, vt offenſione vitata, ceteris domeſticis eſſent exemplo. Exiſtere alia incommoda & pericula ex nimia vel familiaritate, vel amicitia peculiari Supe-
Car. Scrib. rioris cum vno, aut paucis, docet Carolus Scriba-
l. 1. med. nius noſter, in Medico religioſo; vbi remedia quo-
relig., c. 15. que præſcribit ægrotis. Non ea refero, quia liber

obuius

obuius eſt, ſæpe recuſus. Ad hæc arcenda procul à nobis, Maiores noſtri, inter capita rerum, quæ in Superiore requiruntur; ac de quibus viri prudentes ac probi ferunt iudicium, cum aliquis in Superiorem eligendus examen ſubit aliorum, ponitur hoc expendendum, An particulares affectiones retinere ſoleat ad aliquas perſonas particulares, ita vt cum aliorum offenſione gubernaturus videatur. Qui plura cupit de bono exemplo per Superiores domeſticis ac ſubditis exhibendo, legat quæ diſſerui cum ad diſciplinam ſtrenue retinendam eos cohortarer in explicatione tituli communium regularum. Tit. p. 2. n. 27. & ſeq.

Remedium. II. Capitis deprehenſio.

52 SEcundum remedium in amicitijs, in quibus plures conſpirarunt, vno conciliatore atq. capite, caput ipſum obtruncare; hoc eſt, deprehendere ducem ipſum & auctorem, eumque capere, captumque vel bene curare, ſi ſe curare permiſerit, vel in exilium mittere, ſiue extra cœnobium, aut prouinciam, ſiue etiam extra Ordinem, ſi culpæ grauitas ferat. A Fratribus Eremitanis Sancti Auguſtini hoc remedium hauſi, quorum verba referre placet, vt optimorum patrum zelus intelligatur. *Vt autem paci, & vnitati Ordinis conſulatur, præcipimus & inuiolabiliter obſeruari mandamus: vt illi, qui inuenti fuerint eſſe tamquam duces & capita factionum, diuiſionum ſeu partialitatum in conuentu, vel prouincia aliqua, ſeu in toto Ordine: ſi de hoc conuicti fuerint, vel ſi probabiliter fuerint ſuſpecti, & ſe canonice purgare nequiuerint, à conuentu illo, vel prouincia, vel à toto Ordine omnino cum effectu expellantur, nec vlterius admittantur*. Didicerunt illi a- Eremit. S. Aug. p. 6. c. 11.

Zacch.13. 7. Zacharia propheta, & à Chriſto Saluatore Mundi, qui dixerunt: *Percute paſtorem, & diſpergenter oues.* Etenim in huius generis ſodalitijs & conſpirationibus ſolemne eſt, capto duce, ac ſignifero ſocios affectu in diuerſa labi, & fœdera diſſolui. Matt. 26. 31. Marc. 14. 27. Cumque in multis alijs proprietatibus Religioſorum cœtus ſimillimi ſunt apum examinibus (quod duobus libris Thomas Cantipratanus diligenter demonſtrauit, & S. Baſilius alijq. patres paſſim docent) tum potiſſimum in hac, qua rege amiſſo dilabitur examen. Th. Cantipr. l. apum Plinius paucis eleganterque: *Duce præſente, totum tenetur agmen; amiſſo, dilabitur, migrantque ad alios.* Pl. l. 11. c. 17. Poſt eum S. Ambroſius, Virgilium æmulatus, non impari felicitate: *Incolumi rege neſciunt mutare iudicium, mentem inflectere: amiſſo, fidem ſeruandi muneris derelinquunt; atque ipſa ſua mella diripiunt, quòd is, qui principatum habuit muneris, interemptus eſt.* S Ambr. l. 6. in Hexaem. c. 21. Virg. l. 4. Geor. Qui latrones campeſtres armis venantur, duci potiſſimum inſidiantur, quòd eo, vel capto, vel interempto, manus eorum facile diſpereat. Bellatores peritiores rei militaris, hoc ipſum militibus ſuadent in prælijs, vt duces & vexilliferos quamprimum, aut captiuos faciant, aut occidant; ſperantes fore, vt hoſtilis exercitus, amiſſis ductoribus, in fugam illico conuertatur & profligetur. Sanctus Gregorius Papa: *Vulnerato vexillifero, multitudo citius diſperſa capitur.* S. Greg. l. 6 regiſtr. ep. 24. Hanc artem Dęmones aduerſus Religioſos ſtudioſius exercent, vt primipilos, centuriones, tribunos, hoc eſt ſeniores, perfectiores, clariores proſternant potius, quàm iuuenes, minus perfectos, & obſcuri nominis, vt tractatu primo demonſtraui; quòd illis quaſi ducibus proſtratis, facile ſint reliquas cœnobij, vel Ordinis tamquā copias fuſuri. Tr. 1. n. 18. Prudentes ac ſtrenui moderatores cœnobiorum, eandem artem ſpiritualiter ad ſuorum

rum

rum ſalutem adhibeant. Nam, vt recte notat Ser uatius, nihil Prælato curandum eſt magis, quàm vt bonorum diſſidia tollantur; & improborum concordia diſſoluatur; quemadmodum ex Grego rio Papa, fecit Deus in ædificatione turris Babel per linguarũ varietatem; & Apoſtolus Paulus ſcidit conſpirationem Phariſæorum & Sadducæorũ in concilio aduerſum ſe conflatam, declarans ſe credere ac ſperare reſurrectionem.

Sernat. opticæ. ſpec. 39. inſtr. 8.

Remedium III. Amotio nutrimentorum.

53 TERTIVM remedium eſt illa omnia tollere atque amouere, quæ primum creant & conciliant eiuſmodi amicitias; deinde contractas, alunt, fouent, tuentur. Ex diſputatis ea colligi propemodum poſſunt à diligenti lectore. Sed ne vagetur tempus terens, eadem ipſius oculis hoc loco ſubijciam, cum aliqua noua probatione. Primum omnium familiaritas nimia tollenda eſt, domi foriſque, & ad communem quandam moderationem redigenda. Hoc vrgét Sup. n. 15. magiſtri Religioſorum, quos retuli capite tertio huius tractatus, vbi pernicioſas eſſe has amicitias demonſtrabam. Illis accedit Beatus Laurentius B. Laur. l. de diſc. & longam & grauem deteſtationem harum amici- perf. mon. tiarum claudens his aureis verbis: *Proinde inter-* conu. c. 21. *dicenda eſt aſſidua & priuata conuerſatio in collegijs ſeruorum Chriſti*. Et quoniam conuerſatio hęc colloquijs otioſis alitur, præcipue inter æquales (Æqualis enim æqualem delectat, & iuueni iuuenis iucundus eſt ex Ariſtotele) ideo tolletur nimia Ar. l. 1. rhe. familiaritas, ſubtractis eius nutrimentis. Itaque c. 38. primum iuuenes ſuſpecti & comperti prohibeantur inter ſe conuenire, donec affectus deferueſcat. Non enim id alios offendere poteſt, cum in multis

Ordinibus ſint huiuſmodi interdictiones, ne hi cũ illis conuerſentur, ob cauſas rationi ac religioni conuenientes, quas lector reperiet in aſcetico meo
Ad reg. 27. com. n. 6. & ſeq. commentatio regulæ vigeſimæ ſeptimæ communium. Deinde ſilentij obſeruatio, quod in omnibus Religionibus, tum ex iure communi, tum ex peculiari ſeruandum eſt, ab ijs ſeuerius exigatur;
Ad reg. 26. com. ſeu per fidos exploratores, & cuſtodes vigiles diſciplinæ domeſticæ, qui Superiori referant, ſiquid ab illis peccatum fuerit in hanc regulam ſilentij, ſeu per grauiores pœnas, quibus violationes regulæ huius eluantur.
Cl. Aqu. io duſtr. c. 8. n. 6. 7. Claudius Aquauiua medicans hunc morbum in induſtrijs, ſilentij diſciplinam, vt perutilem valde commendat. Tertio nullo modo permittant præpoſiti cœnobiorum, vt egrediãtur domo cum ſocio, quem ipſi ſibi delegerint nominatim, ſed ſuam retineant poteſtatem ſocios deſignandi. Nec metuant cenſuram ſeueritatis;
Sup. n. 48. Ad reg. 43. com. n. 29. quando & aliquot Ordines, & pontifices in Ordinum reformationibus vetuerunt, ne ſocij dentur ab egreſſuris poſtulati: quod alibi docui. Quarto quoniam litterularum, verſiculorum, ſchedularum reciproca miſſio, ſiue ab alijs domicilijs, ſiue in eodem, cum ſermo mutuus eſt interdictus, & vetita conuerſatio, alit amicitiam, quam Superior comprimere cupit: ideo vetet hæc miſſitari, quia per eam miſſionem fraus fit interdicto: curetque ſibi omnia tradi, quod iure faciet; quemadmodum probatum eſt vſu legibuſq. omnium
Tr. 12. n. 21 Ordinum in tractatu de prudenti ſcriptione litterarum. Quinetiam legat, cenſeat, expendat; nec ſinat impunitum, ſi quid contra decorum puritatemque religioſam fuerit peccatum. Quinto, vetetur, impediaturque munuſculorum datio & acceptio, quam in regula S. Benedicti prohibitam, monachi Caſinenſes etiam inter Fratres de-

te-

teſtantur, *Tanquam ſeminarium Diaboli:* Sic viri ſapientes ac pij loquuntur. Et poſt: *Sæpe ex huiuſmodi munerum collatione, & receptione inordinata, oritur affectio, ſeu complacentia.* Spectat hoc periculũ regula Pauli & Stephani; quam antiquiſſimam dicit Trithemius, particulam eius referens. Cum enim vetuiſſet vſurpari aliquid, quod Fratri datũ eſſet ad vſum, hæc addit: *Nec inter ſe Fratribus liceat, vt id, quod de communi quiſquam acceperit, niſi permiſſu Prioris cum alio Fratre, quaſi peculiari amore cõmutare: ne hac occaſione naſcatur amor illicitus.* In horum magiſtrorum veſtigijs inſtitit Claudius Aquauiua, cum dationem munuſculorum obeſſe monuit huic morbo ſanando. Sexto & poſtremo interdicenda eſt, quæ dicitur interceſſio; id eſt aduocatio & patrocinium, quo quis è ſenioribus Superiores adit, & precibus fatigat, atque ab ijs contendit, vt aliquid vel ſingulare, vel contra iura, ex priuilegio, vel ante tempus concedatur amico; vel denique pęnam, onuſque deprecatur. Valet plurimum hæc prohibitio ad illam amicitiæ ſpeciem diſſoluendam, quam inter ſeniorem & iuniorem contrahi diximus. Nam ſæpe huiuſmodi interceſſiones (quæ vere obedientiæ intercedunt, hoc eſt impediunt eius præcepta) fiunt non amore communis boni, ſed ratione amicitiæ, ac particularis affectionis. Quam ob rem ſeuere in bene conſtitutis Ordinibus vetantur.

Caſſi. in cõ 54. reg. §. 1.

Trith. ex. de propr. mon. c. 5. §. 2.

Cl. Aqu. in duſtr. c. 8. n. 9.

Supr. n. 13.

Remedium. IV. Poſt monitiones, pœnæ.

54 QVARTVM remedium. Poſt paternas monitiones, graueſque exhortationes publicas & priuatas, in quibus damna, pericula, peccata ex his amicitijs manatura illis ſignificentur: poſt obiurgationes, minas pœnarum, ſeueras interdictiones; præcepta illis impoſita, qui hoc morbo laborant; veniatur ad ipſas pœnas, quibus puniantur, illi præſertim, qui deprehenduntur inter ſe colloqui locis temporibuſque ſuſpectis; aut furtim violare regulas Ordinis ſerio commendatas; aut tranſilire iuſſa data in remedium, aut peccaſſe in aliquã virtutem in primis religioſam. Habent præfecti magiſtros ac duces, veteres patres, qui non ferebant harum actionũ impunitatẽ. S. Baſilius: *Quid ſi quis inuentus fuerit, qui maiore quadam animi propenſione monachum Fratrem, vel propinquum, vel alium quemvis, quauis de cauſa videatur diligere; hunc caſtigare oportebit, vt iniurium publicæ charitati.*

Baſ. ſer. 1 de inſt. mon.

Pœnarum auctor anonymus inter opera S. Baſilij: *Si quis inueniatur noctu priuatim cum aliquo agens, aut locum, vbi dormit, mutans, præter voluntatem ad hoc deſignatorum, excommunicetur.* Et poſt: *Si quis veſperi poſt Pater noſter inueniatur colloquẽs, excõmunicetur.* Duo Religioſus notet ex his locis: primũ hãc excõmunicationẽ non Eccleſiaſticã eſſe, ſed regularem, ſeu religioſam; quæ, quo differat ad Eccleſiaſtica, diximus in commentario regulæ xvi. commmunium. Alterum eſt, nocturnũ tempus ſemper habitum à priſcis & recentibus Religioſis valde ſuſpectum. Proinde peculiariter vetitum nocturnum colloquium ab omnibus fere Ordinibus & magiſtris, vt videre licet in commentario regulæ xxvi. de ſilentio. Eandem ob cau-

Id. in pœnis. n. 12. 15.

Ad reg. 16 com. n. 12.

Ad reg. 26. com. n. 39.

cauſā nocturn° ingreſſus in aliena cubiculā diſplicuit Iuoui, & Ordinibus Eremitarum S. Auguſtini, & Canonicorum S. Georgij iu Alga: qui Ordines auxerunt pœnam, quam indixerant intrantibus interdiu: quemadmodum demonſtratum eſt in explānatione regulæ xxxiij. communium. Cauſa tanti metus eſt, quia tenebræ pollicentur ſecretum & impunitatem, faciuntque mortales confidentiores ad peccādum. Hinc Ethnicus ille, qui cū Octauio Chriſtiano diſputat apud Minuciū Felicem, putans quamquam falſo, Chriſtianos odiſſe lucem ad ſcelera patranda, dicebat vere: *Honeſta ſemper publico gaudent, ſcelera ſecreta ſunt*. Idē auctor pęnarum paulo poſt, non diſtinguens tempora: *Si duo reperti fuerint ſimul inter ſe conuerſantes, & commoniti non ſeceſſerint, ſint excommunicati donec corrigantur*. De colloquij pœnis dictum eſt ſatis. Comeſſationes quoque ac compotationes furtiuas, quales deprehendi ſolent in amicitijs deprauatis, veteres moderatores impune non ſinebant. Excommunicationem, verbera, & expulſionem à cęnobio reperi fuiſſe pœnas apud Caſſianum & Iſidorum, monachis in hoc genere peccantibus conſtitutas. Eas in commentario regulæ xvi. communium excuſſi atque explicui diligēter. Lectorem illuc mitto; qui, ſi non aliunde, certe ex grauitate pœnarum, colliget magnitudinem peccati. Quod attinet ad actus quoſdam contra virtutem puritatis voto promiſſam, de quibus Sanctus Iſidorus in regula; Smaragdus in explanatione regulæ Sancti Benedicti, & S. Fructuoſus apud eundem Smaragdum, inuenio ſeueriſſimis pęnis eſſe multatos & coercitos eos, qui hos commiſerint. Placet referre Sancti Fructuoſi verba, & ſi non omnia, quibus hæc pęnarum ſeueritas deſcribitur. *Monachus paruulorū,*

Ad reg. 33. com. n. 6.
Ad reg. 43 com. n. 18.
Minuc. Felix in Octa
Baſil. in pęnis n. 25.
Ad reg. 16 com. n. 11. & ſeq.
S. Iſid. reg. c. 17.
Smaragd. in c. 22. & 25. reg.

aut adoleſcentium conſectator; vel qui oſculo, vel qualibet occaſione turpi deprehenſus fuerit inhiare, comprobata patenter per accuſatores veriſſimos, ſiue teſtes, huius rei cauſa publice verberetur: coronam capitis, quam geſtabat, amittat, decaluatuſque turpiter opprobrio pateat, omniumque ſputis in facie, probraque aque ſuſcipiat: vinculiſque arctatus ferreis, carcerali ſex menſibus anguſtia maceretur; & triduana per hebdomadas ſingulas refectione panis exigui hordeacei, veſpertino tempore ſubleuetur. Simillimę ſunt hæ pœnæ militaribus, quas Romani milites luebant, ob deſertam diſciplinam aliaque peccata: inter quas erant fuſtigatio, hordeum, cinguli depoſitio, miſſio ignominioſa, & mors etiam in grauiſſimis criminibus: quoniã vita religioſa, quædam ſpiritualis militia eſt. Quid hiſcere poſſunt illi Religioſi, qui ſeueros dictitant eſſe Ordines, vbi actus eiuſmodi non relinquuntur impuniti? His non contentus S. Fructuoſus, alias afflictationes addit, quę ſimiliores ſunt medicinis, quã pœnis. Ait enim: *Deinde expletis menſibus his, alijs ſex menſibus ſuccedentibus, ſub ſenioris ſpiritualis cuſtodia, ſegregata in corticula degens, in operibus manuum, & oratione continua ſit contentus; vigilijs, & fletibus, & humilitate ſubiectus, & patientia lamentis veniam percipiat: & ſub cuſtodia ſemper & ſolicitudine duorum ſpiritualium Fratrum in monaſterio ambulet; nulla priuata locutione, vel conſilio deinceps iuuenibus coniungendus.* Quia familiaritate nimia peccauerat, colloquium eorum interdicitur, in quos peccauerat: atque vt vere, non ficte ſe corrigat, ſub magiſtro ponitur; & duo vitæ teſtes illi dãtur ad cuſtodiam: & tamquam quibuſdam ſpiritualibus exercitijs perpurgatur. Eandem pœnã ac medicinam ad verbum, iiſdem peccatis impoſitam ac debitam, ex doctrina S. Baſilij, tradit B. Petrus

Lipſ. l. 5. de mil. Roman. dial. 18.

trus Damiani, in opuſculo ſeptimo; vbi cur pane hordeaceo paſcātur Religioſi in hoc peccati genus lapſi, rationem reddit his verbis: *Quia factus eſt ſicut equus & mulus, congrue non cibo reficitur hominum, ſed annona paſcitur iumentorum.* B.P.Dam. op 7. c.14. 15.

Remedium. V. Separatio.

55 QVintum remedium: Si pœnis non emēdantur, ad ſeparationem veniendum eſt. Indicatum eſt hoc remedium ab Ioanne à Ieſu Maria diſcalceato Carmelita, vbi magiſtros inſtruens, ſic loquitur: *Malum hoc à diſciplina monaſtica longe diſtat. Quocirca magiſter, eiuſmodi familiares corripiet, & vt indifferenter cum alijs verſentur, iniungat. Quòd ſi relabantur, pœnas imponet, ſenſimque augebit, donec illos abiungat.* Poſt correptionem, præceptum, pœnas iteratas & auctas, ſuadet ſeparationem. Porro ſeparatio quinque gradus habet, quos magiſtros ac præpoſitus, pro qualitate culpæ, ſeu periculi prudenter adhibebit. Primus gradus eſt ſeparatio cubiculi dormitorij. Sunt Ordines, qui ſiue ob cœnobiorum anguſtias, ſiue quòd exiſtiment conducere ad ſanctitatem, iuniores eſſe ſociatos in cubiculis, vt habeant vitæ teſtem ac monitorem, iubent eos binos ternoſue in cellis habitare. Qui mos antiquorum exemplo defenditur; vt videre licet in monaſterio S. Pachomij, Angeli præſcripto in hiſtoria Lauſiaca; & apud S. Ephræm in varia doctrina, quæ eſt tomo ſecundo; & in regula B. Petri Damiani; vbi iubet è duobus alterum ſemper præeſſe, alterum ſubeſſe. Igitur ſi degunt in eadem cella, qui comperiuntur inter ſe nimis affici beneuolentia, in alias cellas migrare iubeantur, & cum magis ſpiritualibus Fratribus ſocientur, quorum exemplo monitiſque proficiant. Secundus gradus eſt ſeparatio conuerſationis & habitationis in eodem

Io. à Ieſu mat. p 3. inſtr. mag. nou. c. 9. § 5.

Pallad. hiſtor. Lauſ. c. 38. S. Ephr. t. 2 in doctr. var. c. 2. 6. Pet. Dam. opuſ. 15. § 18.

Ad reg. 27. comm. n. 8. cęnobio. In commentario regulæ vigeſimæ ſeptimæ docui multis in Religionibus iuniores ſeparatos degere à ſenioribus, tum conuerſatione, tum habitatione, vel in eodem monaſterio, iuſtis de cauſis ibi declaratis. Si cellæ mutatio non ſufficiat ad reſtinguendum affectum, terminos religioſæ regulæ tranſilientem, cum iunioribus alter habitare conuerſarique cogatur; cum ſenioribus alter, nullaque facultas ſimul conueniendi detur.

Sup. n. 54. Adumbrata eſt paulo ante ſeparatio hæc habitationis à Beato Fructuoſo & alijs, cum illum ſpiritaliter ægrotum, in ſegregata corticula degere cogunt. Tertius gradus eſt ſeparatio domicilij. Si non curatur morbus ratione nunc præſcripta, mittantur alio, qui ſanari non curant, aut conualeſcere non laborant. M. Tullius diſſerens de curatione adhibenda homini ſic affecto, præter alia, quæ non ſunt huius loci: *Adducendus eſt*, inquit, *etiam nonnumquam ad alia ſtudia, ſolicitudines, curas, negotia; loci denique mutatione, tamquam ægroti non conualeſcentes, ſæpe curandus eſt. Etiam nouo quodam amore veterem amorem, tamquam clauo clauum eijciendum putant.* Religioſi non amore alio, quàm Dei & virtutis, humanum & carnalem extrudere debent. Sic fere nos docet Sanctus Hieronymus Ciceronis reſpectans locum:

Cic. Tuſc. 4.

S. Hier. ep. ep. 4. ad Ruſtic. *Philoſophi ſæculi ſolent amorem veterem, amore nouo, quaſi clauum clauo expellere: quod & Aſſuero regi ſeptem principes fecere Perſarum, vt Vaſthi reginæ deſiderium, aliarum puellarum amore compeſcerent. Illi vitium vitio, peccatumque peccato medicantur. Nos amore virtutum vitia ſuperemus.* Alia remedia Ciceronis idonea ſunt, & loci mutatio in primis; quam longis morbis prodeſſe docuit Plinius, & in ægrotis corpore non conualeſcentibus probauerat Cornelius Celſus aphoriſmo illo:

Pl. l. 18. c. 4. Celſ. l. 2. de remed. c. 1.

Peſſi-

Peſſimum eſt calum, quod ægrum fecit, adeo vt in id quoque genus, quod natura peius eſt, in hoc ſtatu ſalubris mutatio ſit. Ab his non diſcrepant medici ſpirituales, in ægritudine aliqua morali curanda. Inter quos eſt Sanctus Iſidorus à Gratiano relatus in decreta (quem Sanctus Bernardus & S. Bonauentura ſecuti ſunt) cum ait: *Nec ſemper valet conuerſis pro animæ ſalute mutatio loci: ſæpe tamen quibuſdam, dum mutatur locus, mutatur & mentis affectus.* Eremitani Fratres Sancti Auguſtini mutationem monaſterij & prouinciç adhibent ad diſſoluendas conſpirationes. Quartus gradus exiliũ in alia regione. Si mutatio cęnobij non prodeſt, quod in eadem vrbe, vel in eadem prouincia ſit, vnde ſodalem immodice dilectum videre, conuenire, alloqui, ſæpe ſalutare poſſit, inſuper litterulis ac nuntijs ad priſtinam beneuolentiam cohortari; relegandus eſt in aliam prouinciam, aut regnum, vbi ſpes omnis præcidatur familiaritatis priſtinæ conſeruandæ. Gratias ingentes agant Deo viri religioſi, quòd in hac re multo melioris conditionis ſint, quàm feminæ Deo ſacratæ: quæ cum alio tranſmigrare nequeant, carent hoc præſentiſſimo genere curationis: & parietibus vnius eiuſdemque cœnobij ſemper incluſæ, ſi quando contingat eas hoc morbo laborare, ad ſanitatem ægerrime perducuntur: quoniam immoderata familiaritas per mutationem gynæcei non poteſt intermitti; neque conſpiratio per ſeparationem conſpirantium diſſolui. Quinctus ac poſtremus gradus eſt eiectio ab Ordine vniuerſo. Si tentatis remedijs omnibus enumeratis, æger non curatur: aut ſi morbus inſanabilis exiſtimatur à viris peritiſſimis: aut ſi ſcandalum & publicum, & adeo grande fuit, vt non expediat ob aliorum periculum & offenſionem, tam turpiter lapſum in Religione

S. Iſid. l. 2. ſent. c. 10. c. valet. diſt. 81. S. Bern. ſer 6. ad ſoror. S. Bon. p. 1. ſpec. p. 1. c. 2. Eremit. p. 6. conſt. c. 11.

ligione cum probis viris retineri; poſtremum, inquam, remedium ſit hominem cum participibus culpæ, tamquam putridum membrum à reliquo totius congregationis corpore, per dimiſſionem exſecare. S. Baſilius in medicina ſpirituali magiſter eximius, agens de his deteſtandis amicitijs, earumq. ducibus ac ſocijs, iubet primum in hoc genere peccantem, moneri ſecreto ex Euangelica regula: deinde ſi perſtiterit in culpa, coram duobus teſtibus monitionem repeti: tum perſeuerantem deferri ad Antiſtitem (ſic enim interpretatur *Eccleſiam* in eo præcepto, quod eſt accurate notandum.) Poſtremo ſubdit in rem noſtram: *Si vero ne antiſtitem quidem audire uoluerit, perinde vt Gẽtilis & publicanus habendus eſt, atque vt ouis peſtilentia contacta, ab reliquo ouili ſegregandus; ne in reliquos quoque morbi contagionem transfundat.* Moderatur tamen ſententiæ ſuæ ſeueritatem, ſi nullum periculum contagionis in alios impendeat: & aliqua ſpes affulgeat melioris frugis. Tunc enim adhiberi vult lenitatem; quæ non excludat admonitiones & pœnas debitas; ſed tantum expulſionem. Quòd ſi in Caſſiani cęnobijs hæc ipſa expulſio pęna erat conſtituta ijs, qui conueniſſent ad furtiuas comeſſationes, pernicioſarum amicitiarum partus: ſi Franciſcus Borgia tertius Ordinis mei præpoſitus, Caſſiani legem ſecutus, nonnullos ingenioſos adoleſcentes ob ſimilem cauſam & culpam eiecit à Societate noſtra, vt alibi docui; putare debemus ab illis S. Baſilij doctrinam ac ſententiam fuiſſe probatam & deductam ad praxim, cũ opus fuit. Quemadmodum Eremitani deduci iubent cum auctoribus conſpirationum, quos ex Ordine vniuerſo, ſine ſpe reditus, & merito, exterminari volunt.

S. Baſ. cõſt. mon. c. 30.

Caſſ. l. 4. c. 16.

Ad reg. 16. com. n. 15.

Ere. S. Auguſt. p. 6. conſt. c. 11.

CAP.

CAP. VIII. *Cautiones & monita pro ſubditis ne liberi capiantur, & vt capti liberentur.*

56 OCTAVVM caput dabit ſubditis cautiones, quæ laqueis amicitiarum eos capi non ſinant: dabit & monita, ſiue adminicula, quæ captos & illaqueatos ad ſeſe explicandos iuuent. Pono priore loco cautiones ad laqueos pedicaſque vitandas, quoniam principijs eſt reſiſtendum; & difficilius, meo iudicio, eſt extricare irretitum, quàm ſeruare liberum, ne huiuſmodi laqueis intricetur.

Cautiones ad vitandos laqueos.

SIt prima cautio, vulgatus aphoriſmus medicorum *Principijs obſta*: probatus & receptus in medicina morali ab omnibus fere philoſophis: in ſpirituali autem, ab omnibus ſanctis patribus. Sufficiat vnus ex vtraque claſſe. Seneca: *Vna rebus ſalus eſt, occurrere ad primos rerum impetus*. B. Petrus Damiani: *Sollicitus eſto ſemper, vt tentationi principio naſcenti velut armatus, & expeditus occurras*. Produxerat paulo ante rationem optimam: *Facilius eſt hoſtiles impetus in veſtibulo frangere, quam admiſſos, extra mœnia propulſare: tutius eſt arcere præ foribus, quàm laribus intromiſſos in terga compellere*: Igitur ſi inuiteris ab alijs ad eas ſodalitates, aut te rapi ſentias ab affectu, contine teipſum in tua poteſtate. Ac quidē ſi à quoquiam allicer is, illico reſpuenda eſt inuitatio, tamquam illecebra rei periculoſæ atque ſuſpectæ. Idque faciendum eſt diſertis verbis, ne capiaris in ſermone: neve is, qui te inuitauit, ſit in poſterum tibi moleſtus. Admonitorem habes Sanctum Ephræm ſic loquentem: *Si quis tecum amicitiam fraudulentam*

Hippocr. ſect. 3. aph 10.
Celſ. l. 3. c. 22.
Sen. l. 6. de benef. c. 31
B. P. Dam. op. 15. c. 19.
S. Ephr. de ſtr. var. c. 4.

inire

inire voluerit: ab eiuſmodi te ipſum valde cuſtodi, neque illo prorſus confidenter vtaris. Poſtea ſuggerit modum illius amicitię recuſandæ: *Si autem occultum ſuum vitium riſu aliquo cœperit prodere; ſimulanſque obedientiam, voluerit te decipere; caue ne cogitationem ad illius immodeſtiam laxaueris, ſed toruo eum aſpectu intuere, vt bonum in te fundamentum iactum intelligat; ſicque aut ſuam improbam mentem mutet, aut à te recedat.* Alio in loco repellendum docet huiuſmodi tẽtatorẽ ſalutaribus cohortationibus, vt ille reſipiſcat. Sed quia penicillo propemodum dipingit eum, qui ſolicitat Fratres ad iſtas coniurationes, operæ pretium duco S. Patris

Id. t. 2. paræn. 39. verba referre. *Cariſſime, ſi Frater aliquis àduentās cohortetur te dicens: Veni nobiſcum, velut ſanguine iuncti communicemus conſilia noſtra: in phatria & factione coniuncti ſimus: contradicentes vero reprimamus: ſenioribus reſiſtamus, & non reuereamur canitiem: percutiamus œconomos: ſubſannemus quietis ac ſilentiỹ cultores: religioſos ac pios ludibrio excipiamus: cunctos nobis ipſi ſubijciamus, erimuſque nominati ac celebres. Reprehenſi ne prabeamus ſilentium: vna pariter vociferemur, ne noſtrum appareat mendaciũ. Admoniti factum retineamus ac tumorem: adhortationibus interpellati efferamur. Sit noſtra vis, lex iuſtitia: nam quod infirmum eſt, velut inutile reprehenditur. Tu ergo cariſſime, ne cum ijs in via ambulaueris; verum ab ipſis declina & te expedi. Non enim conquieſcent, niſi male egerint.* Subſcribit monita, quibus ad ſaniorem mentem hic tentator reuocandus eſt. Verum, pace ſancti viri, mallem hunc adeo deprauatæ voluntatis Religioſum, per Superiorem, peritumve ac ſtrenuum magiſtrum curari, quàm per adoleſcentem, cuius mens inexperta per longum ſermonem, tamquam per venenatum afflatum inuerti atque infici poſſet. Dilata

bit

bit hunc locum de reſtinguendis primis ſcintillis prauitatis exhortator, per ea, quæ ſancti patres ac magiſtri de hoc aphoriſmo diſſerunt. Secunda cautio eſt. Fuga prauorum, ſeu minus perfectorũ in conuerſatione domeſtica. Notiſſimum eſt ac ſæpe probatum Sancti Auguſtini, ac Bonauenturæ teſtimonijs, in congregationibus ſanctiſſimis, Religioſos minus perfectos degere ad exercitationẽ probationemque meliorum ac perfectorum. His addo Sanctum Bernardum, qui vbi deſcripſiſſet perfectiorum virtutes, ſic ait: *Contra ſane inuenire eſt homines puſillanimes & remiſſos, deficientes ſub onere, virga & calcaribus indigentes, quorum remiſſa lætitia, puſillanimis triſtitia eſt: quorum breuis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conuerſatio, quorum obedientia ſine deuotione, ſermo ſine circumſpectione, oratio ſine cordis intentione, lectio ſine ædificatione; quos denique (vt videmus) vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frenat ratio, vix diſciplina coercet.* Hæc S. Bernardus, depingens potius tepidos, & malos ſibi ipſis, quàm communitati pernicioſos, ſodalibuſque moleſtos. Ceterum peritos docet rerum vſus, imperfectos Religioſos procliues eſſe ſolere ad cõtrahẽdas amicitias illas, quas ſancti patres oderũt; quemadmodũ è verbis S. Ephrem paulo ante didicim⁹. Itaq; adoleſcens, ne laqueis capiatur iſtius generis, effugiat omni conatu (ſalua domeſtica diſciplina, & ſignificatione fraternæ charitatis) conuerſationẽ peculiarem, colloquia minus neceſſaria ſodalium eorum, quos minus ſpirituales, minuſque perfectionis amantes eſſe cognouerit: & eos præſertim, quos S. Ephræm expinxit, ſolicitatores malorũ. *Magna pars ſanitatis eſt*, inquit Seneca, *hortatores inſaniæ reliquiſſe, & ex iſto cœtu inuicem noxio procul abijſſe.* Sæpe mente reuoluat Dei comminationem

Ad reg. 38. comm n. 4 Tr. 6. n. 28.

S. Bern. ſer. 6. de Aſcẽſ.

L. Sen. ep. 94.

nem

nem in Ioſaphat regem Iuda contortam per Iehu prophetam, quòd cum Achab rege Iſrael impro-
2. Paral. 19 2. bo ad bellum eſſet profectus: *Impio præbes auxiliū; & his, qui oderunt Dominum amicitia iungeris: & id circo iram quidem Domini merebaris*. Nihil hic aliud adiungo de damnis, quæ inferuntur Religioſo, per minus perfectos ſodales, quà verbis, quà exemplis: quoniam ad hanc cautionem amplificandam multa peti queunt ex arca medica Ioannis
Io. Buſæi med. vet. ſoc. praua. Buſæi noſtri Ordinis. Illud vnum ex meo ſenſu moneo innocentes atque inexpertos adoleſcentes, Dæmonem imitari Barbaros; qui, vt refert Cle-
Clem. Alex. orat. ad Gent. mens Alexandrinus, captiuos viuos cum cadaueribus aduerſos crudeliter colligabant, vt miſerabiliter putreſcendo perirent. Itaque ſibi caueant, nec ſe ſinant cū vitioſorum ſodalium tamquam cadaueribus mortuorum ab Aduerſario per damnatam amicitiam conſtringi, ne miſere computreſcant.

57 Tertia cautio eſt, vitare illa omnia, quibus docui ſupra conciliari generis huius amicitias: ac
Sup. n. 4. potiſſimum frequentem conſuetudinem, & nimiam familiaritatem æqualium, quorū affectus, per eam facillime accenditur ad amandos pares. Abſtineat à munuſculorum acceptione, quam rectè dixeris Eſcam tegentem hamos, & ineſcātem incautos. Reſpuat aſſentationes ſimulatorum laudatorum & adulationes, quæ maximæ illecebræ ſunt ijs, qui propter humilitatis defectum appetunt laudari: quæque tandem, quamquam dulciculæ videntur auribus, tamen in amarorem conuertuntur. Propterea Dauid nolebat ſibi caput inungi adulationis oleo, cum dicebat: *Oleum*
Pſal. 140. 5. *autem peccatoris non impinguet caput meum*. Vbi S. Hieronymus loco *Peccatoris*, ex Hebraico vertit *Amaritudinis*: qua verſione intelligimus, quàm

pro-

procul abſit a vera ſanaque dulcedine oleum adulationis, quod deſinit in amaritiem. Adhęc manus contineat à ſodali tangendo: cui contactui Ioãnes Gerſon mutationẽ amicitiæ ſpiritualis in carnalẽ attribuit, his verbis: *Nonnumquã ſub velamento ſanctitatis ac deuotionis, in perſonas religioſas ſpiritualis amicitiæ, agit Hoſtis, vt ex conſuetudine intuẽdi, loquẽdi, epulãdi, ſimul ridẽdi, mutuo ſeſe iocoſe tangendi, vertatur ſpiritualis amor, in libidinoſum carnalemq. amorem, & demum in finem ignominioſiſſimum.* Cõſonãt hæc cũ ijs, quæ ſcripſimus in aſcetico cõmentario. Deniq. horreat ac reformidet nocturnos, aut clãdeſtinos ſeceſs⁹, in ſuſpectis locis atq. horis; quos magiſtri ſpiritus profligatos eſſe cupiũt è cœnobijs. Ex horũ numero lector attendat S. Baſiliũ reuocantẽ adoleſcẽtes à ſeceſsibus clandeſtinis, ẽt per ſpeciẽ de diuinis agendi quæſitis. *Domi, aut in aliquo loco, vbi quæ à vobis fiãt, videre qui poſſit, nemo ſit arbiter, caue ne vna cum eo ſimul deprehẽdaris vnquã; ea re videlicet, quòd vna cum eo diuina eloquia meditari te dicas; aliamve quamuis ob cauſam etiam ſumme neceſſariam.* Amolitur deinde vulgarem excuſationem, ſecreto ſeceſſu vitari ſcandalum; docẽs eos adoleſcentes, qui ſic ſecedunt, magno ſibi eſſe ſcandalo, quia per eam occaſionem in peccata labuntur. *Subdolæ*, inquit, *iſti cogitationi tuæ nolito aſſentiri; cum tibi hoc proponit fore, vt quidquid ita in occulto factum ſit, ſcandalo vacet: ſed hoc ipſum tibi eſſe ſcandalum perſuade. Atque iſthæc multorum exemplo, qui ſimili in genere, fœde ſunt lapſi, vulgata iam eſſe apud omnes exiſtimato. Crede mihi, quoniam fraterne tibi, atq. ex intimo animi receſſu loquor.* Hactenus Baſilius cũ magno affectu charitatis. Porro de fugiẽda familiaritate (quã omnia hæc cõmemorata & vitãda nutriũt) receptũ eſt ab omnibus, tãquam primum principium huius artis ſpiritua-

Gerſ. t. 3. tr de diuerſ. Diab. tent

Ad reg. 34. com. n. 3.

S. Baſ. ſer. de abdic. ter.

X lis,

S. Bern. in ſpec. monach. lis, axioma illud à S. Bernardo ſcriptum in ſpeculo monachorum his verbis: *Neminem habeo familiarem*. S. Thomas Aquinas diſcendi ſtudioſũ formans: *Nemini te multum familiarem oſtendas; quia nimia familiaritas parit contemptum; & ſubtractionis à ſtudio materiam ſubminiſtrat*. Accedit his S. Bonauentura: *Familiaritates ſuperfluas fugiant. Eſto, ait quidam, omnibus benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus. Et S. Bernardus, Tria inquit Religioſum quemlibet decẽt; Pauca loqui, paucos habere familiares, & multum orare. Vbi multi familiares, ibi multæ locutiones, & ſibili ſingulares.* Thomas à kempis magnus magiſter virtutum, de cauenda nimia familiaritate caput ſcripſit, & inſcripſit; in quo illa ſunt grauiſſima verba in rem noſtram: *Charitas habenda eſt ad omnes, ſed familiaritas non expedit*. Ac ne quis putet à S. Bernardo & Bonauentura paucorum familiaritatem permitti, quam iiſdem ſcimus diſplicuiſſe: conſideret attente verba, quæ ſubijcit Bonauentura de qualitate familiaritatis. *Si familiarem*, inquit, *admittis, ſit quem ætas, mores, diſcretio & honeſtas inſignit & commendat. Familiaritas ſi fuerit ordinata, non erit blanda, improba, puerilis.* Permittit ergo familiaritatem illam, quam fraterna charitas & virtus admittũt; in Ordine præſertim non tantum contemplatiuo, ſed miſto: reprobat ſingularem familiaritatem virtute vacuam, cum blanditijs puerilibuſq. actionibus coniunctam. Clerici S. Pauli cautionem hanc vniuerſam in ſuorum nouitiorum inſtitutione ſcripſerunt. *Sint vna, inquiunt, ſimul quantum fieri poteſt, ſemper congregati. Neque ex ipſis duo ſeorſum ab alijs ad colloquendum ſe recipiant, niſi de Patris ſui mandato. Atque id eo minus, ſi in occultum & ſecretum locum abdere ſe velint. Immo*

[Margin: S. Th. opu. 68. — S. Bon. p. 2. ſpec. p. 1. c. 6. — Th. kemp. l. 1. de imit. Chr. c. 8. — Cler. S. Pauli inſtr. nouit. c. 18.]

mo vero ſimul etiam verſantes coniunctim nemo ſit, qui ſingulari quadam affectione in aliquem propēdeat, aut etiam cum eo vtatur ſingulari quodam genere familiaritatis. Quarta cautio eſt, diligentiſſimè ſeruare, quæ in tractatu de duplici ordine in Religione obſeruando præſcripſi, quorum alterum vitæ, alterum diſciplinæ nominaui. Accuratus vtriuſque obſeruator, non habet tempus vacuum, quod cum ſodalibus ſingulariter dilectis conterat, vel amicitiam peculiarem contrahendo, vel nutriendo contractam. Eſt enim ordo catena quædam ſanctarum actionum, quæ diei noctiſque horas in vnum colligat adeo, vt niſi abrumpatur, otioſis, intempeſtiuis, furtiuis colloquijs non ſit neque locus, neque tempus. Editus eſt tractatus in lucem; proinde hic plura dicere ſuperſedeo. Tr. 9. n. 5. 7 19.

58 Quinta cautio ſit, ſiue in examine particulari, ſiue in ſeceſſu aliquot dierum ad meditandū, ſiue alio tempore opportuno, conſideratio damnorum & periculorum, quæ ſubeunt ij, qui ſeſe implicant ijs deteſtabilibus amicitijs. Primum damna conſideret, de quibus S. Baſilius his verbis. *Re vera noxia ſunt amicitiæ, quæ cum malitia contrahuntur. Nam ea eſt amicitiæ huius lex & vis, vt per ſimilitudinem malitiam coniunctis indat. Quamobrem rectè prouerbium dicit, corrumpunt bonos mores colloquia praua. Vt enim in peſtilentibus locis ſenſim attractus aer latentem corporibus morbum inijcit: ſic in praua conſuetudine ac conuerſatione, maxima nobis mala hauriuntur, etiamſi ſtatim incommodum non ſentiatur.* Hæc S. Baſilius ſtrictim: ego copioſe ſupra demonſtraui, non modo communitati vniuerſæ pernicioſas eſſe tales amicitias, verum etiam damnoſiſſimas ijs, qui ſunt earum retibus implicati. Quæ damna ideo luculenter expoſui, S. Baſ. ho. 9 1. Cor. 15. 33. Sup. n. 15. & ſeqq.

vt ea legentes & conſiderantes reformident amicitias illas, quæ ſunt fontes tot tantorumque malorum. Secundo loco conſideret lector pericula, quæ cultoribus harum amicitiarum impendent. Colligi queunt ex diſputatis ſupra, vbi damna re-
Sup. n. 30. & ſeq. cenſebam, cum periculo grauiorum damnorum peccatorumque coniuncta. Etenim ſi actus amandi non eſt ordinādus ſecundum affectum ſpiritua-
Caſſiod. l. de amic. §. Actus noſter. lem, vt eſt auctor Caſſiodorus, *Quia modū neſcit*: quanto minus neſciet modum, ſeruabit menſurā, terminis continebitur carnalis affectus? Hic à recta via præceps deflectet, lineaſque rationis omnes, tranſiliet. Metuat ergo ſeipſum affectumque ſuum, quiſquis amat quempiam ſingulariter. Re-
Pro. 14. 12. Ibi. 16. 25. uoluat ſæpe animo Salomonis monitum: *Eſt via, quæ videtur homini iuſta, nouiſſima autem eius deducunt ad mortem*. Et alio in loco: *Recta*, pro *Iuſta* ſcripſit, quod magis accommodum eſt rei noſtræ, atque ita Chaldæus vertit. Senſus eſt, rationes quaſdam viuendi rectas videri illis: qui eas iniuerunt, parum conſiderantes viæ finem; ſed re vera diſtortas eſſe atq. fallaces, quod intelligitur in fine viæ ac vitæ, q̃a terminātur æterna morte. Propterea iudicio proprio non eſſe fidēdum, & inſuper habenda ſuſpecta vulgarium hominum iudicia,
Ianſ. Prou. 14. quæ ſolent eſſe plerumque pleniſſima errorum.
Salaz. pro. 14. & 16. Hæc Fere Ianſenins, à quo non diſſentit magnopere Quirinus Salazar noſter. Caſſianus affert hoc
Caſſ. coll. 1 c. 20. teſtimonium, differens de varijs generibus illuſionū, & prudenter. Valet etiā atq. etiā in hac diſputatione. Iuuenibus enim inexpertis, incautis, & forte illuſis ac deceptis, hæc amicitiarum via recta videtur, quòd habet ſpeciē fraternæ charitatis, æmulatur verā amicitiā, quæ virtute nititur; dulcis eſt ob iucūditatē cōuerſationis æqualiū & facetorū. Verū finis initijs non reſpondet; quia non raro

vin

via hæc non opinantes ducit ad mortẽ, præcipites agẽs ſæpenumero in grauia peccata, vt dictũ eſt, eos, qui per eã viã affectu, nõ ratione; ſenſu, non ſpiritu gradiuntur. Recogitent quoque S.Pauli dictum in epiſtola Galatarum: *Sic ſtulti eſtis, vt cum ſpiritu cœperitis, nũc carne conſũmemini?* Genuinus sẽſus eſt, quẽ Benedictus Iuſtin. noſter expreſſit, ex pẽſa vi Græcæ vocis ἐπιτελεῖσθε: ſtultos dici Galatas, quòd percepto Euãgelico ſpiritu per fidẽ, doctrinã & baptiſmũ, retrocederent ad carnẽ legis, per circũciſionem, quæ in carne fit, ac per legalium ceremoniarũ obſeruationem. Ironiã vehementẽ agnoſcit, quaſi dicat, ſic eſtis amentes, vt cũ initiati ſitis ſpiritualibus ritibus & ſacramentis, recedentes à prima initiatione rurſus carnalibus initiemini? Verũ ad moralẽ ſenſũ trahitur paſſim à recẽtioribus doctoribus, atq. intorquetur, vt grauis reprehẽſio ĩ eos, qui ſpiritu vitã inchoãt, & eo reſtincto deſinũt in carnẽ, hoc eſt in peccata. S.Thomas ĩ rẽ noſtrã, agẽs de dilectione proximi: *O quãtorũ capita inſẽſibiliter fracta sũt, & in periculoſã quãdã inſaniã inciderũt: qui ſine ſale diſcretionis, etiã bonos homines dilexerũt, qui ſpiritu cœperũt, & carne cõſũmauerũt?* Idẽ paulo poſt de amicitia differẽs: *Nonnũquã etiã amicitia, quæ ſine vitio naturaliter, vel ſpiritualiter inchoatur, ſubintrãte vitio; carnaliter terminatur: ſic ſtulti facti eſtis etc.* Refertq. poetæ verſus, quos etiã alicubi S.Bernardus habet:

Gal. 3. 3.

Ben. Iuſti. Gal. 3.

S.Th. opuſ 61. c. 1.

Id. c. 5.

Ou. ep. 19. S.Bern. tr. de paſſ. c. 14.

Cœpiſti melius, quàm deſinis: vltima primis
Cedunt: diſſimiles hic vir, & ille puer.

Quòd ſi amicitia ſpiritu inchoata, ex S.Thomæ ſẽtentia, interdum deſinit in carnem; (quod etiam animaduertit Caſſiodorus) quò peruẽtura eſt illa, cui dat initiũ affectus naturalis & carnalis? Merito B.Laurẽtius hoc ipsũ Apoſtoli teſtimoniũ producit, vbi nimiam hanc familiaritatem exagitat.

Sup. n. 53.

Monita pro ſubditis illaqueatis, vt ſoluantur.

59 VEniamus ad tradenda monita promiſſa ijs, qui ſunt damnatis amicitijs illigati, vt his vinculis ſoluantur. Multa ex dictis ad anteuertendum morbum, proficere poſſunt ad ſanitatem recuperandam ægrotorum. Præter illa, ſit primum monitum: Sciant adoleſcentes irretiti ſuam ipſorum amicitiam non poſſe diu Superioribus eſſe occultam, tametſi maxime in ea contegenda laborant. Probatur id tribus rationibus, auctoritate Saluatoris, ex adoleſcentium natura, ex infirmitate iuramenti, quo munita putatur, ſi tamen iureiurando conflata eſt. Dixi primum, non poſſe latere amicitiam ex doctrina Christi; cuius verba hæc ſunt apud Lucam, ſenſus vero etiam apud Matthæum & Marcum. *Non eſt enim occultum, quod non manifeſtetur, nec abſconditum, quod non cognoſcatur; & in palam veniat.* Scio locum ab Hieronymo & Latinis patribus intelligi de reuelatione, quæ facienda eſt in vltimi iudicij die. Non minus probabiliter Græci opinantur progreſſu temporis, etiam in hac vita, quod eſt abſconditum fieri manifeſtum. Horum ſententiam cum Ioanne Maldonato libentius hic ſequor, videns maximam difficultatem ſeruandi ſecreti. Quam multa occultiſſima crimina quotidie pateſiunt in iudicijs tum Eccleſiaſticis, tum politicis? Quæ in ſacramentali confeſſione dicuntur, & ſi premuntur à Sacerdotibus, qui audierunt, ſilentio perfectiſſimo; tamen illi ipſi, qui ea ſunt confeſſi, per loquacitatem amicis produnt, atque amici ſilere neſcij vulgant in populum. Demonſtraui in aſcetico commentario, Eccle-

Luc. 8.18. Matt. 10. 26. Mar. 4.22.

Mal. Matt. 10. §. 26.

Ad reg. 30. comm. n. 23.

cleſiaſtis & patrum teſtimonijs, longas aures habere principes, atque ijs facile omnia innoteſcere; quemadmodum & magnatum domeſtica ſecreta populo quoque fiunt manifeſta. Quamobrem ſapienter S. Eucherius Valerianum monet non eſſe facienda, quæ neſciri volumus ab hominibus. Præclara verba ſunt hæc: *In ſecretis tuis, quod velis homines neſcire, ne feceris: quod Deum, ne cogitaueris.* Quod de principibus ac magnatibus dixi, traho nunc ad Superiores cęnobiorum, qui intra ſua domicilia longas quoque habent aures, quia vigilant attente atque arrectis apertiſque auribus ſuper gregem ſuum; nec deſunt fideles viri, boni communis amantes, qui Superiori nuntiāt, quæ vident audiuntque, ac publico priuatiſque nocere arbitrantur. Secunda cauſa reuelationis eſt adoleſcentis natura, garrulitati obnoxia, & tacendi neſcia; præſertim vel cum iraſcitur, vel iucunditate perfunditur ac liqueſcit in conuerſatione. Notauerunt S. Bonauentura & B. David *Secretorum proditiones*, inter eos amicos euenire, qui non amantur amore ſpirituali, cum alter alteri ſubiratus ac ſuboffenſus eſt. Etenim iræ perturbatio efficit eos impotentes adeo, vt ſecreta nequeant continere. Iucunditas quoque colloquiorum pectus aperit, (præſertim ſi longiora ſunt) ad arcana prodenda; quæ vbi ſunt ſemel patefacta, vulgantur per monaſterium, & prouinciam vniuerſam peruadūnt. Nec prodeſt multum obteſtari amicum, ne patefaciat; quoniam, vt ait Seneca; *Habet vnuſquiſque aliquem, cui tantum credit, quantum ipſi creditum eſt.* Thomas à Kempis, damno ſuo doctus, deplorans hunc prauum morem, hæc ait: *Cautus eſto; quidam ait, cautus eſto, ſerua apud te, quod dico. Et dum ego ſileo, & abſconditum credo, nec ille ſilere poteſt, quod ſilendum petit;*

S. Euch. ep paræn. ad Valer.

S. Bon. & B. David tr. de ſept. proceſſ. n. 6. c. 16. §. 5.

L. Sen. ep. 105.

Th. à kem. l. 3. de imi. Chr. c. 50

S. Chryſ. hom. 3. ad pop. Ant. Id. l. 6. ad a Iudæos.

ſed ſtatim prodit ſe & me, & abit. Antiquus morbus eſt, S. Chryſoſtomo cognitus, qui propterea monebat Chriſtianos, ne vlli dicerẽt ipſi, quę vulgari nolebãt: quoniã, vt *Tu*, inquit, *nõ potuiſti tacere, ita nec ille poterit hæc apud ſe continere.* Manifeſtũ fit ex his, nõ poſſe latere Superiorib. has amicitias, qñ inter domeſticos peruulgãtur, qui tacere neſciũt. Tertio ac poſtremo dixi detegi facillime ſingulares iſtas amicitias ex infirmitate iuramẽti, quo muniũtur; ſi tamẽ aliquibus iuſiurãdũ intermiſcetur. Nã in hoc iuramento nulla vis reſidet obligandi. Ratio præcipua eſt, quia cõtra ius faſq. ſiue contra bonos mores, atq. ad fouendã ſtabiliendamq. rẽ Ordini perniciosã, atq. euerſione digniſſimã conceptũ eſt. Philoſophi & iuriſcõſulti naturali lumine id peruiderũt.

Dion. Halicar. l. 2.

Dionyſius Halicarnaſſeus: *Quod ſi vos clãdeſtino fœdere obſtrĩxiſtis, fideiq. mutuæ Deos teſtes ac vindices adhibuiſtis (forſitã enim & tale quid piã à vobis factũ eſt) cogita fœdus illud, ſi ſeruetur, impium eſſe, vt contra patriam ac ciues initũ, ſi vero violetur, piũ: &c.*

L. iuriſgentium. §. generalit. ff. de pactis. L. imperialis. § Quod eis permittitur. C. de nuptijs. S. Aug. ep. 204. ad Seuer. Mileu 22. q. 4. inter cet. c. quanto. de iureiurando. Soar. t. 2. de relig. l. 2. de iura. c. 15. c. non eſt. de reg. iur. l. 6.

Vlpianus iuriſconſultus in primis doctus: ex Marcelli ſententia: *Generaliter quoties pactũ à iure cõmuni remotum eſt, ſeruari hoc nõ oportet: nec legari (alias legatum) nec iuſiurandum de hoc adactum, ne quis agat, ſeruandum Marcellus l. 2. digeſtorum ſcribit.* Iura clamant idẽ. Iuſtinianus Imperator: *Legibus expreſſum eſt, illicitæ rei iuſiurandum ſeruari non oportere.* Gloſſæ colligunt eas leges. In iure Canonico: S. Auguſtinus apud Gratianũ: *Iuramẽtũ non ob hoc fuiſſe inſtitutũ inuenitur, vt eſſet vinculum iniquitatis.* Innocẽtius III. *Iuramentũ illicitũ* (ideſt de re illicita ex Franciſco Soario) *nullatenus eſt obſeruandũ.* Bonifacius VIII. in regulis iuris: *Non eſt obligatoriũ contra bonos mores præſtitum iuramẽtum.* Eadẽ eſt ſententia priſcorũ patrum, quos recenſẽt Ioannes Maldonatus Societatis Ieſu in commẽta

rio

rio Matthæi: Heribertus Roſuueydus ſodalis itẽ meus diſputans aduerſus Iacobũ Capelũ: Gerard⁹ Vuoſſius in ſcholijs ad S. Ephræm. Eadem eſt vox Theologorum; inter quos idem Soarius luculenter & ſolide probat, non obligare iuramentũ promiſſorium de actu, vel omiſſione culpã mortalẽ, vel venialẽ includẽte; neq. de actu indifferẽti, pro vt indifferens eſt; neq. quod eſt contra bonos mores naturales, aut bonũ commune. Porro iuramẽta hæc, quibus ſe interdũ amiculi iſti adſtringunt, promittentes ſe non patefacturos, neq. ſodalitatẽ contractam, neq. ſociorũ nomina, neq. res, quæ inter ſodales geruntur; ijs potiſſimũ, qui cœnobiũ atque Ordinẽ regunt, inania eſſe quis non videt? Sũt enim contraria communi bono, quod læditur his amicitijs, vt eſt demonſtratũ. Intereſt Ordinis totius cognoſci primum, deinde extirpari atq. exterminari res adeo noxias, quæ vel peccatum graue continent, vel certe leue cum periculo grauiũ: quæ bonos mores naturales, ac religioſos corrumpũt: quæ diſciplinæ regularis vigorẽ eneruant: quæ deniq. multis de cauſis, iniquitatis vincula dici poſſunt. Itaq. vt animo ſumant ad ſeſe extricandos, qui vncti ſũt, audiãt S. Ephræm harũ amicitiarũ peritũ, & eiuſmodi ſacramẽtis nõ aſtringi Religioſos intelligentem: *Non es obnoxius iureiurando, ſi te ipſum à malo elongaueris.* Et poſt: *Videndum igitur, ne dum voluptates noſtras explere deſideramus, iuriſiurandi prætextum adducamus, quaſi amplius nos ex Inimici retibus ſubducere nequeamus.* Subdit exemplum, quo demonſtrat non eſſe in hoc ſeruandum iuramentũ, quod promiſit iniquitatem. Poſtremũ addo, non ſolũ iſtos non obligari ad ſeruandũ hoc illicitũ iuramẽtum; ſed etiã cogi ad nõ ſeruandũ; quia cum ſit illicitum ratione materiæ, ſeruare illud & implere peccatum eſt, vt fuſe probant doctiſſi-

Mald. Mat 14. Herib. Roſuueyd. ſyllabo adu. Iac. Capel lum. c. 7. Ger. Vuoſſ ſchol. ad S. Ephr. t. 1 tr. de virtut. c. 7.

S. Ephr. t. 1 tr. de virt. c. 7.

Fr. Suar. t. 2. de reli. l. 2. de iura men. c. 17. & c. 22. & ſeq. Th. Sanch. de præcept l. 4. c. 9. n. 14. S. Iſid. l. 2. c. 10. c. in malis. 22. q. 4.

tiſſimi Theologi Franciſcus Suarez & Thomas Sanchez: proinde niſi ſe expediant ab eiuſmodi coniurationibus malis, ſunt in ſtatu peccati: nec abſolui poſſunt, ſi ea iuramenta ſeruare velint. Itaque cum S. Iſidoro & Gratiano, vnicuique horum inclamo: *In malis promiſſis reſcindatur fides. Impia enim eſt promiſſio, quæ ſcelere impletur.*

6 Secundum monitum: Intelligant adoleſcentes ſuam ipſorum amicitiam breui deſituram in diſcordiam: proinde ſibi expedire, diſcordiam, odium, altercationes anteuertere prudēti aliqua ratione. S. Bonauentura & B. Dauid, recenſentes argumenta cognoſcendi ſpiritualis & carnalis amoris, docent eorum, qui ſe diligunt amore carnali, dilectionem aliquando metas excedere in blandiendo; nonnumquam tranſilire fines in conturbatione propter aliquam offenſionem: atque inde querelas exiſtere, improperia, deteſtationes, maledicta, clamores, vituperia, proditiones ſecretorum, & alia, quæ manifeſtam, implacabilemque inducunt, aut ſignificant diſcordiam.

S. Bon. & B. Dauid tr. de 7. pro ceſſ. n. 6. c. 36. §. 1.

Tradiderat idem multis ante ſæculis S. Ephræm; qui ſolemne ait eſſe Dæmoni conciliare amicitiā inter eos voluptatis gratia; tum ſubdidit: *Poſteaquam ſuam ipſi damnarint improbitatem, tantum ſæpe odium auget, vt abijciant breuem illam diſcordemque concordiam.* Apud Caſſianum Ioſeph abbas, in tota collatione de amicitia, illud vnum probare conatur, ſtabilem amicitiam non niſi inter perfectos eſſe poſſe: diſcordia perire amicitias, quæ conciliantur amore terreno: ſuamque ſententiam in collationis calce colligit his verbis: *Illud quoque multis experimentis ſæpiſſime eſt comprobatū, nullo modo eos, qui amicitiarum fœdus coniurationis iniere principio, indiruptam potuiſſe ſeruare concordiam:*

S. Ephr. t. 2 in doctr. var. c. 92.

Caſſ. coll. 16. c. 28.

diam: Et poſt: *Certiſſima ergo eſt prudentiſſimorum virorum ille ſententia, Veram concordiam & indiuiduam ſocietatem, niſi inter emendatos mores, eiuſdẽque virtutis ac propoſiti viros ſtare non poſſe*. Hactenus Caſſianus ore Ioſephi locutus. De hoc amicorum genere intelligi poteſt Eccleſiaſticus, vbi ait: *Et eſt amicus, qui conuertitur ad inimicitiam; & eſt amicus, qui odium, & rixam, & conuitia denudabit*. Hoc eſt, ex Cornelio Ianſenio, re aliqua leuicula offenſus, non modo fiet inimicus, ſed etiã peccata tempore amicitiæ notata proferet in publicum. Non ſeruat homini fidem, qui Deo datã fidem violat; quales ſunt amici ſolidarum virtutum expertes; ſodales, inquam, perniciosarum coniurationum in Religionibus. Atque hæc cũ vera ſunt in omnibus amicitijs amore terreno, ſeu carnali conflatis, tum potiſſimum in ſodalitatibus iuniorum; quorum natura, vt prodidit Ariſtoteles, & poſteum M. Tullius; Et cito amat, & cito deſiſtit amare; ex quo ille de adoleſcente vere cecinit:

Cupiduſq. & amata relinquere pernix.

Tertium monitum, ſiue adiumentum, eſt conſideratio turpitudinis ac deformitatis, quæ inquinat has amicitias, quæque apparet communitati ſociorum, cum illæ atque eorum acta patefiunt. Quæ ſcripta ſunt de famæ diſpendio, cadunt ſub hanc conſiderationem, & perſpicuè deformitatẽ earum oſtendunt: ea præſertim, quæ tranſcripſi ex B. Laurentio. Non debet fama bonumque nomen prodigi, monitore S. Hieronymo, qui ſcriptum reliquit: *Apoſtolici, & præcepti eſt, & exempli, vt habeamus rationem, non conſcientiæ tantum, ſed etiam famæ*. S. Ioannes Damaſcenus in Parallelis, tria refert amicitiarum genera. Primum præſtantiſſimum, quod virtute conflatur: al-

Eccli. 6.9.
Ianſ. eccl. 6
Ariſt. l. 2. rhet. c. 12. l. 8. eth. c. 3.
Cic. l. 1. off.
Hor. in Poet.
S. Hier. ep. 14. ad Celant.
S. Io. Damaſc. l. 3. Parall. c. 105.

alterum medium, quod in mutuæ vicis commercio conſiſtit;eſtq. liberale atq. vtile ciuitatibus:tertium,quod ex conſuetudine ac familiaritate cōtrahitur. *Primum*, inquit, *amicitia genus philoſophi eſt: alterum hominis:tertium animantis ratione carentis*. Sapienter S. Ioannes belluinum hoc tertiū genus eſſe arbitratur:tum quia pendet ab affectu, quem cum belluis communem habemus:tum quia videmus animalia eiuſdem ſpeciei, quæ ſimul iter habuerint, vel in eodem loco vna diu frequenter ue ſtabulata fuerint,quandam contrahere amicitiam.

61 Quartum ac poſtremum monitum: Vbi diuini luminis ductu, & Maiorum patrumq. ſpiritualiū monitu, te illaqueatum amicitia ſingulari deprehenderis,illico abrūpe pedicas,laqueos,& vincula,quibus aſtringeris. S. Ephræm eſt nobis ſuaſor dicens: *Si cū Fratre amicitiam habeas;teq. conſcientia tua arguat,quaſi ex eiuſmodi coniunctione detrimentum animæ ſuſtineas;te ipſum ab eo ſepara*. Nō eſt dubitandum,quin ſint damnoſi ſodales harum amicitiarum,vt ſæpe probatum eſt. Hanc ob cauſam conſulto dixi,vincula illico abrumpenda eſſe. Propterea non hic vtendum eſt Tulliana regula, de amicitijs diſſuendis,non reſcindendis, quia periculum eſt in mora,quòd ſit pernicioſa, & meliorē habemus & regulā & magiſtrum. Iacobus Aluarus producit dictum Saluatoris in rem pręſentē: *Si autem manus tua,vel pes tuus ſcandalizat te; abſcide eū, & proijce abs te, etc. Et ſi oculus tuus ſcandalizat te,erue eum &c.* Senſus præcipuus ac litteris incluſus,mihi videtur eſſe is, quem Ioannes Maldonatus expreſſit,à chirurgorum arte deſumptum: exaggerationem eſſe, potius oculos & manus cariſsima membra perdēda eſſe,ſi liceret ac fieri poſſet, vt ita ſeruetur: quoduis damnum potius ſubeun-

S. Ephr. t. 2 ſer. Attende tibi. c. 30.

Cic. l. de amic.

Iac. Alu.

Matt. 18. 8.

Mal. Matt. 5. n. 29. 30.

beũdum, quàm culpâ. Metaphorico moraliq. ſenſu, cõmunis Patrũ opinio eſt, repellendos à nobis eos, qui nos alienant à Deo, quãuis arctiſſima, cognationis, familiaritatis, amicitiæ coniunctione nos attingãt. Itaq. noſtras amicitias, quas noxias probaui, Saluator reſcindendas præcipit: quod antea Deus ipſe in Deuteronomio monuerat, iubens amicum interfici maximè dilectum, qui colenda idola ſuaderet. Non omnia patrũ dicta referã, ſed illuſtriora. S. Chryſoſtomus aduerſus Anomæos diſputans: *Si amicitiæ detrimento ſint, & ad societatem ſuæ impietatis inuitẽt, recedendum reſiliendũq. eſt.* Inſerit Chriſti verbum de oculo eruendo, negat de corporeo intelligendum eſſe: ait ita locutũ Chriſtum, *Quò oſtẽdat præſtare, ſique amicũ habeas etiam carum, perinde ac tuum oculum, eũ quoq. reycere, & a tua præcidere familiaritate; ſi modo te ſcandalizet, hoc eſt, noceat animæ.* Poſthæc iterum fugiendas amicitias noxias ſuadet: ſi non nocent, ducendos amicos ad meliora: ſi neq. prodeſſe amico poſſis, neq. vitare damnũ ex eo, *Fugiendæ,* inquit, *ſunt amicitiæ, ſi offendant.* Idem explanans Euangelium Matthæi, docet eadẽ, & inſuper ex verbis, *Erue & proijce abs te,* deducit perfectam ſeparationem eſſe faciendã ab amicis & caris, quod etiã Euthymius obſeruauit. S. Hieronymus è lõgiore diſputatione ſuccum exprimens ait: *Itaque non frater, nõ vxor, non filij, non amici, non omnis affectus, qui nos excludere poteſt a regno cælorum, amori Domini præponatur.* Et diſputans aduerſus Pelagianos, ait hæc membra reſcindenda per tropologiam ſumi *pro amiciſſimis & conſanguineis, & fraterno nobis amore ſociatis.* Theophylactus locum intelligit, *De his, qui videntur amici, & nocent nobis, vt exempli gratia, Adoleſcẽs eſt, cui sũt amici intẽperãtes, a quibus dãnũ accepit, hos igitur amputa, inquit, fortaſſis & illos*

Deut. 13. 6. 8. 9.

S. Chryſ. hom. 1 adu. Anom.

Id. ho. 17. in Matt.

Euthym. Matt. 5.

S. Hier. Matt. 18.

Id. l. 3. adu. Pelagian.

Theophyl. Matt. 5.

ſer-

ſeruabis, vbi hoc perſenſerint. Quod ſi minus; certe vel te ipſum. Si autem amas illorum amicitiam, vtrique peribitis. Alio in loco non minus apposite. *Per manum, pedem, & oculos; intellige amicos, quos membrorum loco habemus. Etenim ſi hi tales fuerint, qui nobis noceant; hoc eſt, ſi familiares amici fuerint, oportet contemnere eos, vt membra putrida, & exſecare, ne alijs noceant.* Eadem fere habet Anaſtaſius Nicęnus, & alij multi patres Græci Latinique ab Ioanne Maldonato relati.

Id. Matt. 18.

Anaſt. Nic q. 73. in Script.

CAP. IX. Vtrum in Religionibus amicitia vlla permitti poſſit & qualis.

62 NONO poſtremoque capite paucis exquiratur, Qualis & quatenus amicitia toleranda ſit in conuentibus Religioſorum. Primum pronuntiatum ſit: Eſſe poteſt inter Religioſos laudabilis quędam amicitia, quæ non modo moralis ſit, qualem ſibi mente conceperunt Plato, Ariſtoteles, Cicero, L. Seneca, Plutarchus, & ſi qui alij de illa ſcripſerunt: ſed etiam Chriſtiana; qualem optabăut eſſe S. Ambroſius, Auguſtinus, Caſſiodorus, & alij patres, qui de ea diſſeruerunt. Immo quæ ſit ſpiritualis; cuius veteres ſub hac voce meminerunt. S. Chryſoſtomus Reginam vocat. Petrus Bleſenſis laudans quemdam canonicum regularem omnibus virtutibus inſignem, ait hæc inter cetera: *Sic facta ipſius & dicta quidam fauor cęleſtis gratificat, vt aſpectus eius & ſermo eiuſdem, ſibi fere omnes in vinculum amicitiæ ſpiritualis alliciat.* S. Bernardus ſpiritualis charitatis mentionem facit in libro de paſſione Domini: intelligens, vt opinor, hanc amicitiam morali ſanctiorem. Hanc fuiſſe reor illam,

S. Chry. ho 1. in ep. Coloſſ.

Blel. in in neſt.

S. Ber. l. de paſſ. Dom. c. 10.

Cli. gr. 26.

quæ monachos geminos copulabat apud Clima-
cum; qui, nequem ſodalem offenderent, ab acti-
bus amicitiæ abſtinuerunt. De hac ipſa puto cum
S. Antonino, diſputare Caſſianum, ſub perſona
Ioſephi in collatione xvi. quæ eſt de Amicitia:
de qua ſic ait idem S. Antoninus: *Super omnes a-* S. Anto. p.
micitias Mundi perfectiſſima & fructuoſiſſima eſt il- [illegible]
la, quà aliqui, vel aliqua, ſub vna regula & Religio- §. 6.
ne in debita obſeruatione viuunt. De hac amicitia
præſtantioris Ordinis intelligo multa ſapientis
dicta; cuiuſmodi eſt illud Eccleſiaſtici: *Qui timet* Eccl. 6. 17.
*Deum, æque habebit amicitiam bonam: quoniam ſe-
cundum illum erit amicus illius*. Secundum pronun-
tiatum: Hæc amicitia ſine fundamento virtutũ
ſtare non poteſt: hoc eſt, nonniſi inter virtute
præditos conſiſtere: virtute inquam, non modo
morali, quam Ariſtoteles, Cicero, Plutarchus Ar. l. 8. eth. c. 3.
in amicitia requirebant, ſed etiam Chriſtiana & Cic. l. de Amic.
religioſa. Caſſianus collationem de amicitia di- Plut l. de pauc. amic
ſputationemque concludens ait, certiſſimam pru-
dentiſſimorum virorum eſſe ſententiam, *Veram* Caſſ. coll.
concordiam & indiuiduam ſocietatem niſi inter emen 16. c. 5. 28.
*datos mores eiuſdemque virtutis ac propoſiti viros ſta-
re non poſſe*. Quam ſententiam magiſtrorum ex- S. Ambr. l.
preſſerat initio collationis. S. Ambroſius ante Caſ- 3. off. c. 10.
ſianum: *Non poteſt homini amicus eſſe, qui Deo fue-
rit infidus: pietatis cuſtos amicitia eſt*. S. Auguſti-
nus damnans amicitiam ſuam cum adoleſcente,
cuius mortem nimium doluit: *Non eſt vera* ami- S. Aug. l. 4.
citia, *niſi cum eam tu agglutinas inter inhærentes tibi* conf. c. 4.
*charitate diffuſa in cordibus noſtris, per Spiritum ſan-
ctum, qui datus eſt nobis*. Retuli ſupra S. Damaſce- Sup. n. 60.
ni opinionem, perfectum amicitiæ genus in vir-
tute collocantis: quam ſequitur Elias Cretenſis. El. Cret. in or. 1. Naz. n. 14.
Caſſiodorus, & ſi dulceſcere amorem docet affe-
ctu, ſolam tamen virtutem eſſe diligendi cauſã, Caſsiod. l. de amic. §. ſimilitud.

Th. 2.2. q. 23. ar. 3. ad 1. Val. t. 3. diſp. 3. q. 1. de char. pun. 2.

ex ſola ratione vult in amicitia perfecta, quòd affectus ſit periculoſus. Legatur S. Thomas Aquinas, & Gregorius de Valentia, vbi diſputant de Amicitia; quoniam non eſt mihi nunc animus de amicitia iuſtum texere tractatum: ſed ſatis eſt probaſſe, veram ſpiritualemq. amicitiam, nonniſi inter probos atque ſpirituales eſſe poſſe.

63 Tertium pronuntiatum: Iucundiſsima res eſt amicitia ſpiritualis. Colligitur primum è iucũditate, quam ex amicitia morali philoſophi cultores eius percipiebant, numerantes amicos inter iucunda. Vnus ſufficiat hoc loco L. Seneca huius ſuauitatis teſtis. *Nihil æque oblectauerit animũ, quã amicitia fidelis & dulcis. Quantum bonum eſt, vbi sũt præparata pectora, in quæ tuto ſecretum omne deſcendat: quorum conſcientiam minus, quàm tuam timeas: quorum ſermo ſolicitudinem leniat; ſententia conſiliũ expediat; hilaritas triſtitiam diſſipet, conſpectus ipſe delectet?* Deinde intelligitur ex iucunditate Chriſtianæ amicitię, quam S. Ambroſius æmulatione Senecæ, non minus feliciter deſcribit his verbis: *Solatium quippe vitæ huius eſt, vt habeas, cui pectus aperias tuum; cum quo arcana participes; cui committas ſecretum pectoris: vt colloces tibi fidelem virum, qui in proſperis gratuletur tibi, in triſtibus cõpatiatur, in perſecutionibus adhortetur.* Petrus Bleſenſis, qui Senecam & Sanctum Ambroſium legerat: *Nihil eſt in rebus humanis amicitia dulcius, nihil inuenitur ſuauius, nihil fructuoſius conſeruatur. Habet enim fructum vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ. Homo ſine amico, non habet cui vota & affectus ſuos communicet, cui conſcientiæ ſuæ ſinum aperiat, vel aliquid de moleſtijs ſuis manifeſtet. Solus eſt, qui ſine amico eſt. Vere ſolus, quia ſi ceciderit, non habet ſubleuantem. E diuerſo quanta eſt iucunditas, quanta ſecuritas, habere cum quo loquaris, quaſi tecum, cui cordis tui arca-*

Ar. l. 1. rhe c. 38.

L. Sen. l. de an. tranq. c. 7.

S. Ambr. l. 3. off. c. 16.

Pet. Bleſ. l. de amic. c. 2.

num committere audeas; quem in tuis ſecretioribus habeas quaſi te ipſum; cui omnia tua plena ſecuritate reueles? Eccleſiaſticus quoque magni æſtimat fidelem amicum, cum ait: *Amicus fidelis protectio fortis: qui autem inuenit illum, inuenit theſaurum. Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis.* S. Auguſtinus recenſet alias quaſdam voluptates, amicitiæ fructus, non illius perpurgatæ, quam nondum erat aſſecutus: *Colloqui & corridere, & viciſſim beneuole obſequi; ſimul legere libros dulcilòquos, ſimul nugari, & ſimul honeſtari; diſſentire interdum ſine odio, tamquam ipſe homo ſecum, atq. ipſa rariſſima diſſenſione condire conſenſiones plurimas; docere aliquid inuicem; aut diſcere aliquid ab inuicem; deſiderare abſentes cum moleſtia, ſuſcipere venientes cum lætitia.* Hæc S. Auguſtinus. Sūmā eſſe oportet ſuauitatē dulcedineq. ſpiritualis amicitiæ, quādo inter viros ſpirituales sūma eſt fidelitas arcanorū; & in conſilijs dandis non vulgaris prudentia; ſine contentione colloquiū, ſine ſcurrilitate ioci, ſine adulatione laus, ſine acerbitate reprehenſio. Plura de hac iucunditate legēs apud Hieronymū Platū differentē de bono ſtatus religioſi. Quartū pronuntiatū: Vtiliſſima eſt hæc amicitia; ſi, vt par eſt, ac decet viros ꝓbos ac vere ſpirituales, ij q̃ ea vinciūtur, in bonū publicū cōſpirēt. Superiores cū ſubditis, & vtriq. inter ſe; iuniores cū ſeniorib. magiſtri cū diſcipulis; laici cū clericis cōcordēt ad Ordinis inſtitutū cōſeruādū; ad diſciplinā religioſā reſtringendā potius, quā laxādā: ad ſpiritū inflāmandū; deuotionē augendā, charitatē mutuā alendā, ad miniſteria Religionis propria ſtrenue exercēda, ſtudia litterarū & doctrinarū ꝓmouēda, & bonū exēplū ꝓximis exhibēdū. S. Bernardi

Eccl. 6. 14. 15. 16.

S. Aug. l. 4. confeſſ. c. 8.

Hier. Plat. l. 3. de bono ſt. relig. c. 10.

nardi monitum eſt hoc hortantis amicos ſpiritua-
les ſeſe mutuo calefacere: hoc eſt; *Vt alter ab alte-*
S. Ber. tr. de paſſ. *ro ad charitatis exercitia mutuo accendantur. Hoc e-*
Dom. c. 10 *nim eſt efficax ſignum veræ & puræ charitatis; quod*
hi, qui ſpirituali dilectione ſpiritualiter connectuntur
per puram charitatem, ad exercitia ſpiritualia alteru-
trum accendunt, vt deuotius orare, ſæpius genufle-
ctere, frequentius diſciplinam corporalem ſuſcipere li-
beat &c. Quintum ac poſtremum pronuntiatum:
Si Spiritus ſanctus adſit, hæc ſpiritualis amicitia
S. Anton. non eſt niſi fraterna charitas, vt S. Antoninus atti-
p. 1. tit. 6. git, & Bernardinus Roſignolius noſter pluribus
c. 2. §. 6. Roſign. l. 4 docet. Proinde minus neceſſaria eſt inter Religio-
de diſcipl. ſos amicitia vlla peculiaris. Immo ſemper ami-
&c. c. 27. citiæ nomen in communitatibus huiuſmodi ſuſpe-
ctum eſt. Exinde apud Climacum, officia peculia-
Clim. gr. 6 ris amicitiæ inter illos, qui ſe caſtiſſimo amore di-
ligebãt, intermiſſa ſunt. Superiores affectu paterno
gubernantes, ſeniores prudentes magiſtroſque
ſpirituales habent ſingula cœnobia bene conſtitu-
ta, quos Religioſi conſulant; quibus arcana tuto
committant; vnde conſolationem in aduerſis ca-
piant; habent & ceteros ſodales ſpirituales, qui-
bus cum ſtatis horis colloquentes, fraternæ chari-
tatis, quæ perfecta eſt amicitia, ſolatium fructuſq.
decerpant.

FINIS.

INDEX TESTIMONIORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ;

Quæ in his tractatibus, vel explicantur, vel producuntur.

Prior numeri nota deſignat tractatum; poſterior paragraphum: atque idem ſeruatur in ſequentibus indicibus.

Geneſis.

2. 15. POſuit in parad. volupt. vt operaretur. 1. 9.
3. 17. In laboribus comedes ex ea &c. 1. 10.
19. In ſudore multus tui veſceris &c. 1. 10.
37. 4. Oderant eum, nec poterant ei pacifice loqui. 3. 16. 51.

Exodus.

4. 6. Protulit leproſam inſtar niuis. 1. 17.
5. 17. Vacatis otio, & idcirco dicitis. Eamus.

1.2.7.

1.2.7.
21. Fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Phar.1.30.
30. 23. De oleo conſecrationis Aaron. 1. 29.

Deuteron.

4.iux.70.Attende tibi ipſi. 1.25.
4. 25. Deus noſter ignis conſumens eſt. 1.19.
6. 5. Ex toto corde tuo &c. 3. 28.
13. Et illi ſoli ſeruies. 3.28.
10. 18. Amat peregrinum &c.3.10.
19. Et vos ergo amate peregrinos &c. 3.10.
20. 5. & ſeq.Quis eſt homo,qui ędificauit dom. nouam &c. 1.11.

Primus regum.

3. 1. Et ſermo Domini erat pretioſus. 1.33.
7. 3. Et ſerui te ei ſoli. 3.28.

2. Regum.

3. 26. Nec mihi,nec tibi,ſed diuidatur. 3.29.

2. Paralip.

19. 2. Impio prębes auxiliũ & his,qui &c.3.56.

Iob.

5. 7. Homo naſcitur ad laborem &c. 1.10.

Pſalmi.

45. 11. Vaca.& videte,quon.ego sũ Deus. 1.2.
62. 11. Partes vulpium erunt. 3.29.
73. 23. Aſcendit ſemper. 3.13.
79. 14. Singularis ferus depaſtus eſt eam.3.19.
127. 2. Beatus es & bene tibi erit. 1.19.
132. 1. Ecce quàm bonum & quàm iucundum &c.1.29.
140. 5. Oleum autem peccatoris non impinguet &c. 3.57.

Prouerbia.

6. 6. Vade ad formicam ò piger &c. 1.8.
6.iux.70. Vade ad apẽ,& diſce quàm ſit oper.1.8.
6. 11. Et veniet tibi quaſi viator egeſtas &c. 1.20.

20.
10. 19. In multiloquio non deerit peccatum. 1.
28. 2.16.25.
11. 21. Manus in manu non erit innocens malus. 1.17.
12. 11. Qui operatur terram ſuam ſatiab. panibus. 1.4.
13. 4. Vult & non vult piger: anima autẽ &c. 1.21.
14. 12. Eſt via quæ videtur homini iuſta &c. 3.58.
16. 25. Eſt via quæ videt. hom. recta &c. 3.58.
26. Anima laborantis laborat ſibi. 1.10.
23. 21. Et veſtietur pannis dormitatio. 1.20.
24. 30. 31. Per agrum hominis pigri tranſiui. &c. 1.19.
34. Et pauperies quaſi vir armatus. 1.20.
28. 14. Qui ſemper eſt pauidus. 3.38.
19. Qui ſectatur otium replebitur egeſt. 1.20
30. 19. Viam viri in adoleſcentia. 3.46.
31. 27. Panem otioſa non comedit. 1.14.
Eccleſiaſtes.
1. 3. Occupationem peſſimam. 1.10.
1. 5. 6. Oritur Sol & occidit & quæ ſeq. 1.8.
10. 1. Muſcæ morientes perdunt ſuauit. vngu. 1.29.
3. Cum inſip. ſit, omnes ſtult. exiſt. 2.25.
20. Aues cæli portab. voc. tuam. 2.24.
12. 12. Frequens medit. carn. affl. eſt. 1.3.
Cantica.
1. 6. Filij matris meæ pugnauerunt contra me. 3.12.
2. 1. Ego flos campi & liliũ conuallium. 1.30.
3. 1. In lectulo meo per noctes &c. 3.29.

Sapientia.
8. 2. Amator ſum factus formæ illius. 3.35.
Eccleſiaſticus.
3. 27. Qui amat periculum in illo peribit. 2.23.
3.38.
4. 23. Fili conſerua tempus. 1.32. 2.17.
6. 9. Eſt amicus, qui conuertitur ad inimicitiam. 3.60.
14. Amicus fidelis protectio fortis. 3.63.
15. Amico fideli nulla eſt comparatio. 3.63.
16. Amicus fidelis medicam. vitæ. 3.63.
17. Qui timet Deum æq. hab. amic. bon. 3.62.
9. 9. Propter ſpeciem mulieris multi perierunt. 3.36.
13. 19. Omne animal diligit ſibi ſimile &c. 3.4.
14. 5. Qui ſibi nequam eſt &c. 1.22.
33. 28. Mitte illum in operat. 1.4.24.
29. Multã malitiam docuit otioſitas. 1.4.24.
36. 24. Species mulieris exhilarat faciem viri ſui. 3.36.
38. 25. Sapientia ſcribæ in temp. vacuitatis. 1.12
Iſaias.
1. 14. Calendas veſtras & ſolemnit. veſtras od. an. m. 1.3.
28. 20. Coanguſtatum eſt enim ſtratũ &c. 3.29.
Ierem. Threni.
1. 7. Deriſerunt Sabbata eius. 1.25.
Ezechiel.
16. 25. Diuaricet pedes ſuos &c. 1.26.
49. Saturitas panis & otium. 1.25.26.
Oſeæ.
10. 2. Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt. 3.29.
Micheas.
7. 6. Inimici hominis domeſtici eius. 3.12.

Zac-

Zaccharias.
13. 7. Percute paſtorem, & diſpergentur oues. 3.52.
1. Machab.
12. 10. Maluimus mittere ad vos renouare amic. 2.15.
11. Memores ſumus veſtri in ſacrif. 2.30.
Matthæus.
4. 10. Et illi ſoli ſeruies. 3.28.
6. 24. Nemo pot. duob. dom. ſeruire. 3.29.
7. 16. Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. 3.46
10. 36. Inimici hom. domeſtici eius. 3.12.
12. 33. Ex fructu arbor cognoſcitur. 3.46.
18. 6. Qui autem ſcandalizauerit vnũ &c. 3.40.
7. Væ homini illi, per quem ſcandalum venit. 3.40.
8. Si manus tua, vel pes tuus ſcandal. te. 3.61
20. 7. Quid hic ſtatis tota die otioſi. 1.4.17.
26. 31. Percute paſtorem &c. 3.52.
73. Loquela tua manifeſtum te facit. 2.28.
Lucas.
8. 18. Non eſt enim occultum, quod non manifeſtetur. 3.59.
13. 6. 7. de ficu infructuoſa. 1.19.
14. 23. Medice cura teipſum. 3.51.
16. 13. Aut enim vnum odio habebit. &c. 3.29.
19. 20. Repoſitum in ſudario. 1.21.
Ioannes.
5. 17. Pater meus vſq. modo operatur &c. 1.8.
13. 24. Quem diligebat Ieſus. 3.41.
Actus.
7. 39. Auerſi ſunt cordibus ſuis in Ægyptum. 2.19.
8. 28. De Eunucho Candacis Reginæ. 1.13.
Ep. Roman.
12. 11. Spiritu feruentes. 3.26.

17. Prouidentes bona non ſolum coram &c. 3.40.
13. 7. Reddite ergo omnibus debita &c. 3. 17.
8. Nemini quidquam debeatis, niſi &c. 3. 17.

1. Corinth.

5. 3. Abſens corpore, præſens ſpiritu. 2.3.
7. 33. Quo modo placeat vxori & diuiſus eſt. 3. 29.
10. 19. Vt quid libertas mea iudic. ab infid. 3.40.
32. Sine offenſione eſtote Iudæis &c. 3.40.
12. 21. Non poteſt oculus dicere manui &c. 3.10
13. 4. Patiens eſt, non æmulatur. 3.50.
15. 33. Corrumpunt bonos mores colloquia mala. 3.58.

2. Corinth.

2. 14. Odorem notitiæ ſuæ & ſeq. 1.30.

Galat.

3. 3. Vt cum ſpir. cœper. nunc carne conſum. 3.58.

Philipp.

2. 4. Non quæ ſua ſunt ſinguli conſider. 3.40.
3. 19. Qui terrena ſapiunt. 3. 34.

1. Theſſalon.

4. 11. Et operam detis, vt quieti &c. 1.17.

2. Theſſalon.

1. 3. Et abund. charitas vniuſcuiuſq. 3. 16.
2. 2. Neque per epiſtolam tamquam per nos miſſam. 2.31.
3. 7. Quoniam non inquieti fuimus. 1.13.17.
10. Si quis non vult operari, nec manducet. 1. 5. 23.
11. Quoſdam ambulare inquiete. 1.17.27.
17. Gratia Dom. noſtri Ieſu Chriſti &c. 2.30. 31.

1. Ti-

1.Timoth.
1. 2. Gratia, miſericordia & pax. 2. 29.
5. 13. Diſcunt circuire domos &c. 1.4.27.
Hebræorum.
1. 14. Omnes adminiſtratorij ſpiritus. 1.8.
5. 7. Cum clamore valido & lacrymis. 3.25.
Ep. Iacobi.
1. 1. Salutem. 2. 29.
1. Petri.
1. 2. Gratia vobis & pax. 2. 29.
1.Ioannis.
3. 18. Opere & veritate. 1.40.
2. Ioan.
1. 3. Gratia, miſericordia & pax.2.29.
Iudas.
1. 2. Miſericordia vobis, & pax & char. 2.29.
Apocal.
3. 16. Incipiam te euomere &c.3.28.

Digitized by Google

INDEX RERVM ET VERBORVM.

Quæ his tribus tractatibus continentur.

A

ACceptio perſonarum eſt in dam. amicitijs. 3.17.
Acedia otij cauſa, parens &c. 1.35.
Adamo interdictum otium in paradiſo. 1.9.
Adoleſcentium amicitiæ ſingul. dam. 3.14.
Affectationes verborum in epiſtolis vitandæ. 2.27. 28.
Affectio, ſeu affectus quid ſit, & quotuplex. 3.3. 33. quæ bona. 3.32.
Affectus carnalis quid ſit. 3.34.
Amare multos ſimul excellenter non poſſumus. 3.27.
Amicitia vera poſſitne eſſe in Religione. 3.62. iucundiſsima & vtilis. 3.63.
Amicitiæ priuatæ ſeu peculiares ſunt cauſa otioſitatis. 1.35. item multarum litterarum ſcriben-

bendarum. 2. 23. cognitæ fuerunt antiquis magiſtris & Sanctis. 3. 1. quid ſint. 3. 2. earum cauſæ efficientes. 3. 3. diu latere nequeunt. 3. 59. deſinunt in diſcordiam. 3. 60 non sũt parui momenti. 3. 39. non faciunt tutos in conſciẽtia. 3. 40. difficulter deprehẽdũtur & cur. 3. 43. ſimulant virtutem. 3. 43.

Amicitiarum ſingularum cultores ſtudioſi latendi. 3. 43.

Amoris nomen male ſonat. 3. 35. damnati indicia ex ſanctorum doctrina. 3. 49. 50.

Amor ex affectu degenerat facile in pernicioſum. 3. 38. amor amorem pellit. 3. 27. excellens vnicus eſt. ibid. concilians amicitias damnatas tribus facibus alitur. 3. 4.

Amor Platonicus quis ſit. 3. 35. damnatur. 3. 35. 36. 37.

Amor diuinus retunditur ab amic. peculiaribus. 3. 27.

Amor propinquorum, patriæ, ac peculiaris mortificandus, vt ſcriptio epiſtolarum minuatur. 2. 23.

Apis inimica otij. 1. 8. 16.

Aſſentationes in epiſt. vitandæ. 2. 27. 28.

Auaritia temporis laudabilis. 1. 33.

Aulicifmus cauſa ſcribendi mortificandus. 2. 23. ablegandus ab epiſtolis. 2. 28.

Aurum probum quomodo cognoſcatur. 3. 45.

B

Beneuolentia peculiaris amiculorum in communi vita non eſt bona. 3. 32.

Bona intentio non facit amicitias bonas. 3. 38.

Breuitas accurata epiſtolarum laudabilis. 2. 25.

Caſus

C

Caſus reſeruatus qualis circa litteras. 2. 21.
Cauſæ otij tollendæ. 1. 35.
Cauſæ legis de epiſtolis non ſcribendis. 2. ii. 12.
Cautiones in ſcribendis litteris recẽſentur. 2. 4. & ſeq. ad vitãdos laqueos peculiariũ amicit. 3. 56.
Character epiſtolarum. vide Locutio.
Charitas alitur mutua ſcriptione litterarum. 2. 15 rationes quatuor proferuntur. ibid.
Chriſtus an ſcripſerit epiſtolas. 2. 16. eius exemplum damnat otium. 1. 13.
Circumſpectio adhibenda in litteris. 2. 25.
Clauſula epiſtolæ religioſæ qualis. 2. 30.
Cogitationes prauæ ab otio. 1. 25. minus honeſtæ ab amicitijs. 3. 22.
Cognationis amicitia inter conſanguineos. 3. 8. quæ res faciant illam odioſam. 3. 9.
Cognoſcendi modus duplex. 2. 2.
Colloquia vetita indicant amicitias. 3. 48.
Comeſſationes & compotationes malorum vitandę. 3. 54.
Commercium litterarum cum conſanguineis cõprimendum. 2. 19. inter amicos peculiares. 3. 53.
Coniuratio clandeſtina interuenit amicitijs damnatis. 3. 7.
Cõſideratio damnorũ & pericul. in amic. prodeſt ad eas vitãdas. 3. 58. itẽ turpitudinis earũ. 3. 60.
Conſilia praua indicant malam amicitiam. 3. 50.
Conſpiratio ineſt amicitijs damnatis. 3. 6. damnatur. 3. 12.
Conſuetudo cauſa amicitiæ. 3. 4.
Conterraneorum ſodalitates damnantur. 3. 10.
Contraria contrarijs curantur. 1. 36.
Conuerſatio otioſa effectus amicitię iuniorũ. 3. 24
Cor humanum impar duobus amoribus, & integrum Deo ſeruandum. 3. 29.

Corpori

Corpori nocet otium. 1.8.22.
Coſmopolitæ debent eſſe Religioſi. 3. 10.
Crucis ſignum prçmittendum epiſtolis. 2. 29.
Culpæ quç poſſunt eſſe in amicitijs peculiar. recē-ſentur. 3. 21.
Curioſitas filia otioſitatis. 1.17.27. quid ſit & vnde oriatur. 2.27. mortific. in ſcribēdis litteris. 2.23

D

DAmna octo ex freq. ſcriptione litterarum. 2. 16.17. ex litteris principes. 2. 18. ad propinquos. 2.19. ad feminas. 2.20. ex amicitijs peculiaribus. 3.15. & ſeq.
Dæmon in corde otioſi, vt araneus in centro retis. 1.18. multis in rebus ſimilis. ibid. cooperatur dānatis amicitijs. 3.5. docet occultari. 3.44. eas vertit in diſcordiam. 3.60.
Debitum charitatis nunquam ſoluitur. 3. 17.
Dementes ſunt, qui pugnant contra matrem Relig. 3.12.
Deſidia, vide otioſitas.
Deus fugit ac fugat otiū. 1.8. nō poteſt amari cum creatura sūme &c. 3.27. ſolus coli vult. 3.28.
Dilectio peculiaris eſt diſſidium. 3.16.
Diſciplinç laxitas & libertas finis conſpirationū ſeditioſarum. 3.12. euertitur per amicitias peculiares. 3.18.
Diuitiarum ſpirit. inopia otioſo aduenit. 1.23.
Doctores antiqui. vide Patres,
Dux amicitię tollatur. 3.52.

E

EFfectrix amicitiarum damnatarum. 3. 3.
Effuſio ad exteriora cauſa ſcriptitandi mortificanda. 2.23.
Egeſtas pœna otioſi triplex. 1.20. radices huius egeſtatis tres. 1.21.
Eiectio ab Ordine pęna conſpirationum. 3.55.

Fei-

Epiſtola cur inuenta. 2.2. mirabile inuentum ingenij & cur. ibid. facit præſentes de abſentibus. 2. 3 ſine nomine caret fide. 2. 31. earū ſcriptor immoderatus multa lucra perdit. Vide Litteræ.
Excommunicatio quædam numeratur in pœnis Religioſ. 3. 14.
Excuſationes ſex amicitiæ damnatę refutantur. 3. 31. & ſeq.
Excuſatio nimia erratorum conſanguineorum vituperatur in Religione. 3.9. indicium amicitiæ damnatæ. 3. 50.
Exemplum Chriſti & Sanctorum damnat otium. 1.13. Exemplum Superiorum prodeſt ad amicitias tollendas. 3.51.

F

FAma bona obſcuratur amicitijs ſingularibus. 3. 24.
Familiaritas Dei in ſpiritual. exercitijs perditur per amicitias. 3. 30.
Familiaritas nimia damnatur inter conſanguineos. 3. 9. inter ſeniores & iuniores. 3.13.24. inter adoleſcentes. 3. 14. nocet charitati fraternæ. 3.16. vitata ab antiquis monachis. 3.24. index amicitiarum. 3.47. tollenda per Superiores. 3.53. à ſubditis vitanda. 3.57.
Feminis raro ſcribendum. 2.20. caute. 2.25.
Feruor diuini amoris fugat otium. 1.40. quid ſit. 3.26. extinguitur peculiaribus amicitijs. 3. 25. 26.
Flagitia & fornicationes partus otij. 1.26. item ex amicitijs peculiaribus. 3.23.
Fomes vitiorum otioſitas. 1. 24.
Forma ſcribendi qualis. 2.28. & ſeq.

Formica otij inimica. 1.8.
Fuga ſodalium prauorum cautio pro conſpiratio-nibus vitandis. 3.16.
Fuſtigatio pœna militaris. 3.54.

G

Garrulitas ex otio. 1.27.28.
Gaſtrimargia, ſeu Gulæ vitium in amicitijs peculiaribus. 3.21.
Gemmæ veræ à falſis quomodo cognoſcantur. 3.45.
Gratia ſpecialis otioſo ſæpe negatur. 1.19.

H

Hominis inſtitutio & natura contraria eſt otio. 1.9.
Hominum tribus generibus raro ſcribendum. 2.18.
Hora vna totius vitæ portio eſt. 1.32.

I

Imaginatio morbi, cauſa otij. 1.35.
Incitamenta ad pellendum otium. 1.4. & ſeq.
Indicia latentis amicitiæ pernicioſæ explicantur. 3.42. & ſeq. Indicia pro Superioribus. 3.47. 48. pro ſubditis. 3.49.
Ingenio nocet otioſitas. 1.22.
Inopia temporis laboramus. 1.33.
Inquieti dicuntur & ſunt otioſi. 1.13.17.
Intentio bona non excuſat amicitias. 3.38.
Inuidia oritur ex amic. ſingulari. 3.16.
Ioannes an peculiariter à Chriſto dilectus. 3.41. non tuetur peculiares amicitias. ibid.
Iuramentum interdum adhibetur in amic. peculiar. 3.6. non obligat. 3.59.
Iuſtitia violatur amicitijs peculiaribus. 3.17.
Iuuenis in otio, iuuencus ſine iugo. 1.18. iuuenū amicitiæ damnatæ. 3.13. quis earum finis. ibid.

La-

L

LAbor hominis proprius. 1.9. præcipue in ſtatu naturæ lapſæ. 1.10.
Labor manualis in vſu monachorum veterum fugat otium. 1.14. cauſæ cur adhiberetur, recenſētur. 1.36.38.
Lactymæ piæ ſiccantur amicitijs peculiaribus. 3.25. earum donum quid ſit. ibid.
Laici recipiantur in Ordinem artis alicuius vel neceſſarię, vel vtilis periti. 1.38.
Latebræ nocturæ in cœnobijs damnatæ. 3.7.47. 54.
Laudatio nimia propinquorum in cœnobijs vituperatur. 3.9.
Lectio librorum impudic. pernicioſa. 3.22.
Lectulus ſponſi cur dicatur anguſtus. 3.29.
Lex Eccleſ. de non ſcribendis litteris. 2.9. eius violatio non ſine pecc. ibid. cauſæ huius legis. 2.11. leges adu. Otium. 1.7.15.
Libertas, laxitas diſciplinæ, libido dominandi, finis ſeditioſarum conſpirationum. 3.12.
Linguæ peccata in amicitijs. 3.21.
Litterarum ſcriptio, acceptio, lectio vetita Religioſis. 2.4. & ſeq. petenda facultas ſcribēdi eas. 1.7. Impediatur ad tollendas peculiares amic. 3.53.
Locutio epiſtolaris qualis. 2.28.
Loquacitas in otio. 1.27.28.
Lucri neglectus radix ſecunda egeſtatis otioſi. 1. 21.
Lux odio habetur à male agentibus. 3.7.
Luxuria. Vide Flagitia.

M

MAgiſtri ſpirit. oderunt otium. 1.14.16. damnant amicitias peculiares. 3.15.
Malitia & malignitas otij, vide Vitioſitas.

Mater

Mater & magiſtra impuritatis otioſitas. 1.26.
Materia epiſtolarum quæ dicatur religioſa. 2.27.
Membra corporis ſe diligunt, non oderunt. 3. 10.
Mendicitas, vide Egeſtas.
Monialibus non ſcribendum. 2. 20.
Monita pro Superioribus circa litteras. 2. 21. 22. pro ſubditis. 2.23. pro prudentia ſcribendi. 2. 24. pro ſuperioribus ad amicitias deprehendendas. 3.45. & ſeq. pro ſubditis. 3.56. & ſeq.
Morbi occulti difficilius curantur. 3.44.
Mortificatio curioſitatis, affectus propinquorum & patriæ, atque amoris ſingularis tollit ſuperfluam ſcriptionem litterarum. 2.23.
Multiloquium quid ſit. 1.28.
Mundus non poteſt habere duos ſoles. 3.29.
Munuſcula indicant amicitias pecul. 3. 48. damnantur. 3.50.
Mutatio loci iuuat ad amicitias dirimendas. 3.55.

N

Nationes alienæ ſingulariter amandæ. 3.10.
Natura & naturalia oĩa expellunt otiũ. 1.8.
Natura iuniorum procliuis ad amicit. 3.4.
Negotium remed. otij. 1.36. Vide Occupatio.
Nocturna conuenticula damnata. 3.7. 47. 54.
Nominis ſubſcriptio in epiſtolis quomodo ponenda. 2. 31.
Nugæ filiæ otioſitatis. 1.28.
Nutrimenta amicitiæ tollenda. 3.53.

O

Occupatio pellens otium non inanis eſſe debet. 1.37. quæ nam idoneæ. 1.38.
Odiũ oritur ex amicitijs peculiaribus. 3.16.
Offenſio. Vide Scandalum.
Ordines religioſi oderunt & expulerunt otium. 1.8.
Ordo actionum duplex minuit acediam. 1.35. impedit

pedit familiarit.damnatam.3.57.
Origo malorum omnium otioſitas. 1.4. eius partus recenſentur. 1.25.26. & ſeq.
Otioſitas magiſtra & parens mult. malorum. 1.4. 24. inimica animæ.1.12.15.24. mala recenſentur. 1.16.
Otioſus an iniuſtus.1.5. exponit ſe periculo grauiter peccandi. 1.5. eſt viuens mortuus. 1.6. 29. multas pœnas ſuſtinet in hac vita. 1. 17. & ſeq. ſibi pœna eſt. 1. 17. onus terræ. 1. 10. puluinar diaboli.1.18. in ſtatu peccati. 1.19.
Otium multiplex. 1.2. ſanctum & iners. ibid.
Otium ſanctum magnum negotium eſt. 1. 2. 10.
Otium iners definitur.1.3. parit egeſtatem. 1.4. hominis viui ſepulchrum. 1.6.

P

Parcitas ſcribendi tribus generibus homin. vtilis.2.18.
Parrheſia quæ ſit & damnatur. 3. 18.
Patres priſci damnant otium. 1.11.12.
Paupertas. vide Egeſtas.
Peccatum. vide Culpa.
Pecuniæ & charitatis diſſimilitudo. 3.17.
Peregrini ſunt Deo curæ peculiari. 3. 10.
Perfectionis retardatio ab amicitijs. 3.25.
Periculis obnoxius otioſus.1.5.18. amicitijs irretiti. 3.21.38.
Philocalia quid ſit. 3.36.37.
Philoſophia damnat otium. 1.6.
Plato & Socrates flagitioſi. 3. 35. vide Amor Platon.
Pęnæ otioſorum recenſentur. 1.17. & ſeq. itẽ ſcribentium & recipientium epiſtolas ſine facult. 2 8. pœnis coercendi amiculi poſt monitiones. 3. 54.
Politia humana repellit otium. 1.7.

Pre-

Preces petendæ & offerendæ in fine epiſtolarum. 2.30.
Principijs obſtandum in amicitijs. 3.56.
Principibus raro ſcribendum. 2.18. de eorum rebus non ſcribendum. 2.24.
Promotio propinquorũ in Relig. damnatur. 3.9.
Propinquorum epiſtolæ combuſtæ à quibus. 2.19.
Prudentia ſcribendi quomodo comparetur. 2.24.
Pulchritudo corporis periculoſa. 3.36.37.
Pythagoras inſtituit cœnobia adoleſc. 3.1.

Q

QVies neceſſaria vitæ 1. 3.

R

RAdix malorum otioſitas. 1. 24.
Radices culpæ in otioſo, quæ ſint. 1. 5.
Raritas epiſtolarum laudatur. 2. 23.
Rationes quæ ſolantur Religioſum in lege vetante litteras &c. 2.26.
Religio laudabilis quæ fit ex Bonau. 3.11.
Religioſitas ſcribendi tribus in rebus poſita eſt. 2. 26.
Religioſus in ſcribendo quid præſtare debeat. 2. 26.
Remedia fug. otij. 1.31. & ſeq. moderandi affectus erga conterraneos. 3. 10. ad tollendas amicit. pro ſuperioribus. 3.51.
Res geſtæ, quæ ędificant, ſcribi poſſunt. 2.27. Rei familiaris egeſtas aduenit otioſo. 1.23.
Retardatio perfectionis ab amicitijs. 3. 25.
Retinacula perfectionis ab amicitia recenſentur. 3.26. & ſeq.
Ruſticitas in non reſpondend damnatur. 2. 14.

Z 2 Sæ-

S

SÆculares ſiniſtrè interpretantur actiones Religioſorum. 2.20. 25. 3.19.
Salutatio præmittenda epiſtolis & qualis. 2.19.
Sanctorum exempla damnant otium. 1.13.
Sapientiæ humanæ vacuitas aduenit otioſo. 1.23.
Scandalum oritur ex amicit. peculiaribus. 3. 19. 40. 51.
Scriptio litterarum interdum neceſſaria & vtilis. 2.13. 14. nutrit beneuolentiã. 2.15. parca eſſe debet. 2.16. nocet animæ, famæ, ſpiritui &c. 2.16. 17.
Scriptio non euaneſcit vt vox. 2.17.
Scriptura ſacra incitat ad fug. otium. 1.4. apta materia religioſ. epiſtolarum. 2.27.
Secluſio pœna veter. monachor. 3. 54.
Seditioſorum amicitiæ dam. 3.1. recenſentur ſpecies. ibid.
Senes in otij fuga exemplo præeant. 1.35. eorum habenda ratio in cenſura litterarum. 2.22. ad amicitas minus apti. 3.13. mali plus nocent exéplo. 3. 40.
Sentina tentationum otioſitas. 1.24.
Separatio à communi cœtu pœna, & quot gradus habet. 3.55.
Silentium exigendum ab irretitis amicitia. 3.53.
Similitudo cauſa amicitiæ. 3. 4.
Simplicitas dictionis laudabilis in epiſtolis. 2.28.
Singularitas odioſa in Religionibus. 3.19.
Societas Ieſu quid de epiſtolis ſanxerit. 2.10.
Socrates & Plato vitioſi. 3.35.
Sodalitas. vide Amicitia.
Soles duos non fert Mundus. 3. 29.
Sorores multę in eodem aſceterio non permittuntur. 3.9.
Species quinque damnatę amicitię recenſentur. 3.8.

3.8.& ſeq.
Studium litter. & doctr. ſucceſſit labori manuum apud mon. 1.39. cauſæ tres explicantur. ibid.
Stultitia quid ſit. 1.4.
Suauitatis vnguenti perditio. vide V.
Subditis obſeruanda in epiſtolis. 2.23.
Superbia cauſa otij. 1.35.
Superioribus, quæ ſeruanda circa epiſtolas. &c. 2.21.22.

T

TActus aliorum periculoſus. 3.22.
Tarditas in ſcribendo laudab.& vtil. 2.25.
Temporis iactura radix egeſtatis otioſorum. 1.21 magni æſtiman. tempus. 1.32. res pretioſiſſima, cuius reddenda. ratio. 1.32. 2.17. rationes cur ſit magnifac. 1.33.& ſeq. datur ad pęnit. 1.34.
Tenebrę amantur in amic. damnatis. 3.7.
Tentationibus obnoxius otioſus. 1.18.
Theodoſius minor Imper. ſcriptione fugabat otium. 1.13.
Theologia incitat ad fugam otij damnans peccati. 1.5.

V

VArietas actionum minuit Acediam. 1.35.
Vincula damnatarũ amicit. rumpẽda. 3.61.
Virium anim i imbecillitas radix egeſtatis otioſorum. 1.22.
Vitanda quæ ſint in ſcriptione litterarum. 2.27.
Vitia ſe tegunt ſimulatione virtutis. 3.44.
Vitioſitas magna otij explicatur. 1.24.
Vnguenti ſuauitatis perditio eſt partus otij. 1.29.
Vnguentum in Scriptura ſignificat gratiam, deuotionem, charitatem fraternam. 1.29. item bonam famam. 1.30.
Voluntas praua cauſa peculiaris amicitiæ. 3.3.5.
Vox & ſcriptio quid differant. 2.17.
Vtens iure ſuo nemini facit iniuriam. 2.26.

IN-

INDEX SIMILITVDINVM.

AGer incultus,otioſo. 1.19.25.
Apes,laborioſis. 1. 8.16.
Aqua gelida ſuperfuſa bulliēti aheno,amicitiæ peculiari. 3. 16. item, languori. 3. 26.
Aquila illigata capillo,irretito amicitijs. 3.39.
Araneus,Dæmoni.1.18.
Arbor infructuoſa,otioſo.1.19.
Auceps,Dæmoni. 1. 18.
Aurum obrizum,charitati veræ. 3.45.
Bucephalus amatori perfectionis. 3.29.
Concha maris Indici,affectui amoris. 3.39.
Cos,doctrinæ ſpirit. 3. 45.
Cos aquaria,orationi lacrymoſæ. 3. 25.
Delphin,duci ſodalitatis peculiaris. 3. 14.
Echeneis piſciculus,affectui amoris. 3. 39.
Equus Ioannis Papæ,amanti perfectionem. 3.29.
Excubitor,Dæmoni. 1. 18.
Ferrum non vſitatum,otioſo. 1.22.
Fluuius in multas foſſas deriuatus, amori multos amanti.3.16.27.
Formicæ,laborioſis. 1. 8.
Fuci otioſis. 1. 5.
Hamus ſermoni blando. 3.46.
Iacula aurata,libris impudicis. 3.22.
Ignis amori. 1. 40.

La-

Lacrymæ, alis. 3.25.
Lepra, otioſitati. 1.17.
Leo alligatus filo, amicitijs implicito. 3.39.
Molendinum, cordi humano. 1.25.
Muſcæ, otioſis. 1.5.27.29.
Nauicula, loquelæ & epiſtolæ. 2.2.
Nauis in ſtatione, otioſo. 1.22.
Nouerca, otioſitati. 1.12.
Obſtetrix, dexteritati ſuperioris. 3.46.
Odor bonus, famæ. 1.30.
Officina ferraria, cordi feruido & lacrymāti. 3.26
Olla bulliens feruori. 1.40.
Piſcis canis, Dæmoni. 1.18.
Plumbum auro tectum, falſæ amicitię. 3.45.
Remora. vide Echeneis.
Rubigo, otio. 1.22.
Scorpius, Dęmoni. 3.5.
Seruus abſcondens talentum, otioſo. 1.21.
Sufflamen rotę iniectum, affectui &c. 3.39.
Venenum dulce, lectioni librorum obſcenorum. 3.22.
Vnguentum conſecrationis, charitati. 1.29.
Vnguentum ſuaue, gratiæ, charitati, deuotioni. 1.29.
Vnguentum ſuaueolens, famę ac bonæ opinioni. 1.30.

FINIS.

Erratorum emendationes.

Pag.12.lin.20.omiſſo.15.26.æquoreum.16.6. agentibus. 17.1.pretioſiſſimam. 24.31.comedes.26.7.inordinationem.34.28. iunioris Imperator. morem. 43.5.peculiarium. 70.12.confectum. 80.19.munus. 88.23. interrumpat.90.7.melancholia.90.28.ab.92 20.conficiebant.95.27.ſupererit.96.2.Cluniacenſis. 107.32. ſcriptio. 108. 1. munus, 129. 30.nuncios. 131.10.venio.134.28.intenti. 135. 30, affectus. 145. 13. iure optimo. 146.7. blandas. 153. 11. litteras, 158. 17. auctor ſum, 160.9.quando. 179.19. accurate. 171.4.affectatum. 179.29. mittentium.181.6.cœnobio. 182.10.oppugnans. 182,32. tamquam. 184. 21. ὁμοιότης 185. 5. amicitia. 197. 21. irreperet. 199. 15. ſane. 202. 34.iiſdem. 205.2.nimis. 206.17. reſtitutus.214.35.ſtudeat, 218.12.teſtimonijs. 232. 30. coitiones. 227. 4. vnitas. 234.5. à formatoribus. 242.6. coætaneorum. 242. 33.de vi.244.ad aquarias.245.35.licentia. 272. 30. incauti. 280.19. Minorum.282.6. De Ioanne. 286.28.ſodalitatem.300.9.con dilecti. 310. 29. ab. 311. 2. Iuoni. 313. 18. magiſter. 322.2.habeto. 325. 26. terminatur. 333.26. obſer[illegible]